
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06827197 6








P. MAURI SCHENKL

BENEDICTINI PRIFLINGENSIS

INSTITUTIONES JURIS ECCLESIASTICI

GERMANIÆ INPRIMIS, ET BAVARIÆ ACCOMMODATÆ.




PARS II.

JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM CONTINENS.

COLONIÆ,

SUMPTIBUS JOANNIS GEORGII SCHMITZ BIBLIOPOLÆ MDCCCXV.


THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.

CONSPECTUS
JURIS ECCLESIASTICI PRIVATI.

SECTIO I.
De Personis et Beneficiis ecclesiasticis.

CAPUT I.
De Personis ecclesiasticis.

ARTICULUS I.
De requisitis, et impedimentis status, et ordinis ecclesiastici, seu clericalis.

§. 404) Ad statum ecclesiasticum 405) recte admitti nequit dotibus, et voluntate ad exequendas hujus status obligationes destitutus. 406) Excelsitas autem status hujus qualitates singulares seriamque exigit præparationem. 407) Qualitates ad statum clericalem necessarias certis regulis dudum definivit ecclesia; quare iisdem destituti, tanquam alieni a regula sive irregulares repelluntur. 408) Porro irregularitas hæc alia est ex delicto, ex defectu alia etc. 409) Irregularitas ex delicto multo olim quam hodie latius patuit, et per abusum baptismi, ordinationis, ordinis, per hæresin item et homicidium inducitur. 410) Irregularitas ex defectu provenit ex defectu animi, natalium, famæ, corporis, ætatis, sacramenti, lenitatis, libertatis, tituli. 411) Irregularitas temporalis sublato defectu: perpetua vulgo per solam dispensationem tollitur.

ARTICULUS II.

De ordinatione Clericorum.

§. 412) Ad statum clericalem homines promoventur per sacram ordinationem, 413) cujus minister est Episcopus, 414) qui ratione vel originis; vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis est proprius: 415) non proprius solum licite ordinat aut privilegio papali aut dimissoriis a proprio Episcopo literis instructum. 416) Examen ordinandorum vi juris canonici triplex est. 417) Circa tempus ordinationis notandum, 418) tempus, quo ordinatio peragi debet, 419) tempus, quod inter ordines intercedit, 420) tempus, quo ordo ordinem sequi debet vel præcedere, seu gradus, quo ad ordines ascenditur. 421) Locus ordinationis sit proprius, sacer; et publicus. 422) Requisita ad ordinationem alia generatim sunt, ut valide, alia ut licite fiat. 423) Ad singulos ordines item certus scientiæ gradus, ad subdiaconatum titulus mensæ, beneficii, professionis religiosæ, aut patrimonii requiritur. 424) Effectus recepti ordinis est tum jus exercendi actus ordinis illius, tum obligatio officia ei ordini adnexa præstandi. 425) Ordo quoad substantialia rite collatus nunquam, in dubio non nisi adposita conditione iterari potest: omissa accidentalia solum caute subplenda sunt.

ARTICULUS III.

De Obligationibus, Honestate, Cælibatu Clericorum.

§. 426) Clericos ipsa status ratio ad præcipuam in- et exteriorem honestatem obligat; 427) interior inprimis quidem necessaria; de exteriori tamen maxime jus canonicum præcipit. Hæc autem

tem Clericos obligat præcipue, 428) ut ea quidem omnia, quæ statum suum dedecent, constanter devitent; 429) summopere autem ebrietatis vitium, avaritiæ labem, incontinentiæ vel suspicionem, ut queis status clericalis honor, et utilitas prorsus proteritur, fugiant: 430) unde clerici horum criminum illicia; 431) præsertim incontinentiæ occasiones caute declinare, 432) atque etiam vitam perpetuo cœlibem agere, juste, recteque ab ecclesia jubentur. 433) Dicta itidem honestas exigit, ut habitu, incessu, sermone, nil nisi grave, moderatum, religione plenum clerici præseferant; 434) ac status officia sedulo, decenter, et curate exequantur. 435) Atque hanc clericorum honestatem ecclesia per sanctissimas leges, per adcurata examina, et scrutinia, per instituta clericorum seminaria, per crebras visitationes; correptiones etc. servare, restaurare, promovere nunquam non institit.

ARTICULUS IV.

De Privilegiis Clericorum communibus.

§. 436) Universo Clericorum ordini merito tributa sunt privilegia, quæ idcirco communia cleri privilegia vocantur: 437) inter personalia autem, de quibus heic sermo, eminent 438) privilegium canonis, quo eorum personæ a quavis violentia, aut injuria tutæ præstantur: 439) privilegium servitiorum, vi cujus a servitiis eas aut dedecentibus, aut impedientibus eximuntur, 440) privilegium competentiæ, per quod immunes sunt a debiti exactionibus, quibus ad indigentiam indecoram redigerentur; 441) privilegium fori, vi cujus in caussis tum civilibus personalibus, tum crimina-

 mina-

minalibus pro varia locorum observantia a profanâ jurisdictione eximii sunt. 442) Hoc privilegium reconventionem clerici coram laico in caussis connexis impedire non videtur, etiam in Bavaria, ubi alioqui tum in civilibus, tum vero 443) etiam in criminalibus eo privilegio liberaliter perfruuntur clerici. 444) Eidem privilegio jus canonicum ipsum limites certumque modum adposuit. 445) Realis autem immunitatis privilegium quoad bona clericorum patrimonialia fere ubivis cessavit, quoad cetera locorum mores sunt varii.

CAPUT II.

De Clericorum sustentatione et Beneficiis ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

Beneficiorum Origo, Divisio, Erectio.

Heic §. 446) Beneficii Notio; 447) Nomen; 448) Origo; 449) Requisita et 450) Species eorum exponuntur; dividuntur porro beneficia in qualificata, simplicia, majora, minora, electiva etc., et quae praesertim vetus ecclesia ignoravit, 451) incompatibilia, et incompatibilia etc. 452) Ceterum jure canonico in erectione beneficiorum ecclesiae auctoritas, dos congrua, eorum, quorum interest, consensus etc. requiruntur.

ARTICULUS II.

De Provisione Beneficiorum generatim.

§. 453) Provisio beneficiorum variis actibus completur, quorum primus est 454) designatio per-

personæ per electionem, nominationem, præsentationem ad beneficium actu vacans; nam 455) exspectantiæ seu concessiones, aut promissiones vacaturi beneficii omnes, 456) exceptis coadjutoriis ad cathedrales, vel abbatiales dignitates prorsus prohibitæ sunt. 457) Unde sequentes fluunt generales regulæ: 458) beneficium nisi vacans, nedum efficaciter promitti, minus conferri potest. 459) Beneficium semper digniori, et omnibus ad illud requisitis qualitatibus ornato, 460) et canonice, id est, gratuito, libere, absolute, sine diminutione, suo tempore conferri debet.

ARTICULUS III.

De Modo perveniendi ad beneficia ecclesiastica majora per Electionem, Postulationem, Nominationem etc.

§. 461) Modus ad hierarchicos gradus perveniendi certus nec a Christo, nec ab Apostolis fuit definitus: 462) solennior tamen Episcopos creandi modus fuit per cleri populique suffragia dirigentibus Episcopis provincialibus facta electio: 463) plebe deinceps graves ob caussas citius in Oriente quam Occidente ab electionis negotio exclusa, soli honoratiores de populo, præsertim Principes, ad id admissi. 464) Seculo XII. et seqq. jus eligendi Episcopos privativum moribus primo quæsitum, subinde per leges et concordata Capitulis cathedralibus, præsertim in Germania, stabilitum, hodieque firmum est, in aliis regnis nominatio regia prævaluit. Unde 465) modi ad dignitates ecclesiasticas præsertim majores perveniendi hodie sunt electio, postulatio, nominatio, translatio. 466) Circa electionem advertenda plura: scilicet 467) eligere

possunt alii jure communi, alii jure speciali. Sed etiam ex illis 468) eligere prohibentur, qui vel a natura vel ex legis dispositione ad id negotium sunt inepti. 469) Eligi nequeunt dotibus ex ipsa natura dignitatis, aut per jus canonicum requisitis destituti. 470) Electionis adjuncta quód adtinet, notanda 471) ejus præparatio, quæ variis actibus absolvitur: præfigitur nempe; et, quibus debet, significatur, et publicatur electionis terminus. 472) Electio ipsa legitimo tempore, loco, servatis solennitatibus 473) adhibita una ex consuetis electionis forma peragitur: nempe vel 474) per inspirationem vere, vel quasi talem, qui insolentissimus, et variis sæpe difficultatibus obnoxius eligendi modus est. Vel 475) per scrutinium; 476) ubi vota omnium capitularium absolute majora requiruntur, vel 477) per compromissum simplex, aut limitatum; 478) ubi itidem vulgo majora compromissariorum vota, quæ ab uno eorum etiam pro se ipso compleri possunt, canonicam electionem efficiunt. 479) Compromissum fere naturam mandati sequitur; eodemque atque illud, modo servari debet, et exspirare solet. 480) Effectus electionis præcipui sunt, quod eligentes pœnitere nequeant, et electus jus ad rem, non tamen in re consequatur etc. 481) Confirmatio electionis ab electo intra trimestre a Superiore petenda, nisi ex caussis canonicis negari nequit; concessa electo jus in re tribuit. 482) Postulatio, alter ad prælaturas ecclesiasticas pertingendi modus, est vel solennis, vel simplex. 483) Postulatio solennis ponit adesse in postulato defectum canonicum, 484) qui tamen dispensari possit, et soleat; unde quidam possunt, quidam postulari nequeunt. 485) Postulatio quoad postulantes, formam, numerum votorum fere electionem imitatur, nisi cum electione concurrat: si ambæ concurrant, postulatus electo prævalet, si duas tertias totius Capituli, cedit, si electus ultra unam tertiam Capituli pro se habeat etc.

486)

486) Postulatio dirigenda ad immediatum, vel alium, qui defectum postulati sanare dispensando possit, Superiorem, 487) a cujus arbitrio vulgo pendet postulationis admissio. Idcirco 488) effectus postulationis ab effectibus electionis multimodis discrepant 489) item postulatio etiam solennis, et simplex inter se quidem magnopere differunt: hæc vero vix ulla re ab electione distinguitur. 490) Sunt autem minus solenniter postulandi Cardinales non Episcopi, Prælati Episcopis inferiores, Clerici diœcesis alienæ, Religiosi. 491) Nominatio regia tertius ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus, prout eligibilis, vel postulabilis nominatur, electionis, aut postulationis naturam fere quoad omnia sequitur. 492) Translatio quartus perveniendi ad ecclesias modus, veteri ecclesiæ vix non incognitus, et vulgo est prohibitus; 493) hodieque nonnisi ob caussas canonicas, et per legitimi Superioris ecclesiastici auctoritatem admittitur: 494) ea rite facta vacat ecclesia antehac possessa etc. 495) Confirmationem vel admissionem electionis, nominationis, postulationis, sequitur consecratio futuri Episcopi tempore, loco, ritu per canones determinato, per legitimum consecratorem præscriptis cum ceremoniis peragenda, 496) plurimumque ferax effectuum, quos tamen benedictio Abbatibus impertiri solita, quamvis cetera ritibus ab illa parum distincta, producere non solet.

ARTICULUS IV.

De provisione beneficiorum minorum, de collatione, jure patronatus, institutione, optione, permutatione, turno etc.

§. 497.) Modus ad beneficia minora pertingendi itidem est multiplex: ex quibus primo occurrit 498) collatio vel libera, vel necessaria, hæcque institutio in specie dicitur: nam 499) institutio largio-

ri sensu accepta varias admittit significationes. 500) Jus collationis liberæ per se ad Episcopos pertinet, iisdemque, postquam reservationibus modus adpositus fuerat, maximam partem restitutum est: 501) Quare hodieque Episcopi personæ ita proprium censetur, ut nec sede vacante ad Capitulum devolvatur, nec aliis nisi jure extraordinario competat. 502) Collatio necessaria seu institutio in specie adstricta est ad patroni præsentationem, quæ præcipua juris patronatus pars est. 503) Porro jus patronatus 504) sensim ac quasi per partes in ecclesia exortum, hodie 505) plura tum honorifica et utilia, tum partim onerosa jura continet. 506) Jus patronatus primo quidem fundatione, exstructione, et dotatione ecclesiæ acquiritur: et variis modis ad alios transmittitur: quemadmodum vero 507) pro eo, ac ecclesiasticum, vel laicale, personale, vel reale, hæreditarium, evl gentilitium, regium, feudale, vel privatum est, diverse obtinetur, ita et 508) modis variis denuo amittitur. Ceterum ejus juris capaces sunt Christiani omnes, etiam acatholici in Germania tolerati etc. 509) Jus præsentandi, præcipua juris patronatus pars, 510) plerumque designationem seu nominationem personæ conjunctam habet, et ad beneficia solum minora se exporrigit: 511) si pluribus competat per vota majora, alternatim, aut per turnum exercetur; si rei litigiosæ adhæreat, ab illius possessore exerceri potest. 512) Præsentatus sit clericus dotibus a jure tum communi, tum speciali requisitis præditus: patronus filium quidem, non item seipsum præsentare potest: gratiosam tamen sui admissionem petere cur nequeat, nil obstare videtur. 513) Præsentatio legitimo modo et tempore, nempe a patrono laico intra quatuor, ab ecclesiastico infra sex menses fieri debet. Præsentationem, vel nominationem sequitur 514) institutio in specie: quæ ut canonice peragitur, citra instituentis, instituti, et formæ instituendi vitium fiat. Porro 515) instituere

potest

t Episcopus vel ejus nomine Vicarius generalis,
vacante Capitulum, potestate quasi episcopali
iti, aliæ personæ ecclesiasticæ ex speciali privi-
, præscriptione etc. 516) Institui debent per-
idoneæ, rite præsentatæ: unde 517) ratio insti-
nis exigit, ut non sine prævio de instituendi qua-
bus examine, et intra duos menses, in paro-
ibus saltem ecclesiis fiat: legitime facta jus in
ibuit. 518) Institutio autorisabilis nisi ab Epis-
, aut potestatem quasi episcopalem habentibus
nequit. 519) Sequitur demum institutio corpo-
installatio, cujus modus nec in quibusvis bene-
, nec in omnibus locis idem est: et 520) in
ria quidem jus institutionis realis quoad spiritu-
Episcopo, quoad temporalia Duci Bavariæ com-
: modus hujus institutionis concordatis Bav. et
vantia determinatur. 521) Supersunt alii ad be-
iá perveniendi modi: 522) permutatio, quæ non-
adhibitis debitis solennitatibus fieri potest; 523)
et turnus major minorve, item nominatio uti-
quorum varium modum observantia, et speciales
um leges definiunt.

ARTICULUS V.

*rovisione papali; et juribus singularibus Ponti-
ficis vi Concordatorum in Germania.*

. 524) Jus provisionis ordinariæ, et dominium
. omnium in universa ecclesia beneficiorum nulla
ibili ratione Papæ asseritur: 525) recte tamen
n quorundam in ecclesiis beneficiorum collatio
editur. 526) Ita per Germaniæ concordata Pon-
disposition quædam quovis tempore, quædam
mensibus vacantia beneficia fuere reservata:
n quoque concordatis Pontifici 527) jus Epis-
Germaniæ confirmandi: atque adeo controver-

sas

sas electiones dijudicandi addictum: 528) item jus annatas moderatas exigendi tributum: 529) modus has solvendi itidem per concordata curate determinatus, per praxin non nihil subin fuit immutatus. 530) Firmantur autem in concordatis reservationes, quæ in jure scripto, in Extravagantibus *Execrabilis* et ad *Regimen* non nihil immutatis continentur. 531) In dubio potius verbis concordatorum, quam Bullæ confirmatoriæ inhærendum, et reservationes ceu odiosæ potius restringendæ sunt, quam extendendæ. 532) Reservantur igitur Pontifici beneficia vacantia apud sedem apostolicam: 533) vacantia per obitum Cardinalium et Officialium verosimiliter tum solum, si mors in curia contingat; vacantia per obitum ad curiam accedentium, vel ab ea recedentium, si is intra duas a curia dietas eveniat: 534) vacantia per promotionem aut provisionem in curia Romana factam: 535) vacantia per assecutionem aliorum beneficiorum incompatibilium auctoritate Pontificis collatorum: 536) vacantia in mensibus papalibus: excipe dignitates electivas, majores, beneficia permutationis caussa in manus Ordinariorum resignata, beneficia patronatus laici aut mixti, dubia etc. 537) Reliquis mensibus jus ordinarii collatoris nullo obtentu turbari, impediri, aut deterius reddi potest. 538) Reservationes istæ, et præsertim alternativa mensium non ubivis æque recepta: idem jus mensium sæpe ab aliis exercetur. 539) Ceterum provisio pontificia fit de subjecto apto in forma dignum aut gratiosa; provisio hæc quoad beneficia, quæ in curia vacant, unius, quoad alia trium mensium spatio circumscribitur, ita, ut intra id tempus provisu etiam in loco beneficii apparere debeat etc.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De Provisione beneficiorum per primas preces.

§. 540) Jus primarum precum, 541) de quo præcipua solum commemorare indicatis plurium sententiis lubet, 542) tum quoad tempus, quo ortum est, 543) tum quoad titulum quoque seu fundamentum, ex quo deduci debeat, in ambiguo est positum. Vero proprior tamen eorum videtur opinio, qui partim ex consuetudine, partim saltem quod modum ejus efficaciam adtinet, ex indulto Pontificis id dimanare credunt. 544) Hoc porro indultum nec petitum semper, nec in formulis precum adductum. 545) Jus primarum precum Imperatori competere, omnes consentiunt; Imperatrici ex aliorum sententia jure proprio in ecclesiis feminarum, ex aliorum, solum jure cesso competit. Regi Romanorum plures id ex cessione solum Cæsaris concedunt: S. R. I. Vicariis alii jus idem denegant, vindicant alii: dominis territorialibus alicubi specialis observantia id juris addicit. 546) Jus primarum precum cæsareum ad plerasque ecclesias catholicas; ad protestanticas solum secundum normam P. W. extenditur. 547) Ab eodem tamen non modo dignitates electivæ, majores, sed et beneficia alia plura favente etiam observantia eximuntur. 548) Precista dotes jure communi et speciali requisitas habeat, necesse est. Preces autem rite exhibitæ, seu insinuatæ id operantur, 549) ut beneficium vacans precistæ, intra mensis spatium id petenti, conferri debeat. 550) Jus per preces quæsitum non quidem morte concedentis, sed aliis variis modis exspirat. Ab his precibus diplomata victualia prorsus sunt diversa.

ARTI-

ARTICULUS VII.

De Provisione beneficiorum ex jure devolutionis.

§. 551) Jus devolutionis 552) rationem sufficientem in ecclesiæ salute, et tum ob neglectam, tum ob vitiose factam provisionem locum habet; 553) nisi justa excusatio vitium purgaverit. 554) Devolutionis autem jus ex præscripto canonum per gradus, nequaquam neglectis intermediis gradibus, et quasi per saltum, exerceatur; 555) et provisionis ordinariæ, in cujus locum succedit, leges sequatur: si effectum non sortiatur, ordinariæ provisioni erit locus. 556) Jus devolutionis intuitu Protestantium Principi, aut Imperatori pro diversa ecclesiæ ratione competere ex Protestantium principiis consequitur.

ARTICULUS VIII.

De Juribus, et Obligationibus ex beneficio obtento ortis, de residentia, de dominio, usuque fructuum beneficii etc.

§. 557) In beneficio rite institutus jus perfectum tam ratione spiritualium, quam temporalium consequitur perpetuum. 558) Huic tamen juri respondet peragendi officii, atque adeo in loco beneficii constanter residendi obligatio. 559) Unde de duplici hac obligatione, et fructibus hoc titulo percipiendis dicendum. 560) Officium a beneficiato peragendum, quod intuitu omnium non est unius modi, 561) jure naturæ quivis peragere per semetipsum tenetur, nisi justissima caussa excuset: 562) hinc eodem jure urget etiam residendi necessitas. 563) Absentia a beneficio sæpe justis titulis, aliquando et vanis obtentibus

us excusabatur: 564) huic tamen quorumdam li-
tiæ Concilia plura se obposuere: 565) ex quibus
c quasdam de residendi obligatione subnectere re-
as libet: 566) Residentia officii personaliter ex-
ndi caussa, et ideo per se perpetua, et laborisa
gitur, nec mere localis, aut otiosa sufficit. 567)
sidentia verius omnibus beneficiatis in regula ex
e naturali præcepta est: 568) attamen indoli be-
ficii sit adcommodata, hinc strictius in uno, quam
altero obligat. 569) Generatim toties, et tamdiu
is a residentia personali, et laboriosa excusari po-
t, quoties et quamdiu ea residentia nonnisi cum
nissione strictioris officii, ac neglectu majoris boni
sset servari. 570) A Tridentino et residendi mo-
s, et 571) non residentium pœnæ fuerunt curate
terminatæ: unde residentia alia dicitur Tridentina,
a statutaria, vera, ficta, præcisa, caussativa etc.
2) Residentiæ laboriosæ vulgo respondent varii
ictus, seu bona, quæ varie dividunt: 573) fructus
i sunt grossi, alii minores, distributiones quotidia-
etc. 574) Anno deservito utrique, anno gratiæ
ossi solum in regula debentur. 575) Qualecunque
mum beneficiatis ceterisque clericis dominium in
na intuitu ecclesiæ, et ex officii clericali acquisita
buatur; id tamen cum onere ea, quæ ad con-
uam sustentationem non impenduntur, ad caussas
s ex justitia adplicandi esse conjunctum persuadet
6) natura; et indoles officii clericalis, 577) fun-
torum, et donatorum intentio 578) ecclesiæ con-
ns sententia. Unde consequitur 579) de his bo-
tum inter vivos, tum mortis caussa ad caussas
re profanas juste disponere clericum haud posse:
et in foro externo testamenta isthæc ex gravibus
ussis tolerentur, etiam in Bavaria, cujus hac in re
axis explicatur.

ARTI-

ARTICULUS IX.

De Renuntiatione, et Resignatione beneficiorum.

§. 580) Tum abdicatio, tum resignatio beneficii nisi ex justis caussis, et per auctoritatem ecclesiasticam fieri nequit: 581) ut fiat canonice et secundum leges ecclesiæ, 582) fiat libere, 583) justis ex caussis, salvo jure tertii, servatis solemnitatibus, 584) interveniente auctoritate legitimi Superioris; et Pontificis quidem quoad resignationes ecclesiarum cathedralium, et Prælaturarum immediatarum, et quorumcunque beneficiorum, si hæc in favorem tertii resignantur. 585) Hoc modo facta resignatio, si intra tres, et quoad beneficium ultra montes, intra novem menses publicetur, et modo resignans viginti dies sit superstes, varios producit effectus.

ARTICULUS X.

De Innovatione beneficiorum.

§. 586) Innovatio beneficiorum in regula prohibetur, nec nisi x justa caussa, per legitimam auctoritatem, salvoque jure tertii, ac proin cum consensu eorum, quorum interest, fieri potest. 587) Innovatio autem contingit variis modis: nempe 588) Per diminutionem impositis novis oneribus personalibus aut realibus (censibus, pensionibus) iisque temporalibus, vel perpetuis. 589) Onera autem personalia Episcopus, realia nova simul et perpetua solus Pontifex imponere potest. 590) Dismembratio ceu species innovationis; 591) item unio abs dictis solennitatibus fieri nequit. Unionis plures sunt species. 592) Circa eam plura notanda: 593) unio vulgo prohibetur; 594) unio Episcopatuum fieri recte nequit

nit citra consensum Pontificis; ceteras ecclesias non
xemtas unire potest Episcopus; non ad suam men-
m; 595) ceterum ea unio nisi omnibus rite servatis
lennitatibus, et 596) attenta beneficiorum indole
ri nequit 597) Sunt autem effectus alii unionis per
onfusionem, alii unionis per exequationem, alii unio-
is per accessionem factæ, alii unionis minus plenæ,
ut plenissimæ. 598) Huc referenda divisio, subpres-
o, demumque extinctio beneficii, 599) quæ fere eas-
em atque ceteræ mutationis requirunt solennitates,
ussasque plerumque graviores. Divisio parochiarum
mpliorum videtur inprimis exoptanda.

JURIS ECCLESIASTICI PRIVATI.

SECTIO II.

De Jure Rerum Ecclesiasticarum.

CAPUT I.

De Rebus Sacris.

ARTICULUS I.

De Rebus Sacris Generatim.

. 600) Res ecclesiasticæ heic sensu perquam lato
ntelliguntur: unde 601) varias admittunt divisiones,
t 602) rerum sacrarum nomine etiam sacramenta,
itus sacri, aliaque ad cultum externum proxime vel
emote etiam pertinentia veniunt. In cultu externo
603) ecclesia pro data sibi divinitus facultate varia
ut primo determinavit, aut post hæc immutavit:
604) festos item et jejunii dies decrevit, et ad calen-
arii ecclesiastici normam servari jussit etc. 605) Nos
eteris ad suum forum remissis, heic quæ nostri in-
tituti videntur, paucis prosequamur, et primo qui-
em de matrimonio generatim.

ARTICULUS II.

Notio, Divisio, Essentia Matrimonii.

§. 606) Matrimonium 607) triplici modo spectari potest, ut in bonum naturæ, civitatis, et ecclesiæ ordinatur: unde sub diversa Ratione diversis dirigitur legibus, 608) varieque dividitur in legitimum, ratum, consummatum, civile, canonicum etc. Quoniam matrimonium in fieri, ut ajunt, rationem contractus habet, 609) requisita contractus et hic adsint necesse est, 610) maxime personæ ad actus generationi servientes aptæ, 611) contrahentium consensus, forma substantialis: 612) His generatim notatis jam cetera de matrimonio scitu imprimis necessaria attinguntur.

ARTICULUS III.

De Impedimentis Matrimonii generatim.

§. 613) Impedimenta matrimonii, ut varii sunt generis, 614) ita variis regulis diriguntur: 615) atque ut matrimonium potestati legislatrici tum ecclesiasticæ tum politicæ diversa sub ratione subjicitur, ita impedimenta quoque matrimonii non impedientia modo, sed et dirimentia jure sibi proprio statuit 616) ecclesia ex rationibus ad salutem ecclesiæ pertinentibus, 617) id quod naturæ Imperii ecclesiastici 618), et ipsa contractus matrimonialis indoles, 619) atque praxis etiam et sententia ecclesiæ demonstrat. 620) Impedimenta dirimentia verosimilius etiam Princeps politicus propter salutem publicam civitatis statuere potest: 621) attamen jam dudum Rectores reipublicæ potestatem statuendi impedimenta dirimentia ecclesiæ soli reliquerunt. 622) Porro impedimenta juris, a quo proficiscuntur, divini humanive naturam sequuntur: unde impedimentis juris divini omnes homines; Acatholici etiam impedimentis ecclesiasticis ligantur, nisi per accidens, uti id verosimilius contingit quoad Protestantes Germaniæ, ab his sint soluti. 623) Jus impe-

pedimenta dirimentia statuendi, 624) item et in iis dispensandi hodie soli Pontifici aut Consiliis generalibus reservatur: verum in iis, ubi necessitas, aut certa utilitas id exigit, item vi privilegii pontificii dispensant pluribus in casibus Episcopi. 625) Dispensatio autem Romæ vel in Pœnitentiaria, vel in Dataria conformiter praxi et stilo curiæ petenda.

ARTICULUS IV.

De Impedimentis Matrimonii speciatim.

§. 626) Impedimenta matrimonium impedientia sunt ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum simplex castitatis. 627) Dirimentia commode ad quatuor classes referuntur, 628) scilicet ex defectu consensus dirimit error circa personam, aut circa qualitates, quæ errorem circa personam involvunt, aut queis consensus expresse est alligatus; 629) conditio nempe status servilis ignoratus ab altera parte libera; et adposita conditio fini, et substantiæ matrimonii repugnans: 630) vis, seu metus gravis a caussa libera ad extorquendum in nuptias consensum injuste incussus: 631) raptus, quamdiu rapta est in potestate raptoris. 632) Ob defectum libertatis matrimonium dirimunt votum solenne castitatis, ordo sacer, ligamen prioris matrimonii. 633) Ob defectum habilitatis dirimit impotentia antecedens, perpetua; non item sterilitas, 634) ætas immatura, et cultus disparitas: dein 635) crimen vel solius adulterii, vel solius conjugicidii, vel utriusque simul; 636) cognatio naturalis, legalis, spiritualis; 637) affinitas et publica honestas. Demum 638) ex defectu solennitatis matrimonium dirimit clandestinitas.

ARTICULUS V.

De Sponsalibus, aliisque matrimonio præviis.

§. 639) Sponsalia apud gentes moratas matrimonio præmitti solita: 640) de iis varia notanda; scilicet 641) sponsalia contrahi possunt ab omnibus, qui natura, vel lege non prohibentur, modo septennio sint majores. Sponsalia, ad quæ consensus certus, deliberatus, verus, rite manifestatus, liber, reciprocus requiritur, 643) vel a sponsis ipsis, vel per procuratores absolute, vel conditionibus variis appositis contrahi possunt. 644) Effectus sponsalium est gravis obligatio ea adimplendi, impedimentum honestatis publicæ etc. 645) Dissolvuntur tamen mutuo consensu, emergente impedimento, quo stante licite aut validi iniri matrimonium nequit. 646) Resiliendi ab iis justam caussam præbet quævis mutatio notabilis, et gravis altera in parte deinceps eveniens, aut subin primum cognita, etiam fornicatio solius sponsi. 647) Matrimonium præcedere debent denuntiationes ex præscripto Concilii Trid. faciendæ; item 648) consensus parentum, tutorum etc. aliorumque, quem leges locorum requiri jubent.

ARTICULUS VI.

De Contractu matrimoniali, ejus adjunctis, et effectibus.

§. 649) Plura ex dictis ad valide, 650) alia insuper ad licite contrahendum matrimonium sunt necessaria, ut benedictio Parochi, aliique præscripti ritus, consensus aliorum lege præscriptus etc. 651) Potest matrimonium etiam per procuratores contrahi. 652) Conditiones turpes aut impossibiles appositæ pro non adjectis habentur. 653) Matrimonii contracti, quod a Parocho curate in libro singulari describendum, 654) varii sunt effectus ratione tum conjugum, tum liberorum.

AR-

ARTICULUS VII.

De Judice caussarum matrimonialium, de Accusatione Matrimonii, Divortio et secundis Nuptiis.

§. 655) Circa matrimonium aut contrahendum aut contractum multæ oriri solent lites et caussæ; quæ 656) caussæ matrimoniales quoad effectus spirituales, et valorem, ecclesiastico, quoad effectus civiles, et nudi facti quæstiones, politico subjiciuntur imperio. Consentiunt Bavariæ lex, consuetudo, et concordata: cetera locorum consulenda consuetudo. 657) In caussis matrimonialibus solus Episcopus est judex. 658) Ad matrimonium impugnandum accusatio tendit, aut denuntiatio, ad quas non passim omnes admittuntur. Accusari autem solet matrimonium maxime 659) ob divortium, 660) de quo notanda quædam: 661) Matrimonium consummatum vulgo divortium quoad vinculum respuit, et in dubio semper pro validitate standum etc. 662) Singulari tamen privilegio matrimonium infidelium consummatum per conversi infidelis novas nuptias, parte altera infideli cohabitare recusante, solvi verosimilimum est; matrimonii vero rati vinculum per religiosam professionem tolli, Catholicis certum est: idem etiam per Pontificis dispensationem posse solvi, multi putant. 663) Divortium quoad thorum perpetuo maxime ob adulterium, ad tempus ob alias graves caussas; 664) sed vulgo solum per sententiam Episcopi fieri potest, nisi periculum in mora subsit. 665) Divortium quoad vinculum, et quoad thorum diversos habere effectus, consideranti patet: 666) cessabunt tamen effectus matrimonio restaurato, quæ matrimonii restauratio ut fiat, sæpe justitia jubet aut charitas. 667) Soluto quoad vinculum priori matrimonio ad secundas nuptias transire per jus canonicum impune licet; attamen alicubi uti in Bavaria, quædam pœna secundo nubentibus dictantur, aut negantur privilegia.

CAPUT II.

De locis sacris, et religiosis.

ARTICULUS I.

De Ecclesiarum. Exstructione, Reparatione, Consecratione etc. etc.

§. 668) Loca ecclesiastica alia sacra, alia religiosa, alia pia vocant: inter sacra inprimis censentur 669) ecclesiæ 670) Religioni christianæ quoad rem ipsam jam coævæ. Hodie 671) earum exstructio nonnisi 672) ex justa caussa, et ad modum jure canonico determinatum, 673) cum auctoritate Superioris ecclesiastici et aliorum, quorum interest, consensu; 674) adsignata dote congrua fieri debet. 675) Ecclesiæ exstuctæ deinceps sartæ servandæ, reparandæque tum ex bonis fabricæ, ut vocant, tum sumtibus eorum, qui inde fructus, et commodum percipiunt. 676) Ecclesiæ recens aut majori ex parte de novo exstructæ, consecrandæ sunt, aut benedicendæ: 677) consecratio ab Episcopo, benedictio a Presbytero potestate delegata perfici potest: 678) modus earum et adjuncta in Rituali Rom. describuntur. 679) Per consecrationem ecclesia sacra, et ad actus sacros apta efficitur manetque, quousque execratione aut pollutione, quæ variis modis contingit, inepta reddatur.

ARTICULUS II.

De Cœmeteriis, et Sepultura ecclesiastica.

§. 680) De Cœmeteriis et sepultura 681) plura advertenda: 682) Sepultura ecclesiastica fit in loco sacro sacrisque cum ritibus; unde 683) plures, qui a sacris, itidem a sepultura ecclesiastica excluduntur. In dubio Episcopus dicit sententiam. 684) Jus sepulturæ in regula ad parochias restringitur; quare in

pa-

parochia est sepelendus, qui alibi sepulturam specialem non habet, aut non elegerit, quod etiam filiofamilias puberi integrum est; modo Parocho quarta funeralis, aut id, quod consuetudo habet, solvatur. 685) Vi privilegii Regularibus pluribus jus sepulturæ competit.

ARTICULUS III.

De sacrorum, ac religiosorum Locorum Immunitate, speciatim de jure Asyli.

§ 686) S. locorum immunitas singulari inviolabilitate, reverentiaque, et jure asyli potissimum continetur. 687) Asylum ecclesiasticum jam antiquissimum variis deinceps modis tum a sacra, tum a profana potestate est determinatum; 688) inde plura colligimus: 689) Jus asyli observantiæ et Principum pietati maxime debetur; 690) eo jure gaudent ecclesiæ, loca religiosa, cœmeteria: 691) non tamen omnes illuc confugientes privilegio asyli perfruuntur. 692) Juris asyli moderatus usus non videtur rejiciendus. 693) Caussæ de jure asyli sub diversa ratione ad ecclesiasticum, et civile forum pertinent.

CAPUT III.

De Rebus ecclesiæ temporalibus, et bonis ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De Bonis ecclesiasticis, speciatim de Oblationibus, Primitiis, Decimis.

§. 694) Bonorum ecclesiasticorum præcipui seu fontes seu partes sunt oblationes, et decimæ. 695) Oblationum olim fuit, 696) hodieque est varium genus: 697) quæcunque eæ sint, secundum donantis

 mentem

mentem, aut ecclesiæ leges sunt adplicandæ. 698) Primitiarum olim receptus usus hodie fere exolevit. Dantur autem hodieque 699) decimæ. 700) Quarum multiplex est species 701) Amplissimam de his materiem paucis punctis concludimus: 702) Decimæ formaliter sumtæ sunt juris mere humani; 703) onus earum non tam fundo, quam fructibus adhæret: unde toties solvuntur, quoties colliguntur fructus etc. 704) Jus decimandi ecclesiasticum, quod ministris ecclesiæ, præcipue Parochis, competit, a laicis præscriptione etiam longissima obtineri nequit: 705) immunitas vero a solvendis decimis privilegio, consuetudine, et præscriptione etc. a laicis potest acquiri. 706) Modus solvendi decimas maxime per consuetudinem. in Bavaria per expressas etiam leges determinatur. 707) Caussæ de decimis ecclesiasticis quoad petitorium ad ecclesiasticum, quoad possessorium nudum ad civile etiam forum pertinent etc.

ARTICULUS II.

De Bonorum ecclesiasticorum Acquisitione.

§. 708) Circa bonorum ecclesiasticorum acquisitionem hæc notanda: 709) Personæ et communitates ecclesiasticæ per se, nisi specialis lex obstet, cujusvis generis bona per actum sive inter vivos, sive mortis caussa acquirere possunt: 710) in acquirendis autem bonis omnes legibus communibus et patriis subjiciuntur: 711) vi privilegii tamen 712) donationes piæ etiam absque expressa acceptatione jam validæ sunt; et 713) testamenta ad pias caussas etiam absque solennitatibus; item legata pia, in testamento ob deficientes solennitates infirmo contenta, valent; et a falcidia vulgo eximia sunt. 714) Denique jure communi clerico intestato in bonis ecclesiasticis ecclesia, monasterium in omnem professi hæreditatem succedit.

ARTICULUS III.

De Bonorum ecclesiasticorum Administratione, Alienatione.

§. 715) Bonorum ecclesiasticorum administratio non semper fuit uniusmodi; et hodieque diversi dantur Administratores, superiores, subordinati etc. 716) Aliud autem generatim omnium, præsertim superiorum, 717) aliud est speciatim subordinatorum administratorum officium. 718) Regulariter administratoribus alienatio bonorum ecclesiasticorum tum per canones tum per leges prohibita est: 719) atque ex canonum præscripto 720) res quidem mobiles non pretiosæ, aut aliæ exigui prætii, in bonum ecclesiæ alienari queunt; 721) ad res autem sacras, pretiosas, aut immobiles alienandas justa gravisque caussa, 722) debitæ solennitates, consensus Capituli vel Superioris ecclesiastici. et ubi consuetudo habet, etiam Superioris politici etc. requiruntur. 723) Alienatio heic sensu largiori accipitur, eoque nomine omnis contractus, quo ecclesiæ deteriorem in statum detruduntur, venit: hinc ei accensentur 724) non modo contractus gratuiti: donatio, mutuum, commodatum ad tempus longius, fideijussio etc., sed etiam 725) contractus onerosi, permutatio, venditio, diuturna locatio, concessio novi feudi, novæ emphiteuseos, impositio servitutis, concessio ususfructus, constitutio pignoris, aut hypothecæ specialis, transactio etc., demum 726) verosimilius repudiatio hæreditatis, legati, donationis, et cessio actionis. 727) Alienatio illegitime facta ecclesiam non obligat, sed pro foro utroque nulla, 728) variisque pœnis est obnoxia: 729) unde sic alienata a Prælato, Capitulo, immo quavis persona ecclesiastica revocari possunt.

JURIS ECCLESIASTICI PRIVAT

SECTIO III.

De Judiciis, Delictis, Pœnis ecclesiast

CAPUT I.

De Judiciis ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De Judicio ecclesiastico generatim.

§. 730) Præmissa judicis, judicii, processus, notione, 731) judicii variæ species, 732) part gradus, seu instantiæ, 733) tribunalia item eccl tica præcipua recensentur.

ARTICULUS II.

De Personis in Judicio occurrentibus.

§. 734) Personæ in judicio aliæ necessario et per, uti judex, actor, reus; aliæ sæpe occurrunt adsessores, notarii, advocati, procuratores etc. de primum. 735) Judex ecclesiasticus vel ordinariu delegatus 736) dotibus tam ex parte intellectus, q voluntatis ad officium judicis rite explendum ne riis sit instructus, et 737) competens vel jure narío, nempe ratione domicilii, quasi domicilii, tractus, delicti, vel rei sitæ; 738) vel ex titulo spe ex privilegio, prorogatione, continentia caussæ 739) Officium judicis aliud est generale, aliud sp le, hocque vel nobile, vel mercenarium etc. I gatus ad normam delegationis, aut, si specialis præscribatur, ad normam juris communis proc ten

ur. 740) Judex ordinarius in omnibus territorii ocis per se vel delegatum jus in prima instantia e potest. 741) Delegatus ad universitatem caussa- quasdam ex his potest, delegatus ad certam am hanc nequit subdelegare etc. 742) Potestas is delegati, quæ re adhuc integra nondum cen- efficax, variis modis exspirat. 743) Agere et eniri in judicio ecclesiastico possunt omnes, e. g. ati, si jure, vel natura non prohibentur. 744) A ere advocati, qui sint viri juris periti, probique ligentes, plures jure canonico excluduntur, uti tici, infames, ad hoc munus inepti etc. 745) uratoris, pro eo, ac est generalis aut specialis, nandato munitus cum clausula: cum libera, va- st potestas; quæ item variis exspirat modis. 746) icus universalis majoris momenti nihil absque ali mandato universitatis agere potest etc.

ARTICULUS III.

is, quæ fiunt ante Contestationem litis, de Libello, Citatione, Contumacia, Exceptionibus, et ipsa litis Contestatione.

. 747) Libellus, cujus diversæ sunt species, na- judicis, actoris, rei, caussam petendi in actione proximam, in personali saltem remotam conti- ; nec post litem contestatam vulgo mutari potest. itur 748) citatio rei, per quam rite conceptam, sinuatam lis pendere incipit, judicis delegati ju- tio redditur efficax, et præscriptio interrumpitur. Contumacia tum actoris tum rei varios producit us. 750) Exceptiones etiam reus suas probare ur etc. 751) Inter eas eminet præscriptio, 752) rite inchoata, continuata et completa 753) do- um etiam pro foro interno transfert, et præscri- m perpetuo tutum reddit: 754) præscriptionem n quædam impediunt, quædam suspendunt, quæ interrumpunt, quædam rescindunt. 755) Ubi

desunt

desunt exceptiones litis ingressum impedientes, fieri debet litis contestatio: unde 756) animus litigandi coram judice non ambigue debet significari; quo facto actio fit perpetua, et ad hæredes transit, nec recusatio judicis vulgo locum habet.

ARTICULUS IV.

De his, quæ post litis contestationem fiunt, de Probationibus per Confessionem, Instrumenta, Testes, Juramenta, de Dilationibus.

§. 757) Lite contestata descenditur ad probationem, 758) quæ regulariter actori, aut affirmanti etiam reo incumbit. Probationum variæ sunt species: 759) evidentia aut notorium, fama, inspectio ocularis, 760) præsumtio, 761) confessio, 762) attestatio seu depositio téstium (horum tamen quidam inhabiles sunt absolute, alii intuitu certarum personarum, aut caussarum;) 763) instrumenta, 764) jusjurandum, 765) quod si fit contra bonos mores, invalidum est, at si vi injusta extortum, non obligat ad præstandum promissum. Notandum 766) juramentum litis decisorium, necessarium, aut voluntarium, quod rite delatum aut præstari, aut referri debet, et præstitum vel recusatum varios parit effectus: 767) Juramentum calumniæ generale et speciale, seu malitiæ, si exigatur, necessario præstandum est; potest tamen tacite, non item expresse remitti etc.

ARTICULUS V.

De Sententia et Remediis contra eam.

§. 768) Probationes conclusio in caussa, et hanc sequitur 769) sententia judicis, quæ non impugnata in rem judicatam abit. 770) Rei judicatæ vis in foro externo mira est; non tamen victorem, qui ante præscriptionem in rei alienæ notitiam venit, a restitutione

tione rei sibi adjudicatæ in foro interno excusat. 771) sententiam non impugnatam sequitur executio, quæ a caussa reali statim, in personali intra quadrimestre, vel ad judicis arbitrium fit: 772) ea tamen sæpe vel ex parte e. g. privilegio competentiæ, vel ex toto impeditur e. g. restitutione in integrum, adpellatione. 773) Adpellatio 774) in regula a quovis gravato, in caussis vulgo omnibus, et a judicibus inferioribus omnibus fieri potest. 775) Est autem rite interponenda, et petitis apostolis recte introducenda apud judicis inferioris in hac caussa Superiorem. 776) Adpellatio effectum habet jam suspensivum, jam devolutivum, jam utrumque, et caussam ad eam, qui ante litis contestationem fuit, statum reducit etc. 777) Remedium extraordinarium contra sententiam est restitutio in integrum, quæ minoribus, et, quæ horum juribus utuntur, ecclesiis etiam contra alias ecclesias conceditur: attamen intra quadriennium a tempore factæ, vel cognitæ saltem læsionis petenda est etc. 778) Eidem adfinis est revisio petenda in iis caussis, qui adpellatio locum non habet.

ARTICULUS VI.

De Reconventione, de Processu summario, et de Compositione litium extrajudiciali per Transactionem vel Arbitrium.

§. 779) Reconventio alia propria, alia impropria dicitur; illa simultanei processus effectu gaudet, hæc prorogationem saltem jurisdictionis necessariam operatur. 780) In processu summario reliquis omnibus omissis substantialia solum servantur. 781) Sunt porro caussæ summariæ aliæ per se, aliæ per accidens tales. 782) Processibus summariis accensetur possessorium; licet autem jure canonico possessorium summarium, et ordinarium, item petitorium cum possessorio cumulare. 783) Extrajudicialis litium compositio

positio fit vel per conventionem, vel per arbitr
784) Conventionalis compositio gratuita aut oner
seu transactio solum in rebus privati arbitrii,
absque damno tertii locum habet, et jus intuitu
eiscentium, non vero inter alios facit, regulariterq
actionem de caussa transacta impedit. 785) Qui
dices esse, iidem et arbitri eligi possunt ab iis,
liberam rerum administrationem habent. Arbitrori
autem potestas ad caussam et compromissi formul
restricta est, lapsuque temporis, arbitrorumq
morte, vel dicta sententia etc. finitur.

CAPUT II.

De Judicio criminali, Delictis, Pœnisq ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De judicio ecclesiastico criminali generatim.

§. 786) Ecclesia pollet jurisdictione criminali, 78
qua jam amplissima primis suis seculis usa est, forı
tum quidem perquam simplici; 788) quæ subin i
est immutata, ut hodie parum a modo judicii cr
minalis politici sit diversa. 789) Crimina eodem fe
me modo ad forum ecclesiasticum criminale deducu
tur, nempe 790) per accusationem, quæ ab ip
accusatore præsente fieri debet, 791) per denunti
tionem evangelicam, aut judicialem; quarum illa s
tem obligationem crimen probandi conjunctam n
habet; 792) per inquisitionem generalem vel speci
lem, 793) quam processus criminalis sequitur ex j
ris canonici præscripto finiendus.

ARTICULUS II.

De Pœnis ecclesiasticis.

§. 794) Detectis per criminalem processum delictis pœnæ congruentes infliguntur; quæ quidem si positivæ sint, aut juris jam quæsiti privativæ, exceptis censuris, sententia saltem declaratoria opus habent. 795) Inter ecclesiæ pœnas præcipue sunt censuræ, de queis generatim notanda 796) eas ferendi potestas, caussa, forma, caussæ ab iis excusantes, absolutio. 797) Inter censuras primo occurrit excommunicatio 798) minor, et 799) major, cujus divisiones, caussæ, effectus attendendi; eas ferendi facilitas non probanda. 800) Interdictum, cujus sat tristes sunt effectus, locale nisi ob caussam generalem, personale nisi ob gravem publicamque culpam ferri nequit etc. 801) Suspensio item nisi ob gravem culpam, et in communitatem, nisi ob delictum commune, ferri non potest etc. 802) Inter pœnas vindicativas clero proprias privatio beneficii, depositio, degradatio, irregularitas ex delicto veniunt: præter eas ecclesia quoque pœnitentias etiam externas, privatas et publicas jure proprio, item temporales quoque ac civiles quasdam pœnas favente observantia infligit.

ARTICULUS III.

De delictis ecclesiasticis aliisque.

§. 803) Delicta varii varie dividunt: ad ecclesiæ forum maxime spectant, pœnisque ecclesiasticis castigantur, quæ directe, et proxime bonum religionis, et ecclesiæ lædunt, qualia sunt: 804) infidelitas, quæ quum infideles per baptismum ecclesiam non sint ingressi, ecclesiasticis pœnis haud subjicitur. 805) Apostasia a fide, ab ordine regulari, a statu clericali: 806) hæresis item maxime formalis, et externa variis pœnis castigantur, quarum tamen pleræque in Protestantes Germaniæ locum non habent: 807) Schismaticorum

purum, vel hæresi conjunctum: 808) Simonia, q
nec contraria praxi, nec obtentibus aliis potest e
cusari, 809) variis modis committitur, et 810) si
realis, aut confidentialis mixta, vel etiam verosin
lius solum conventionalis mixta, commissa circa i
gressum religionis, ordines, et beneficia, gravissi
pœnis coercetur. 811) Alia crimina Religioni proxi
adversa, de quibus jus canonicum meminit, su
Blasphemia, Divinatio, sortilegia etc. 812) Cet
delicta contra secundam Decalogi tabulam sunt,
813) vitæ exitiosa aut periculosa, uti homicidiu
parricidium, abortus procuratio, expositio infantu
Torneamenta, Duellum, vel 814) fidei publicæ, f
mæ, et honori aliorum adversa, velut crimen fal
perjurium, calumnia, collusio etc. vel 815) bo
aliorum et fortunas lædentia, nempe furtum, rapir
sacrilegium, incendii crimen: vel denique 816) D
licta carnis, adulteria, incestus, stuprum, fornicati
concubinatus; queis in jure canonico certæ pœ
dictantur.

PARS



PARS II.

JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM.

SECTIO I.

DE PERSONIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De Personis Ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De Requisitis et Impedimentis Status et Ordinis ecclesiastici seu clericalis.

§. 404.

1) *Status hominis* generatim in collectione determinationum, quæ homini actu insunt, consistit. 2) *Status moralis in specie* per jura quibusdam competentia, et obligationes eorum determinatur, recteque jurium, ac obligationum, quæ in subjecto quodam ut existente sumuntur,

tur,

tur, complexus definitur. (a) 3) *Status ecclesiasticus* sensu latiori acceptus per jura et obligationes omnibus fidelibus, seu omnibus ecclesiæ membris communia constituitur. 4) *Status ecclesiasticus* specialis seu *clericalis*, de quo heic solum agimus, est complexus obligationum, et jurium Clericis, seu iis propriorum, qui speciali ritu sacro ad sacrum ministerium, ac ecclesiastica munia consecrati, vel initiati, singulari modo in sortem Domini adlecti et in altiorem præ laicis gradum evecti, (§. 49.) horumque Duces, Magistri, atque exemplar sunt constituti.

§. 405.

Ad quemcunque statum recte non admittitur, qui, quod vitam statui illi congruentem vivere, et obligationes status exequi *possit velitque*, fidem nullam fecit; seu qui aut *dotibus* ad exequendas status obligationes, aut *voluntate* illas exequendi destitutus merito creditur. Igitur multo minus ad *statum* tam sublimen *Clericorum* admitti potest, qui aut 1) *dotibus* huic statui necessariis destituitur, aut 2) *defectibus* eidem statui contrariis laborat, aut 3) ad eum statum ex alia quam *pietatis* et religionis, ad quam per se ordinatur, caussa anhelat. (b).

§. 406.

(a) Cf. Daries jurisp. univ. præcog. J. nat. et gent. c. 1 §. 2. seqq. Wolf. Instit. jur. nat. P. I. §. 96. Schelle prakt. Philos. P. I. pag. 152. et P. Navig. Mayr Præcognita. gener. Jurispr. univ. sect. I. §. 6. seqq.

(b) Vid. I. Timoth. III. 10. V. 22 Trident. Sess. 23. c. 14 de reform.

§. 406.

Sane *Status Clericorum* pro fine sibi habet præfixa 1) religionis ac pietatis specialis exercitia, 2) liturgiæ sacræ dignam administrationem, 3) fidelium ceterorum tum per verba tum per exempla instructionem, denique 4) regimen, directionem ad curam animarum. Ad hæc autem munia vel aliqua, magis ad omnia rite exequenda singulari virtute, scientia, prudentia, scilicet *qualitatibus* non vulgaribus opus esse nemo non videt. Porro qualitates istæ nec uno die acquiruntur, nec cum ipsius status susceptione quasi infunduntur. Quare tum universim ante susceptum statum clericalem, tum denuo ante quoslibet ejus gradus *præparationem* *) esse pernecessariam, quis inficiari ausit?

*) De necessaria hac præparatione multa egregie præcipit auctor libri: *Ratio studiorum, ac vitæ Theologi christiani* etc. qui Bamberg 1775 iteratis typis editus ac libro itidem insigni: *Pastor bonus* etc. adjectus est. In eo agit quinque partibus 1) de præparatione ad studium theologicum per rectam intentionem, et cordis emendationem, 2) de studii theologici ratione ipsa, fontibus ejus, et ordine, 3) de virtutibus Theologi, 4) de officio Theologi, ut se præparet ad verbum Dei prædicandum, ad prælucendum exemplo, ad orandum, et intercedendum pro populo etc. ad sacramenta ministranda, ad animas dirigendas, 5) de vocatione ad sacros Ordines, et ad animarum directionem. De re eadem tum plures SS. Patrum, tum passim Theologiæ pastoralis scriptores aliique bene multi pertractant.

§. 407.

Atque idcirco ecclesia 1) in *admittendis* ad statum clericalem variosque ejus gradus hominibus plurimas *cautiones* et remedia *) semper adhibuit, queis de ordinandi fide, moribus, scientia, et *qualitatibus* certior fieret. Item 2) qualitatis eorum, qui sacris initiandi sunt, certis *regulis* definivit, atque iis dotibus destitutos, tanquam a *regulis* canonicis alienos (c) seu *irregulares* declaravit, et a clericorum ordine aut muniis exclusos voluit.

*) Id genus cautiones ac remedia sunt 1) publicae denuntiationes ordinandorum olim in parochiis factae, 2) testimonia Parochi aut Magistri ordinandorum, 3) sacra seu spiritualia, ut ajunt, per dies aliquot exercitia, ordinibus sacris praemitti solita, 4) scrutinium ante ordinationem, 5) educatio ordinandorum in seminariis, 6) ordinum interstitia etc. de quibus infra sermo redibit. Cf. *Van Espen jus eccl. univ. P. II. tit.* 9. *c.* 4 *et* 5.

§. 408.

Porro *irregulares* seu ad ordines suscipiendos inepti censentur quidam vel ob *delicta* vel ob *defectus.* *) Unde *irregularitas est impedimentum canonicum, quo quis directe ad suscipiendos ordines ecclesiasticos vel ad susceptorum usum*, ac, quod consequens, *ad adipiscenda beneficia*, ut quae ordinum exercitium requirunt, *ineptus redditur*, **) Est autem irregularitas alia 1) ex *delicto*, alia 2) ex *defectu*: utraque 3) vel *totalis*, quae omnium ordinum, vel 4) *partialis*, quae non omnium ordinum susceptionem vel usum impedit:

(c) Ut habet Can. 17. Concil. Nicaen.

lit: 5) *perpetua*, quae de se perpetuo — 6) *temporalis*, quae ad tempus ab ordinibus suscipiendis, vel exercendis arcet.

*) Communior et verosimilior habet opinio, 1) irregularitatem *ex delicto* non nisi per peccatum, in jure expressum, grave, et opere externo completum incurri, 2) illam autem *ex defectu* etiam citra peccatum contrahi; item 3) ab hac nullam ignorantiam, ab illa vero non ignorantiam quidem juris, scilicet an facto adnexa sit irregularitas, attamen ignorántiam facti, quae itidem a peccato absolvit, excusare. Ceterum 4) irregularitas, nisi in casibus *jure expressis*, non incurritur. (d) Unde in *dubio juris*, an delicto vel defectui adnexa ea sit, neminem se pro irregulari gerere debere recte statuitur. 5) Atvero neque in *jure exprimitur*, in *dubio facti* pro irregularitate esse standum, nisi tunc quum homicidium seu mors sit certa dubiumque sit de persona committente; (e) ex quo multi colligunt, in aliis, excepto homicidio, etiam dubiis facti, neminem irregularem habendum esse; tum a) quod in odiosis benigniora sint sequenda, tum b) quod specialis indecentia in homicidio occurrens, in aliis casibus absit (f), atque c) etiam heic simul *dubium juris* adesse videatur: ut proin vel in utroque dubio et juris et facti, vel in neutro irregularitas sit adstruenda. Neque tamen suis, qui contraria sentiunt, rationibus destituuntur.

**) Dicimus 1) *ad beneficia*, nempe ad omnia, si irregularitas totalis est; sin, ubi e. g. ad aliquos solum ordines, quos beneficium haud requirit, suscipiendos vel exercendos ineptus quis fuerit. Dicimus 2) ad beneficia *adipiscenda*; eoquod a) irregularitas ex defectu non privet beneficio jam *ob-*

 tento

(d) C. 18 de sent. Excomm. in 6.
(e) C. 12. 18 et 24 de homicid.
(f) Cf. Van Espen Jur. eccl. univ. P. II, tit. 10, c. 7. n. 24 seqq.

tento, imo b) verosimilius nec ex delicto irregularis beneficio rite antehac possesso excidit ipso facto: sed de eo primum per judicis sententiam dejiciendus est. Debebit tamen ejus generis possessor petere dispensationem, eosque, quos per irregularitatem exercere nequit, ordinum actu et obligationes per alium interea supplere. *Arg ex cap* 5. *ne clerici vel Monachi*, *ex c.* 10. *de excessib. Prælat. et c.* 1 *de homic. in* 6.

§. 409.

Irregularitas ex delicto primævæ ecclesiæ adeo non fuit incognita, ut latius etiam, quam hodie, pateret: etenim quondam gravioribus quibusvis post baptismum commissis criminibus, etiam occultis, irregularitas adnexa censebatur, quæ paullatim et maxime seculo XII. ad certa solum, et plerumque manifesta crimina restringi cœpit. (g) Hodie *irregularitas ex delicto* contrahitur I. propter abusum *baptismi*, II. propter abusum *ordinationis* et III. *ordinis*, IV. propter *hæresin* etc. V. propter *homicidium* vel mutilationem. *)

*) Nempe *irregulares* hodie sunt I. propter *abusum baptismi* 1) scienter et absolute alium rebaptizantes; vel 2) se ita rebaptizari passi; 3) in tali baptismo ministrantes; siquidem de hoc publice constet; (h) 4) ab hæreticis sine necessitate baptismum recipientes; (i) 5) baptismum ad infirmitatis periculum differentes. *Clinici* dicti. (k) II. Ob *abusum*

(g) Cf. c. 9. Dist. 50 c. 9. concil. Nicæn. Van Espen Jurisp. eccles. univ. tit. 10. c. 6 et præcipue Thomassin de V. et N. discip. P. 2. l. 1 c. 56 seqq.

(h) C. 2 de apost. et reit. bapt. c. 56 dist. 50.

(i) C. 18 caus. 1 q. 1.

(k) C. un. dist. 57 Cf. Thomassin P. 2 l. 1 c. 86.

usum ordinationis 1) *furtive* ordinati, id est, qui ab Episcopo ad ordines non probati, non admissi, ordinandis tamen se immiscent, et ordinantur: hi ad altiores ordines promoveri nequeunt: (l) 2) ordinati *per saltum*, seu qui omisso ordine inferiore altiorem recipiunt; 3) duos *majores* ordines una die recipientes, (m) 4) qui ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, deposito, hæretico, schismatico, aut ab eo, qui dignitati suæ renuntiavit, ordinari se sinunt, aut 5) qui majore excommunicatione irretiti S. ordines suscipiunt. (n) III. Ex *abusu ordinis*, seu ordinem male exercendo 1) Clerici in ordine sacro, quem nondum recepere, solenniter ministrantes, (o) 2) Clerici excommunicati, suspensi, aut interdicti ante absolutionem ministrantes aut divina celebrantes; vel 3) celebrantes in loco interdicto. (p) IV. *Propter hæresin* 1) hæretici, apostatæ a fide, schismatici, 2) eorum fautores, credentes, defensores, (q) 3) hæreticorum etiam nepotes ex parte patris, ex matris parte solum filii, nisi eorum parentes ad sinum ecclesiæ redierint; (r) istud tamen intuitu religionum toleratarum in Germania non obtinet; quamvis curia romana tales absque dispensatione ad ordines admit-

(l) C. 1 de eo, qui furtive.

(m) Tit. de cleric. per salt. promot. c. 13 de temp. ordin.

(n) C. 2 caus. 9 q. 1 et c. 1. 2. de ord. ab Epis. qui renunt. c. 32 de sent. excomm.

(o) C. 1 et 2 de cleric non ordinat. minist.

(p) C. 7 causs. 11 q. 3 c. 1 de sent. et re jud. in 6 c. 3 4 de cleric. excomm. ministr. c. 18 de sent. excomm. in 6.

(q) C. 21 caus. 1 q. 7 c. 32 dist. 50 c. 9 de hæret. c. 2 §. 2 de hæret. in 6. Cf. Thomassin l. cit. c. 62 seqq.

(r) C. 15 de hæret. in 6 cf. decret. congr. concil. 21 May A. 1718.

mittere non soleat. V. *Propter homicidium* et *mutilationem* 1) voluntarie occidentes, aut mutilantes aliqem injuste, 2) aut ad id mandato, consilio etc. concurrentes, aut non impedientes occisionem, si teneantur ex justitia, (s) 3) etiam præter intentionem occidentes dando operam rei *illicitæ simul* et *periculosæ*; aut licitæ quidem, debita tamen diligenti ad præcavendum homicidium cautione neglecta. (t) Aliud est, si mors alterius prorsus ex fortituto casu etiam per illicitam actionem eveniente, aut ex necessaria et moderata defensione sequatur, (u) 4) seipsos exscindentes aut exscindi libere passi: immo se vel digiti parte voluntarie mutilantes: (x) 5) procurantes abortum fœtus animati, (y) 6) dubitantes, num mors, reapse sequuta, suo, an aliorum facto evenerit, (z) »Heic reprobandus est quorumdam »scrupulus, qui vulnerato vel ægroto subvenire »recusant levando, ne si fortassis inter eorum »manus exspiret, ipsi accelerasse mortem, et propterea irregulares censeantur. Si enim irregularitas oritur ex lenitatis defectu, sane ex ejus »contrario, scilicet ex ipsa lenitate, actu misericordiæ et charitatis christianæ oriri non potest, »nec est verosimile, quod Pontifices voluerint per »introductam irregularitatem tollere caritatem. P. »Engel J. C. P. V. tit. 12 n. 48. Interim, ut idem inquit, excusandi non sunt ab irregularitate, qui licet imperiti (nisi in casu extremæ necessitatis, et defectu peritiorum) chirurgiam aut medicinam præsertim spe lucri et per modum professionis

(s) C. 6 et seq. de homicid.
(t) C. 7. 10. 13.
(u) C. 13 de homicid. clement. unic. ib. cf Thomassin. l. cit. 68. 70. 75. 79. 82. seq.
(x) C. 45 6 dist. 55.
(y) C. 20 de homicid.
(z) C. 28 ibidem.

nis exercent; imperitia enim culpæ annumeratur in his, qui artem aliquam profitentur. Engel. l. c.

§. 810.

Irregularitas *ex defectu* olim minus, quam hodie, late patens itidem multiplex est, scilicet *ex defectu* I. *animi*, II. *natalium*, et *famæ*. III. *corporis*, IV. *ætatis*, V. *sacramenti*, VI. *lenitatis*, VII. *libertatis*, VIII. *tituli*. *)

*) *Irregulares* sunt I. Ex *defectu animi et sanitatis* 1) infantes, amentes, furiosi, epileptici, lunatici, dæmoniaci: (a) 2) illiterati seu scientia ad eum ordinem requisita destituti; (b) 3) neophyti, nondum in fide sat probati: (c) II. ex defectu *natalium* et *famæ* 1) olim soli Presbyterorum filii, deinceps per consuetudinem omnes illegitimi, nisi per subsequens forte matrimonium legitimentur, magis, qui sunt spurii, seu ex incerto patre generati, aut alii ex damnato coitu, adulterio, incestu etc prognati; (d) 2) filii hæreticorum, de quibus (§. præc. n. 4) diximus: 3) alii infamia juris, vel facti laborantes, donec fuerit reparata: (e) III. *ex defectu corporis* 1) ea corporis deformitate notati, quæ multum offensionis habeat, quæ horrorem vel risum moveat, (f) 2) debilitati quoad usum membri, quod, ad ordinis usum necessarium est, e. g. cæcus, mutus, oculo canonico captus: (g) IV. ex *defectu ætatis*, nondum adepti annum

(a) C. 3 et seq. dist. 33.
(b) C. 1 seq. dist. 36 cf. Thomassin. P. 2. L. 1. c. 88 seqq.
(c) I. Tim. III. 6 c. 4 dist. 61.
(d) C. 1 de fil. Presb. et c. 1 ibid. in 6 Cf. Van Espen Jur. eccl. univ. P. II. tit. 10 c. 3.
(e) C. 17 causs. 6 q. 1 c. 5 dist. 51.
(f) C. 13. dist. 55. c. 2. et ult. de corp. vitiat. Van Espen.

num saltem *inchoatum* 1) XXII. pro subdiaconatu, 2) XXIII. pro diaconatu, 3) XXV. pro presbyteratu, 4) XXXI. pro episcopatu. (k) Ex *defectu sacramenti* bigami sive 1) *bigamia* sit *vera*, quando quis cum duabus successive consumat matrimonium, (i) 2) sive bigamia sit *interpretativa*, quum quis consummat matrimonium cum uxore una quidem, sed quam viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonium assumserit; vel si duas simul ducere tentat, et ceu uxores cognoscit; (k) sive 3) bigamia sit *similitudinaria*, quum quis post votum solemne religionis vel susceptionem S. ordinis tentat contrahere matrimonium, et consummat: (l) VI. ex *defectu lenitatis* 1) 2) exercentes aliquam Ministri justitiæ, primarii vel secundarii actionem, quæ ad quenquam occidendum vel mutilandum in specie propius ordinatur, et non solum generatim et remote. Unde non sunt irregulares legem capitalem ferentes, jurisdictionem criminalem alteri demandantes, cudentes ensem, funem nectentes, (m) nec Clerici *civiliter* solum ob compensandum damnum sibi illatum, vel rem suam recuperandam etc. cum protestatione contra vindictam sanguinis quemquam accusantes, nec Episcopi, qui Clericos pro enormi crimine degradatos curiæ sæculari puniendos tradunt, quos certe necandos sciunt, modo exterius

(g) C. 6 ibid. et c. 2 de clericis ægrot.

(h) Trid. sess. 1 de reform. c. 1. et sess. 23. de reform. c. 12. item c. 7 de Elect. clem. 3 de ætat et qualitat. ordin.

(i) C. 1 et 2 dist. 34 et c. 14 dist. 34 et Thomassin L. cit. c. 78. 80 seqq.

(k) C. 2 dist. 33 c. 9 dist. 34 c. 1. 3. 4. de big. non ord. Cf. Espen L. cit. c. 2 n. 20.

(l) C. 4 de Cler. conjug. c. 24 causs. 27 q. 1.

(m) C. 29 et 30. causs. 32. q. 8. c. 25 de homicid. et c. 2. ibid. in 6.

terius intercedant. (n) Contra *irregulares* sunt 2) occidentes aut mutilantes aliquem in bello etiam justo, nisi occurrat necessaria defensio *propriæ vitæ*: 3) in bello autem injusto pugnantes omnes irregularitatem contrahunt, si vel unus adversa ex-parte occidatur aut mutiletur. (o) VII. ex *defectu libertatis* 1) uxorati uxore invita, vel in cœlibatu vivere nolente; (p) 2) servi sive originarii sive adscriptii, sive bello capti; homines proprii, nisi obtineatur consensus Domini, (q) 3) curiales procuratores, tabelliones, curatores, aliique ad reddendas rationes adhuc obligati: (r) VIII. ex *defectu tituli* ad sacros ordines promoveri nequeunt 1) carentes *titulo* a) *patrimonii*, b) *religiosæ professionis*, aut paupertatis, ut ajunt, c) *beneficii* vel *mensæ*, (s) de quo paulo post recurret mentio.

§. 411.

Ceterum *irregularitas* 1) ex defectu temporali e. g. ætatis, scientiæ etc. proveniens, ex defectu sublato *cessat*; 2) ex defectu natalium orta per professionem religiosam abstergitur relate ad S. ordines tantum, non ad dignitates adipiscendas (t) 3) alia omnis, quæ juris humani est, irregularitas per dispensationem *) *tollitur.*

*) Potest *dispensare* 1) Pontifex in omni irregularitate per jus humanum inducta, 2) Episcopus in irre-

(n) C. 2 de homicid. in 6 Cf. Espen l. cit. c. 4 n. 11.

(o) C. 6. 24 de homicid. c. 1 dist. 51 Clem. unic. de homicid.

(p) C. ult. de temp. et qualit. ordin. in 6.

(q) C. 12. 21 dist. 54 et tit. de servis non ordin.

(r) C. 12. 3. dist 51 et 53 totam c. un. de oblig. ad ratioc. Cf. Thomassin l. cit. c. 66—67.

(s) C. 2 et ult. de Præbend. et dignit.

(t) C. 1 et ult. de fil Presbyt.

» irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex » delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ » oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis » deductis ad forum contentiosum. « Item 3) Episcopus illegitime natum ad ordines minores et simplex beneficium indulgenter poterit admittere (w), atque 4) Presbyteros, qui nuptias illicitas invalidasque contraxere, post longam pœnitentiam, officio suo potest restituere. (x) 5) Orto fors dubio, an corporis vitium sit aut non sit ejusmodi, quod irregularitatem inducat, Episcopi est declarare (y) Tandem 6) etiam, ubi casu fortuito, aut necessariæ defensionis gratia homicidium esse commissum dicitur; res severo Episcopi examini subjicienda est. (z) Siqua enim alia, certe, ex homicidio voluntario orta irregularitas difficilius solet etiam Pontificis dispensatione tolli. *Cf. Van Espen Jur eccl. univ. P. II. tit.* 10 *c.* 7 *n.* 29 *seqq. Thomassin l. cit.*

ARTICULUS II.

De Ordinatione Clericorum.

§. 412.

Ii, qui requisitis qualitatibus præditi (§. 405 seq.) ab impedimentis canonicis (§. 408. seq.) sunt immunes, ad ecclesiastica munia solenni ritu initiantur, et consecrantur. Sacra ceremonia, per quam quis ex laico fit Clericus, aut ex inferiore

---

(u) Trid. sess. 24 c. 6. de Reform. cf Böckhn. comm. in J. can. Lib. 5. tit. 15. n. 51 seqq.

(w) C. 1. de fil. Presb. in 6.

(x) C. 4 de cler. conjug.

(y) C. 2 de corp. vitiat. vid. Van Espen Jur. eccl. univ. P. II. tit. 10 c. 5 n. 14 seqq.

(z) Sess. 14 c. 7 de reform.

riore clericatus gradu ad altiorem evehitur, *rdinatio* dicitur. Porro ordinationem in maoribus ordinibus esse N. L. Sacramentum, aliaue circa hanc rem dogmata ceu a Theologis lemonstrata heic sumimus, iisdemque relinquinus, de iis solum, quæ fori nostri arbitramur, aucis acturi, scilicet I. de *ordinationis Ministro*, I. prævio *examine*: III. de *tempore*, IV. *loco*, *V*. *requisitis*, et VI. *effectibus ordinationis*.

*) *Ordines* alii sunt 1) *majores* seu sacri, nempe *episcopatus*, *presbyteratus*, *diaconatus*; et ex noviore ecclesiæ disciplina (a) etiam *subdiaconatus*, alii sunt 2) *minores*: *ostiariatus*, *lectoratus*, *exorcistatus*, *acolythatus*, ad quos suscipiendos præparat *tonsura*. Cf. §. 43. seq. et Van Espen jur. eccl. univ P. 2. tit. 9. c. 1. Thomassin P. I. l. 2. 29. seqq.

§. 413.

Quod I. ad *Ministrum ordinationis* adtinet, omnium Catholicorum confessione, quod itidem Theologi demonstrant, 1) *ordinarius* minister est Episcopus; 2) jure *extraordinario*, et vi privilegii in corpore juris clausi (b) Abbates sacerdotes, solenniter benedicti, et usu pontificalium ornati, suis subditis regularibus professis tonsuram et ordines minores conferunt *) item Cardinales Presbyteratus ordine insigniti in ecclesia sui tituli. (§. 222.).

*) Hanc

(a) A sec. 13 per Innocent. III. cap. 9 de æt. et qual. ordinand.

(b) C. 1 et 2 dist. 69. et c. 11 de æt. et qual. ord. c. 3 de privil. in 6. Trid. sess. 23 c. 10 de reform. Cf. Barthel de jure et jurisdict. Abbat. c. 2.

Hanc potestatem, inquit Espen, (c) Abbatibus jam pridem competiisse ex can. XIV concilii Nicaeni II sive septimae compertum est, ut in quo statuitur: Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli unicuique Abbati facere, si ad ejus praefecturam ab Episcopo manuum impositio fiat ipsi Praefecto, qui scilicet et ipse est Presbyter . . . Ex quo non obscurum est, eo tempore licuisse omnibus monasteriorum Praefectis Lectoratum in suo monasterio conferre . . . modo Presbyteri ab Episcopo essent ordinati. Neque enim de alia manuum impositione hic agi, et contextus canonis satis insinuat, et Balsamon caeterique graeci commentatores uno consensu scripserunt. Et revera tempore hujus Synodi, id est, saec. VIII. nondum *solennis* illa, quae postmodum una cum pontificalium usu invaluit, *Abbatum benedictio* fiebat, Ita Van Espen l. c.

§. 414.

Licet vero Episcopus quivis rite consecratus ordines valide conferat; tamen, quum potestas Episcoporum ad dioeceseos suae limites *) sit adstricta (§. 58.) et legibus tum divinis, tum ecclesiasticis subordinata: *licite* non suscipiuntur ordines, nisi 1) ab Episcopo intuitu ordinati proprio, **) 2) in ecclesiae Romanae communione constituto, 3) ab irregularitate aliisque impedimentis libero, et 4) regulas ordinandi ab ecclesia praescriptas observante.

*) Jam 1) in apostolicis canonibus, qui licet apogryphi, tamen primorum seculorum disciplinam ex communi persuasione referunt, (§. 78.) severe prohibetur: *ne Episcopus extra terminos suos ordinationes facere praesumat.* (d) Immo 2) canones alii

(c) Jur. eccl. univ. P. I. tit. 31 c. 6 n. 10. seqq.
(d) Can. Apost. 54.

alii antiquissimi id genus ordinationem prorsus (quoad exercitium nempe) *infimam* pronuntiant (e) Item 3) Clericos alibi ordinatos ad ordines majores provehere, quin vel ad servitium suæ ecclesiæ invito proprio Episcopo suscipere sæpe cum anathematis comminatione prohibitum est. (f) Cf. Thomassin P. 2 c. 1 seqq.

**) Porro 1) vi disciplinæ antiquioris is fere *proprius ordinationis Episcopus* censebatur, qui quenquam satis notum aut probatum, unde ortus esset, ecclesiæ suæ servitio volebant adscribere. Titulus autem *domicilii* raro, titulus *beneficii* nunquam occurrit; tum quod beneficium nostro sensu acceptum olim ignorabatur, ipsaque in clerum adscriptio beneficii loco erat; (§. 98.) tum quod absolutæ, nec ad certæ cujusdam ecclesiæ servitium factæ ordinationes essent prohibitæ. 2) Sec. XII finiente Clemens III. (g) primus beneficii et originis titulum probat. 3) Sec. XIII. Bonifacius VIII. (h) titulum *domicilii* profert, seu restaurat. His 4) Tridentina Synodus (i) titulum *triennalis familiaritatis* adjecit. Unde ex hodierna disciplina ordinationis *proprius Episcopus* est 1. *ratione originis* ille, in cujus diœcesi parentes, dum ordinandus nascebatur, domicilium habuere. Siquis autem casu fors extra domicilii paterni locum esset natus, eo casu *nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis* patris

---

(e) E. g. Can. 13 et 22 Concil. Antioch. A. 341. etc. 2. Conc. Cptni. I. A. 381. vid. gratian. causs. 9 q. 2. c. 6. seqq.

(f) Vid. apud gratian. Dist. 71 c. 1 seqq.

(g) Verosimilius Clemens III non IV. c. 1 de temp. ordinand. in 6 nam refertur ad A 1190.

(h) C. 3 de temp. ord. in 6. Cf. Thomassin. P. II. L. 1 c. 1 seqq.

(i) Trid. sess. 23 c. 9 de reform.

patris origo erit adtendenda (k). *II. Ratione domicilii* is est proprius, in cujus dioecesi ordinandus fixam sedem habet adeo, ut vel *per decennium saltem in ea habitando, vel res suas illuc tranferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius quoque casu vere et realiter ejusmodi animum se habere jurejurando affirmet* (l) III. *Ratione beneficii* proprius est Episcopus, in cujus dioecesi ordinandus beneficium ad congruam sustentationem per se sufficiens pacifice possidet: unde, quum nullus nisi saltem tonsuratus beneficium obtinere queat, primam tonsuram nemo, etsi jam a patronis præsentatus, et statim beneficio providendus, nisi a proprio originis aut domicilii Episcopo recipere; et jam ad tonsuram aut minores ordines promotus non nisi prolatis proprii tam originis, quam domicilii Episcopi testimonialibus literis ad ulteriores ordines promoveri potest. (m) IV. *Ratione familiaritatis* proprius censetur, non quidem titularis, sed ecclesiam propriam possidens Episcopus, quocum ordinandus per triennium quasi ejus commensalis fuit commoratus, et a quo statim beneficium est adepturus (n). Demum *proprius ordinandorum Regularium Episcopus* is est, intra cujus dioecesin monasterium aut domus religiosa existit (o): nisi forte specialia privilegia obstent. Hinc porro notanda inprimis, quæ Clemens VIII. (p) et Benedictus XIV. (q) decrevere: scilicet 1) prælati regulares, si dioecesanus abest, vel non est habitu-rus

(k) Innocentius XII. Const. *Speculatores.*
(l) Idem ibid.
(m) Idem ibid.
(n) Trid. sess. 14 c. 2 et sess. 23 c. 9 de reform.
(o) Trid. sess. 23 c. 10 de reform.
(p) Constit. *Demandato.* A. 1596. 15 May.
(q) Constit. *Impositi.* A. 1747. 27 Sept.

rius ordinationes, possunt dare commendatitias literas ad quemcunque Episcopum extraneum, in quibus exprimatur hæc causa absentiæ, vel non futuræ ordinationis, 2) sic dimissus examinandus est ab Episcopo ordinatario quoad doctrinam: » quod qui non fecerint, officii, dignitatis seu ad» ministrationis ac vocis activæ et passivæ priva» tionem ac alias arbitrio ejusdem SS. D. N. Papæ » reservatas pœnas, et quidem, ut Benedictus XIV. declararit, ipso facto incurrent. Dictis, ut idem vult, literis commendatitiis, seu dimissoriis inseri debet authenticum testimonium Vicarii generalis, vel Cancellarii vel Secretarii Episcopi diœcesani, quod ipse vel absit, vel de proximo non sit habiturus ordinationes statuto tempore, sub pœnis iisdem. 3) Privilegia suscipiendi ordines a quocunque iis solum suffragantur, quibus post Tridentinum nominatim atque directe, non vero per communicationem concessa fuerint: vel in forma specifice cum literali veteris indulti insertione dignoscantur confirmata. *Cf. Diss. P. Damascen. Kleinmayrn vetus et nova disciplina de proprio ordinandor. Episcopo. A.* 1765 *et Thomassin P. 2 l. 1 c. 1. seqq.*

§. 415.

Igitur ut Episcopus *non proprius* licite confe-t S. ordines, necesse est, ut ordinandus vel 1) *ivilegium* Pontificis ab alio Episcopo catholico dines recipiendi (S. præc. not. 2.) teneat, vel te 2) *literas dimissorias* *) seu scripto a suis perioribus datam ab alio ordines recipiendi cultatem et testimoniales literas habeat: **) 3) i secus fiat, ordinans a collatione ordinum per nnum, et ordinatus a susceptorum ordinum xecutione, quamdiu proprio Ordinario vilebitur expedire, sit suspensus (r).

*) 1) *Literæ hæ dimissoriæ*, ad effectum suscipiendi ordines ab alieno Episcopo, sunt vel a) *generales*, queis datur facultas subdito; ut a quocunque catholico Episcopo ordinarii queat, vel b) *speciales* queis determinatur Episcopus, a quo ordines recipere liceat. 2) Ab his dimissoriis literis distinguendæ sunt a) *literæ dimissoriales* olim *exeat* inscriptæ, quibus Clerici in catalogum alterius ecclesiæ adscribendi a suo Episcopo dimittebantur (s); quæ hodie *dimissoriales perpetuæ* dicuntur, danturque Clericis alterius diœcesis Clero inferendis: b) literæ *commendatitiæ*, seu *testimoniales*, queis Episcopus de Clerici e. g. peregre abeuntis, aut alibi ordinandi, moribus, fide, probitate testatur: c) literæ *formatæ*, in quibus fit fides publica de collatis cuidam ordinibus.

**) Porro *dimissorias literas concedere potest* 1) *Episcopus* proprius jurisdictione præditus, licet nondum vel consecratus, vel pallio ornatus. 2) *Vicarius generalis* non nisi Episcopo id expresse ei concedente aut in *remotis* agente (t): 3) *Capitulum cathedrale* sede vacante infra annum a die vacationis solis ratione beneficii ecclesiastici arctatis, non aliis Clericis *secularibus*: nam Tridentinum (u) expresse statuit: »Non liceat Capitulis ecclesiarum sede vacante infra annum a » die vacationis ordinandi licentiam, aut literas » dimissorias; seu reverendas, ut aliqui vocant, » . . . alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, » vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, con» cedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens » ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, » si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo

(r) Trid. sess. 23 c. 8 de reform. c. 2 de temp. ordinand. in 6.
(s) Cf. Concil. Carthag. I. c. 5 et Trullan. c. 17.
(t) C. 3 de temp. ordin. in 6.
(u) Sess. 7 c. 10 de reform. Cf. sess. 23. c. 10.

» nullo privilegio clericali, praesertim in crimi-» nalibus gaudeant: in majoribus vero ab exe-» cutione ordinum ad beneplacitum futuri Prae-» lati sint ipso jure suspensi. « 4) *Regulares Praelati* intuitu subditorum Regularium suis in hac re privilegiis etiamnum gaudent, quae non sunt revocata a Tridentino (x), nisi quantum ad *Clericos seculares*, servanda tamen ea, quae a Clemente VIII. (y) et Benedicto XIV. (z) in ea re (Cf. §. praec. not. 2) sunt constituta.

§. 416.

II. *Examen* seu *scrutinium* ordinandorum, quod tum ex ipsa rei indole et gravitate, tum ex perpetua ecclesiae consuetudine semper necessarium habebatur (a), triplex est: Imum uno mense ante ordinationem a Parocho, vel alio per Episcopum delegato faciendum; *) IIdum ab Episcopo ipso proximis ante ordinationem diebus instituendum, **) IIItium in ipso ordinationis actu usitatum, ubi Archidiaconus vel assistens ordinandis Presbyteris vel Diaconis testimonium publice tribuit.

* 1) ad ordines minores solius Parochi aut Magistri ordinandorum sufficit testimonium. 2) Majoribus ordinibus initiandorum nomina, publice in ecclesia, curatiore de eorum moribus ac dotibus inquisitione facta, denuntiari jubet Tridentinum (b). Id tamen hodie in Germania per testimonia a professoribus et scholarum magistris, directoribusve semina-

(x) Sess. 23 c. 10.
(y) Constit. *Demandato*.
(z) Constit. *Impositi*.
(a) C. 2 dist. 24 et c. 5 dist. 61.
(b) Trid. sess. 23 c. 5 et 7 de reform.

minariorum utique pro rei gravitate fideliter danda, suppleri creditur (c).

**) Examen hoc secundum hodieque subire debent ordinandi. Cujus 1) ad *modum* et puncta quod attinet, monet Van Espen (d) ex S. Carolo Borrom. et aliis, illud non sterilibus duntaxat, et speculativis quæstionibus absolvendum; sed de moribus, prudentia, studio S. scripturæ, orationis mentalis methodo, vitæ spiritualis sanctiorisque institutis, scientia, ecclesiasticarum rerum notitia usuque esse adcurate perquirendum. 2) citra tale examen aut Episcopi facultatem ad ordines *furtive* accedens ab exercitio ordinis sic suscepti suspenditur (e); immo si Episcopus pœnam excommunicationis sic accedentibus denuntiavit, excommunicationem Papæ reservatam (f) incurrit.

§. 417.

III. Circa *tempus* ordinationis notandum I. tempus, *quo* ordinatio peragi potest, II. tempus *quod inter ordines* intercedere debet, III. tempus, *quo unus præ altero* gradatim suscipiendus ordo est.

§. 418.

Tempus, *quo* ordinatio fieri potest, est 1) pro suscipienda *tonsura* quævis anni dies, et hora; 2) pro *minoribus*, et quidem pro omnibus quatuor simul continua serie, si Episcopo placuerit, recipiendis designatur tempus matutinum cujuslibet diei dominici et festivi, seu festi, quod in foro a populo etiam celebratur

---

(c) Cf. Van Espen J. E. U. P. 2 tit. 9. de ord. c. 4 num. 19 seq. n. 33. seqq.
(d) Ibid n. 37 seqq.
(e) C. ult. dist. 24.
(f) Tit. de eo, qui furtive ord. suscepit.

bratur (g); 3) pro *majoribus* excepto Episcopatu *ordinibus* semper servato jejunio, et inter missarum solennia conferendis determinata sunt sex Sabbata; scilicet Sabbata quatuor temporum, Sabbatum *sitientes*, seu quod Dominicam Passionis praecedit, et Sabbatum sanctum: nisi forte ordinans vel ordinandus ex privilegio Pontificis ad haec tempora adstrictus non sit. *) (h) 4) Pro *Episcopis* initiandis quivis dies dominicus, aut Apostoli natalitius aptus habetur.

*) Tale privilegium, vel facultas datur Episcopis Germaniae in facultatibus. ita dictis *quinquennalibus*, seu omni quinquennio a S. sede rursus concedi solitis. Quo privilegio non obtento 1) extra tempora *ordinans* canonica censura est corrigendus, *ordinatus* ab ordinis exercitio suspendendus (i), immo jure ipso suspensus, usque dum Episcopus cum eo dispensaverit (k). 2) Attamen si Episcopus electus pluribus ordinibus adhuc sit initiandus: ea tempora ob bonum ecclesiae adtendi non solent. 3) Quodsi tanta ordinandorum sit copia, ut die Sabbati omnes ordinari nequeant, sequenti die dominica, servato tamen iterum ab ordinandis et ordinante jejunio id fieri potest (l).

(g) C. 1 et 3 de temp. ord. et Trid. sess. 23 c. 8 de reform. ita declarat. Congr. Cardinal. teste fagnan. c. 3 hoc tit. n. 42.

(h) C. 2 et 3 de temp. ord.

(i) C. 2 et 8 eod. tit.

(k) Pius II. in bulla. *cum ex sacrorum* et c. 16 de temp. ord.

(l) C. 13 de temp. ord. c. 4. 5. dist. 75.

§. 419.

Temporum intervalla inter ordinem et ordinem interponenda, seu *interstitia* servanda erant multo olim longiora; *) hodie 1) inter *minores* ordines, qui omnes uno die conferri possunt, nulla interstitia plerumque servari solent: 2) inter hos et subdiaconatum; item hunc inter altioresque ordines *annus* ecclesiastice, non mathematice computandus intercedere in regula debet **) Concessa tamen est Episcopis facultas, hoc tempus ex justa caussa coarctandi ita tamen, ut nunquam eidem duos ordines sacros eodem die (m), neque etiam diebus sine medio continuis, continuato licet jejunio (n) conferre possint, eadem, quam supra (§. praec. not. n. 1) commemoravimus, constituta in sic ordinantem et ordinatum canonica pœna (o).

*) Primorum seculorum ea vulgo lex erat, ut Diaconatus anno ætatis trigesimo primum conferetur; subin decurso quinquennio Presbyteratus, et inde post decennium Episcopatus primum posset obtineri. Attamen in hac re haud eadem ubique disciplina viguit, et non raro per Oeconomiam ab ea est recessum. Cf. *Thomassin P. I. L. 2 C. 36 n. 6 discrimen antiquæ recentiorisque in hac re disciplinæ adnotant itidem Morinus de S. Ordinat. P. III. exercit.* 11. *c.* 2. *Van Espen J. e. univ. P.* 2 *tit.* 9. *c.* 5.

**) Tridentinum inter duos *sacros* ordines unius anni interstitia præscribit: hinc 1) alicubi solet eadem

(m) Trid. sess. 23 c. 11. 13, 14 de reform, c, 15 de temp. ord.

(n) C. 13 de temp. ord.

(o) C, 13. 15. eod. Tit.

eodem die cum quatuor minoribus etiam Subdiaconatus conferri. Item a) quum de Episcopatu nihil commemoret S Synodus, eum, qui Presbyteratus ordine die Sabbati initiatus est, consequente mox dominico die Episcopum consecrari posse plures asserunt.

§ 420.

Denique III. *tempore* prior suscipiendus or- est, qui altero *inferior*. A tonsura ad mi- res, ab his ad altiores fiat gradus. Qui præ- rmisso inferiore altiorem suscipit, per *saltum* dinatus dicitur, et 1) alios præter episcopa- m omisso presbyteratu: ordines *valide* qui- em, *illicite* tamen recipit (p); unde sic ordi- tus 2) ab usu ordinis ita suscepti suspendi- r, et 3) si in ordine omisso, aut temere sus- pto, antequam ordo omissus subpletus, et solutio a suspensione fuerit recepta, minis- arit, redditur irregularis (S. 409. n. 3).

*) Huic exceptioni Corrector ac Censor meus Coloniensis hæc obponit; » An qui omisso Presbyteratu Episcopatum suscipit, valide ordinetur in Episcopum? quæri hoc loco potest. Videtur autem » res esse decisa tum ex ipsa rei natura, tum » ex antiqua ecclesiæ praxi, Episcopatum omisso » etiam Presbyteratu valide suscipi. Nam Epis» copatus plenitudo est sacerdotii, a quo ceu » fonte reliqui ordines ceu rivuli dimanent. » Cum Episcopatu proin omnis potestas cujusvis » ordinis confertur. Certe in sublimitate majoris » Pontificis consistit etiam honor minoris sacer» dotis. Dein constat ex oratione XXI Gregorii » Nazianzeni Athanasium *Diaconum* ad Episcopa» tum fuisse promotum. Observat etiam Tille» montius paucos olim Diaconos ad Presbyteratum

 » ascen-

(p) C. un. de Cler. per salt. ord.

» ascendisse, idque occasione canonis XIII. Sar» dicensis, ubi *disjunctive* habetur: *Non prius ordinetur* (in Episcopum) *nisi et Lectoris munere et officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus, ut per singulos gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus.* Num istae rationes sint ejusmodi, ut earum pondere res decisa videatur, judicent alii. Sunt sane et sunt iis, qui ex adverso stant, rationes his forte haud leviores, quas copiosius recensere a proposito nostro alienum credimus. Sufficiat haec notasse: 1) Episcopatus, hoc ipso, quod ex more loquendi Patribus solenni supremus Sacerdotii *apex* et *fastigium*, atque *complementum* sit, sine fundamento, sine primo sacerdotii gradu, cogitare nequit. 2) Ut plenitudo sacerdotii una ordinatione cuiquam collata censeri possit, constare debet, quod *facta etiam separatione ordinis mere sacerdotalis ab Episcopali* consecrator Episcopi, aut ecclesia una ordinatione episcopali omnem ordinis quoque sacerdotalis potestatem e. g. conficiendi corporis Christi conferre intendat (q). At vero contrarium loquitur ordinationis ritus, et ecclesiae praxis. Sane 3) certissimis exemplis demonstratum habetur, etiam ex Diaconis vel Clericis inferioribus electos Episcopos prius Presbyteratus ordine initiatos, et postea primum, saepe die eadem, fuisse Episcopatus ordine insignitos. Quodsi autem brevissimo tempore fuerint in solo Presbyteratus gradu constituti; mirum non est, de eorum ad Presbyteratum promotione quandoque auctores siluisse (r). Imo 4) testimonia, quae de *Diaconis* ita promotis proferuntur, de electionis eorum, quam consecrationis tempore verosimilius loquuntur. 5) Athanasium omisso Presbyteratu consecratum esse Episcopum vel ideo cre-

(q) Cf. P. Bened. Stattler Theol. P. VI. § 581.
(r) Cf. Thomassin de V. et N. discip. p. I. l. 2. c. 36. n. 11 seqq.

credibile non videtur, quod ipsemet Ischyræ ex eo, quod omisso Presbyteratu factus sit Episcopus, episcopalem characterem deneget (s). Denique 6) Concilii Sardicensis canon XIII. seu X. tum in græco, tum in altera latina versione non particulam disjunctivam *vel*, sed copulativam *et* habet (t). Dein sensus copulativus itidem iis verbis *per singulos gradus* etc. satis per se denotatur. Denique si is canon, ut plerique non temere augurantur, adversus Ischyram, quem Ariani, etsi Presbyter non esset, Episcopum crearunt, est factus, necesse prorsus fuit illud diserte exprimi: non posse nisi ex Presbytero Episcopum creari. *Plura de his vid. apud Thomassin de V. et N. disc. P. I. L. 2 c. 36 et Vitasse Tract. theol de sacr. ordinis. Q. 7. Art. 4. q. 10. pag. mihi 223. seqq.*

§. 421.

IV. *Locus* ordinationis sit 1) *proprius*, id est, in diœcesi ordinantis positus (u) eidemque subjectus; * 2) *sacer* saltem pro ordinibus sacris conferendis, non item pro minoribus; 3) *publicus*, et quantum fieri potest, ecclesia cathedralis, vel reliquis dignior. (x)

*) In locis exemtis et monasteriorum ecclesiis id, nisi consentiente illius loci Prælato, fieri non decet. C. 6. causs. 18. q. 2.

§. 422.

V. *Requisita* ordinum *in genere* alia sunt, ut *valide*, alia ut *licite* recipiantur. I. Ad *validam*

B 5 ordi-

(s) Apolog. Cf. Theodoret l. 2 c. 8. Socr. I. 1. c. 20 apud Thomass. l. c. n. 12.

(t) Apud Harduin coll. concil. Tom. I. colum. 645. Cf. Cabassut. Not. eccl. pag. 157. item Thomassin l. c. n. 2.

(u) Trid. sess. 6 c. 5 de reform.

(x) Trid. sess. 23. c. 8 de reform.

ordinationem requiritur in ordinando 1) sexus virilis (y), 2) receptus baptismus (z), 3) intentio in adultis saltem habitualis (a). II. Ad *licitam* vero ordinationem exigitur generatim 1) usus rationis, 2) confirmationis sacramentum prius receptum, 3) status gratiæ, 3) recta intentio; 5) vitæ morumque integritas; 6) immunitas ab irregularitate. (§. 408 seq.)

§. 423.

Requisita ordinum recte recipiendorum *in specie* sunt, ut I. recepturus *tonsuram* 1) saltem fidei rudimentis sit imbutus, 2) legereque et scribere doctus (b). II. *Minoribus* initiandus 1) latinæ linguæ sit ignarus, 2) scientiæque ad majores ordines necessariæ spem præbeat. (c) III. Ad *subdiaconatum* requiritur titulus, *) IV. ad eundem et *diaconatum* ac *presbyteratum* amplior pro ratione gradus scientia, probata tempore interstitiorum probitas, et in officio clericali solertia exigitur (d).

*) *Titulus* heic intelligitur cautio sufficiens de perpetua, et congrua ordinandi sustentatione: ideo cuique ad majores ordines aspiranti necessarius, ne Clericus victum indecore quæritare coactus, ordinem suum dedecoret. Est porro, ut dictum (§. 410. not. n. 8.), alius titulus 1) *beneficii*, alius 2) *professionis* religiosæ, aut paupertatis, alius 3) *patrimonii*, alius 4) simpliciter titulus *mensæ*. I. *Titu-*

(y) C. 10 de pœnit. et remiss.
(z) C. 3 de Presb. non baptis.
(a) C. 3 de baptis. §. item quæritur.
(b) Trid. sess. 23. c. 4 de reform. c. 4 de temp. ordin. in 6.
(c) Ibid. c. 11.
(d) Ibid. c. 13 et 14.

Titulum beneficii constituit possessio pacifica beneficii veri, et perpetui ad congruam Clericii sustentationem sufficientis, quod proin resignari, nequit, nisi aliunde cautio de congrua sustentatione habeatur (e). Huc reducitur II. *titulus professionis religiosæ* in Ordine proventibus ad suos alendos sat instructo, vel *paupertatis* in ordine mendicantium. III. *Titulus patrimonii* a Tridentino nonnisi ob ecclesiæ necessitatem vel utilitatem admittitur, ita quidem, ut 1) patrimonium sit certum, 2) pacifice possessum, 3) vere sufficiens, 4) nec absque Episcopi facultate, immo neque cum hac alienandum, donec beneficium sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint (f) Denique IV. *titulus mensæ* simpliciter sint dictus continetur literis patentibus, quibus Principes, Nobiles, aut communitates Clericum, forte se honeste alere impotentem congrue sustentare spondent. Jam olim sine titulo ordinati ipso facto suspensi, et in ea suspensione ordinem exercentes irregulares erant (g); subin per canones Episcopus Clericos ita a se ordinatos, donec beneficio potiantur, sustentare jubetur (h): concilium vero Trid. pœnas antiquorum canonum innovat. Unde arguunt, quod 1) Episcopus temere aut negligenter sic ordinans temeritatis pœnam luere, Clericumque ita ordinatum alere teneatur, Clericus autem non sit suspensus; 2) si per ordinati dolum et Episcopo ignorante id fiat, Clericus suspensionem latæ sententiæ ab executione ordinum ita susceptorum incurrat; nec ali ab Episcopo debet. (i). In Bava-

(e) Trid. sess. 21. c. de reform.
(f) Trid. ibid.
(g) C. 1 et 2. dist. 70.
(h) C. 4 et 16 de præb. c. 13 de æt. et qualit. ord.
(i) Vid. Decreto Congreg. Concil. 27. Nov. 1610 relat. Inst. 16. Benedict. XIV.

Bavaria titulum mensæ nulli, nisi ab Ordinario ad curam animarum examinato, et adprobato esse a Sereniss. Bav. Duce Electore etc. conferendum, declaratur per decretum Elect. 1773. 30 Nov.

§. 424.

VI. *Effectus ordinum* generatim eo redit, quod 1) munia ordinum, quos recipit, exercendi jus obtineat, et 2) obligationibus iis ordinibus adnexis, obstringatur. Speciatim *tonsuræ* effectus sunt, quod 1) Cleri quis membrum, 2) altioris ordinis, et beneficii ecclesiastici capax, 3) privilegiorum clericalium particeps reddatur. *subdiaconus* præterea obligatur 1) ad permanendum in ordine Clericorum, 2) ad castitatem perpetuo servandam, 3) ad horas canonicas in dies recitandas.

§. 425.

Denique quoniam ordinatio omnis *characterem* imprimit *perpetuum*, 1) ordo nullus valide collatus repeti potest: 2) si quidem vero ea, quæ ad rem seu ad substantiam ordinis pertinent, omissa esse constet, idem ordo denuo conferri, sin probabile sit dubium, conditione adposita iterari debet. 3) quodsi solum accidentalia fuissent omissa, non ipsa ordinatio iteranda, sed omissa essent caute supplenda *)

*) Capitulo 3. de sacrament. non iterandis equidem dicitur, quod omissa etiam manus impositione in presbyteratu ordo non sit iterandus, sed id dumtaxat, quod omissum est, supplendum. Verum id non de omni manus impositione penitus omissa, quarum unam saltem ad ordinis substantiam Theologi plerique requirunt, intelligi potest.

ARTI-

ARTICULUS III.

De obligationibus, honestate, et cœlibatu Clericorum.

§. 426.

Clerici, ut qui singulari quadam ratione cul-i divino, et sacro ministerio consecrati, du-sque, exemplar ac magistri fidelium reliquo-um constituti sunt, (a) ad eximiam præ re-quis Christianis morum integritatem, præci-uamque tum *in-* tum *exteriorem* vitæ *hones-tem* *) consectandam obligantur. (b)

*) *Honestas* generatim est virtus, qua ad agenda ea, quæ facere obligamur, prompti sumus, ad ea vero, quæ omittere obligamur, committenda adduci nos minime patimur; *interior* est, quæ voluntate et internis virtutibus, *exterior*, quæ disciplina et *decoro* exteriori perficitur, diciturque a quibusdam habitus in omnibus actionibus insignem virtutis gradum declarandi. Cf. Gratian, distinct. 37. seqq.

§. 427.

Interior porro Clericorum *honestas* 1) in con-ientiæ munditia, 2) in affectuum, ac intentio-s integritate, 3) in singulari virtutum, statui m præcellenti congruentium, studio posita est.) *Exterior* vero requirit I. ut Clerici ab om-bus, quæ dignitati, utilitati, auctoritati status ericalis derogare quomodocunque possent, sibi

---

(a) Matth. V. 13. I. Tim. III. Tit. I.
(b) C. 21 causs. 8. q. 1 Trid. sess. 22 de ref. 2. 1.
(c) Vid. Joan. Gerson. Serm. de vita Clericor. et Fr. Christ. Pittroff Anleitung zur prakt. Gottesgel. 3 Th. 1. 2. 3 Haupt.

moderationem (m) 3) alearum, similesque ludos, (n) 4) negotiationem, mercaturam, *) e quodvis turpis lucri studium (o) gravissimis legibus nunquam non vetuit.

*) Negotiatio (Handelschaft) illa est Clericis prohibita, qua res nec in *usus proprios*, nec ut *artificio* Clerici immutetur, emitur, postea cum *lucro* rursus vendenda. Sed negotium, id est, alicujus professionis mechanicæ exercitium Clericis permissum est etiam spe lucri. *Nec tamen justum negotium* (ein ehrbar Gewerb) est *eis interdicendum, quia legimus S. Apostolos negotiatos fuisse et in Regula S. Benedicti* (C. 57.) *præcipitur provideri, per quorum manus negotium monasterii transeat.* etc. ait Concil. Mogunt. A. 813. jussu Caroli M. in claustro Basilicæ S. Albani celebratum: et repetit aliud Moguntinum A. 847. sub Ludovico Germanico Rege Rom. habitum C. 13. Imo vero est hoc jus clausum in Corpore Juris Rom. L. 2 Cod de Episcop. et Cleric. ut possint omnes Clerici absque *aliqua* præstatione publica negotiatoribus imposito exercere mercaturam *honestati tamen consciam*, eoque fine habere sua ergasteria, vel tabernas atque in his suos homines, qui *operam in mercimoniis habent*, pariter immunes. Cf. c. 3 *et* 4 *Dist.* 91 *et c.* 33. *dist.* 5. *Vide ex quo hoc exscripsi, Cl. Georg. Neller Exercitium in Anecdotum Trevirens. de Libert. Eccl. l.* 1. *lit. F et H. Thesaur. Jur. Eccl. Tom. IV. pag.* 473. *seqq.*

§. 431.

Singulari tamen cautione omnis *incontinentiæ* vel suspicionem a Clericis remotam semper voluit

---

(m) C. 19. dist. 34. c. 2. 5. etc. dist. 44.
(n) C. 15 de vit. et honest. Cler.
(o) C. 16. eod. tit. et Clement. 1. ibid.

luit ecclesia. Quare in Clericis semper abhorruit 1) choreas, inhonesta spectacula, et alia quævis veneris incentiva, (p) præsertim 2) convictum seu cohabitationem cum feminis, nisi forte primo aut secundo gradu consanguineæ, aut tales essent, quæ omnem prorsus suspicionem excluderent; (q) item 3) quamcunque cum feminis sive per literas, sive alio modo familiaritatem, aut suspectam communionem (r) severe prohibet: 4) turpissimum autem incontinentiæ, et maxime concubinatus vitium sec. IX. et X. non infrequens semper detestata, execrata, pœnis acerbissimis insectata est. *)

*) Sanctiones pœnales in hujus vitii reos occurrunt passim in conciliorum tum antiquiorum tum seculi XI. et sequentium decretis. Modum gradusque in iis, qui de hoc vitio vel suspecti sunt, puniendis observandos, adcurate determinat *Tridentinum sess.* 25 *c.* 14. *de refor.* quo referendum itidem concilii Basileensis sess. XX. Decretum: *Quicunque Clericus.* . Ut quod a Germanis (§. 174. not. 4.) solenniter receptum est. *Vid. Neller Diss. de Decret. Concil. Basil. c.* 1. §. 16. *Thesaur. J. E. Tom. I. pag.* 283.

§. 432.

(p) C. 15. de vit. et honest. Cler.

(q) Concil. Nicæn. I. c. 3. c. 16. dist. 32. c. 9 de cohabit. Cler. etc. Cf. Thomassin de V. et N. dis. P. I. l. 2 c. 61 seqq. Item concil. e. g. Ratisbonense A. 742. Can. 7 Salisburg. A. 1420 apud Harzheim concil. Tom. I. et V. Trid. sess. 25 c. 14 de reform.

(r) C. 2. 8 de cohabit. Cler. c. 20. 26. 28. dist. 81.

§. 432.

Neque solum incontinentiæ omnibus prohibitæ vitium in Clericis maxime horret, et severe punit ecclesia: sed 1) Clericos in majoribus constitutos a nuptiis alioqui licitis abstinere vitamque cœlibem agere jubet, *) 2) eosdemque ad matrimonium deinceps contrahendum reddit inhabiles: **) 3) Clericos autem in minoribus constitutos, queis nubendi libertatem haut negat, post connubia ***) saltem a beneficiis ecclesiasticis excludit. Quæ *cœlibatus lex* tantum abest, ut ulli juri sit contraria, aut potius congrue admodum sit lata, indeque status clericalis ornamentum. ****)

*) *Cœlibatum* Clericorum a) alii juris omnino divini alii juris apostolici censuere b), alii plures eum pietate Cleri, et consuetudine primum, demum vel seculo IV. vel potius jam antea et legibus firmatum arbitrantur. Ceterum c) siquis olim Clericus in majoribus constitutus, uxorem duxisset ei sacris interdictum est; d) Justinianus posthac liberos tali matrimonio natos illegitimos, successionisque ac donationum exsortes esse voluit; subin connubia isthæc plane irrita habebantur. (s) In cœlibatu porro servando græcam inter, et latinam ecclesiam posterioribus saltem seculis non convenire res nota satis et testata est; nihilominus 1) Clerici apud Græcos cœlibes ordinati vitam cœlibem agere tenentur, 2) bigami ad ordines non admittuntur: 3) Episcopi licet ante ordinationem uxorati, a consuetudine uxoris perpetuo abstinere debent; 4) Clerici reliqui equidem a nuptiis deinceps contrahendis arcentur; haud tamen ab uxoribus antea

ductis

(s) Cf. Rupprecht Not. in Jus Can. Tom III. l. 3 tit. 3 et Thomassin P. I. L. 2 c. 60. seqq. Nat. Alexander H. E. sec. IV. Diss. 19.

ductis perpetuo, sed solum tempore, quo ministerio functuri sunt, tenentur abstinere. *Cf. Rupprecht l. cit. et Thomassin L. c. cap.* 60 *et* 63. *et Trullani Concilii can.* 6 *et* 13.

**) Quodsi nihilominus Clerici in sacris Constituti matrimonium, invalidum licet, contrahere attentent: 1) mulieres invalide sibi junctas dimittere, et agere pœnitentiam coguntur; (t) 2) latæ sententiæ *excommunicationem* incurrunt; (u) 3) fiuntque *irregulares*, ita tamen, ut cum iis dispensare Episcopus possit: (x) jure *decreti* beneficio ecclesiastico excidunt: (y) jure autem Decretalium, atque hodierno regulariter per suspensionem a beneficiis ad pœnitentiam adigantur, (z) nisi gravitas scandali ipsam beneficii privationem suadeat. Ceterum eum, qui sic attentato matrimonio ad sacra augustanæ confessionis transiret, ipso facto beneficia sua per Germaniæ leges amissurum supra (§. 183.) jam diximus.

***) Clerici in minoribus constituti, nulla quidem lege contrahere matrimonium prohibentur: eo tamen contracto 1) ad beneficia obtinenda inhabiles redduntur, (a) imo etiam 2) actu possessa beneficia ipso jure amittunt: (b) tenenturque se iis ante omnem judicis sententiam abdicare, et fructus post nuptias forte perceptos restituere. Neque obstat, quod dicantur (c) ad beneficia dimittenda *compellendi, spoliandi, privandi*; eoquod id *de facto*, et non de *jure* sit intelligendum; eos nempe, nisi ultro cedant, et beneficia, queis ipso jure jam exciderunt,

(t) C. 1 et 2 qui Clerici vel voventes.
(u) Clem. unic. de consang. et affin.
(x) C. 1 et 2 qui Clerici vel vov.
(y) C. 2 dist. 28.
(z) C. 1 de Cleric. conjug.
(a) C. 2 de Clericis conjug.
(b) C. 1. 3. 5. eod. tit.
(c) Ibid.

runt, tenere *facto* pergant, superioris authoritate esse depellendos. At vero, si Clericus minorista matrimonium contraxit, sed invalidum; tum quidem an ipso jure amittat beneficium, inter jureconsultos vehementer disceptatur: aliis quidem id absolute affirmantibus, aliis id solum de eo, qui se invalide contrahere ignorat, annuentibus, aliis demum id simpliciter negantibus: horum rationes exhibet *P. Böckhn comment. in J. can. l.* 3. *Tit.* 3. *n.* 28.

****) *Cælibatus* 1) nec jure divino naturali, nec positivo repugnat, sed potius Christi atque Apostolorum doctrina, et exemplo, ac praxi ecclesiæ continua præ nuptiis extollitur, suadetur, et ceu aptissimum Deo magis placendi, et curatius serviendi remedium commendatur (d): nil proin obstat, cur in certis rerum adjunctis præcipi nequeat (e). 2) Principes nemo injustitiæ accusat, dum ob reipublicæ bonum militum plures, ad eum statum etiam coactos, item passim pauperes alios nuptiis prohibent, cur ecclesiæ Rectores ordini Clericorum, liberrime se huic statui devoventium, ob bonum ecclesiæ continentiam præcipere nequeant, licet gravissimas id statuendi habeant rationes? Sane 2) sacerdotes V. L in ordine vicis suæ ab uxoribus abstinere debebant id quod ut fideles laici caussa orationis, nonnunquam faciant, suadet Apostolus (f): qui idem matrimonio junctum minus ad vacandum libere De expeditum; immo quasi divisum dicit (g) atqui 4 Clerici potissimum orationi, officiis divinis, sacrificiis quotidie offerendis sunt destinati, consecrat horum

(d) Matth. XVIII. 29. I. Cor. VII. 7. 25. seq.

(e) Vid. Rupprecht l. cit. n. 20. pag. 56. seq. Böckh comment. in Decret. L. III. tit. 3 n. 1. — 15 Christlicher Diogenes von der Trennung der Christen 1. Th. pag. 411. seq.

(f) I. Cor. VII. 5 Epiph. Hæresi 59. Cf. L. Regul I. 21. 4.

(g) I. Cor. VII. n. 35.

horum vero gravitas officiorum non divisum, sed integrum sibi deposcit hominem. 5) Majestas, ac sanctitas SS. mysteriorum summam animi, corporisque integritatem exigunt (h): 6) animarum cura, intrepida errantium aut inobedientium correptio (i) et fræquens ægrotorum visitatio pastorem intrepidum requirunt, non vitæ, aut sanitati suæ, minus uxori et liberis, quod solet, anxie timentem. 7) Unde ab incunabulis ecclesia semper cœlibes Clericos saltem exoptavit, et sola exigente necessitate alios, raroque admissit. 8) Beneficia plura, capellaniæ etc. sæpe vix unicum sustentant Clericum, qui autem uxore liberisque gravatum alerent? queis non curis, sollicitudinibusque, imo peccandi periculis domesticæ rei angustia talem involverent? Aut quos demum in usus ecclesiastica bona ab uxoratis impenderentur? Agnovit id optime Justinianus Imp., qui liberos, nepotesve habentem non recte eligi Episcopum ex ea ratione censuit (k): »Etenim fieri vix potest, » inquit, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, » quas liberi creant parentibus maximas, omne » studium omnemque cogitationem circa divinam » liturgiam et res ecclesiasticas consumat. Nam » cum quidam summa in Deum spe, et ut animæ » eorum salvæ fiant, ad sanctissimas accurrant ec- » clesias, et eis omnes suas facultates adferant, et » relinquant, ut in pauperes, et egenos et alios » pios usus consumantur, indecens est Episcopos » in suum illas auferre lucrum, aut in propriam » sobolem et cognatos impendere. Oportet enim » Episcopum minime impeditum affectionibus car- » nalium liberorum, omnium fidelium spiritualem » esse patrem. Has igitur ob caussas prohibemus » habentem natos, aut nepotes, ordinari Episco- » pum.« Manet itaque, 9) uti semper fuit, casti-

 mo-

(h) Hieronym. ad Jovin. c. 19.
(i) I. Timoth. V. 20. II. Timoth. IV. 2.
(k) L. 42. Cod. de Episc. et Cler.

monia S. Ministrorum maximum ecclesiæ præs dium, decus, et status clericalis ornamentum Quodsi quidam dignitatem suam macularunt, i solo suo factum vitio. Quodnam vero munus quis status perversos homines nullos unquam ha buit? 10) Tentationes, et carnis tribulatio tan parum cœlibes Clericos a lege continentiæ, quan uxoratos laicos a fide conjugali solvunt. Nequ cœlibatus, ut male quidam argumentantur, con cubinatum generat; sed potius, nisi Apostolo ne ges fidem, a carnis tribulationibus eximit et pie tatem fovet (l). Hinc nec ex Protestantibus æqui ores Ministrorum ecclesiæ cœlibatum fore opta bilem inficiati sunt (m). Imo unus eorum (n illos, qui cœlibatus legem invidiose criminantur iis argumentis castigat, quæ his criminatoribus nisi præmortui jam pudoris sint, non possun non pudorem incutere. Denique 11) Clericorum cœlibatum reipublicæ nequaquam noxium esse demonstrarunt dudum viri eruditi. Cf *Lib.* Ueber den Cölibat der Geistlichen und die Bevölkerung in kathol. Staaten. Salzb. 1784.

§. 433.

II. Decentiam et modestiam in *habitu*, incessu, sermone etc. quod attinet; * 1) vestitus forma, color, species clericali gravitati congruant, nec sit ille multicolor, nec viridis, nec, nisi Cardina-

(l) I. Cor. VII. 28. 32.

(m) e. g. Joan Gerard Confess. Cath. L. 2. P. 2. Art. 6 c. 4. Joan Spener Consil. theolog. p. 2. c. 3. Art. 1. n. 12. Sed inprimis der christl. Diogenes allgemeine Gedanken von Trennung der Christen. 1. Th. pag. 385 seqq.

(n) Der christl. Diogenes l. cit. §. 35. seqq.

(o) Caus. 21. q. 4 per tot. c. 15 de vit. et honest. Clem. 2 eod.

dinalium, rubeus nec auro argentove rigens, nec ad vanitatem compositus (o), **) 2) arma et modestiæ et mansuetudini ecclesiæ minus congruentia, nisi forte ob itinerum pericula, Cleri non gestent (p): 3 comam profane non alant, sed tonsuram et coronam clericalem semper deferant (q): decorum ita servent, ut tamen seculi levitati et mobilitati haud serviant. Paucis, Clericorum actiones omnes sint ejusmodi, ut cunctis adferant venerationem (r).

* 1) Clerici primis ecclesiæ seculis nec capillis nec vestibus nec certo habitu distincti erant a laicis, utpote qui habitu clericali modestia digno, toga scilicet longa more Romano utebantur, capillis refectis, barba rasa. 2) Barbaris autem contrarium morem sectantibus ad fidem conversis Clerici morem Romanum retinebant; unde iisdem in Clericorum numerum adjectis capilli resecandi erant, quæ tonsuræ conferendæ, subin ad tonsuræ monastice modum adaptatæ, fuit origo (s) 3) Seculo VII et sequentibus Episcopi et Clerici ubique alba et stola super veste talari clausa utebantur. 4) Tandem ad exemplum monachorum observantia primum, tum et specialibus locorum legibus fere niger color pro Clericorum vestitu præscriptus est. De his erudite pertractat *Rupprecht. Not. J. C. Tom. III. in decret. L. III. tit. 1.*

**) » Omnes ecclesiasticæ personæ quomodocumque » exemtæ... si postquam ab Episcopo suo etiam per » edictum publicum moniti fuerint, honestum habi-

(p) C. 6 et 7 de vit. et honest. Cler. Trid. sess. 14 de reform. c. 6 c. 2 caus. 21 q. 4.

(q) C. 4 et 5 de vit. et honett. Cleric.

(r) Trid. sess. 22. de ref. c. 1.

(s) Thomassin. p. 1. l. 2 c. 37. Fleurii Inst. J. E. p. 1 c. 5.

» tum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem ... non detulerint, per suspensionem » ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus ... nec non, si semel correpti denuo in » hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum » et beneficiorum coerceri possunt, et debent.« (t).

§. 434.

III Clerici status sui *officia* sedulo et curate exequantur: scilicet 1) studiose, decenter, devote divinum officium celebrent, horas canonicas persolvant, sacra ministeria obeant; 2) decorem domus Dei promoveant; 3) orationi, scripturarum lectioni ac meditationi, verbi Dei prædicationi, rudium instructioni sedulam operam navent; 4) pietatis, caritatis, misericordiæ operibus se ferventer impendant.; 4) laboris, librorum, solitudinis amantes, sacratiorum (§. 60. 75.) optimarumque scientiarum studio animum sedulo excolant, vanarum tamen ac curiosarum rerum lectione tempus non comburant. (u) *)

*) Neque suo officio Clericus satisfactum putet, si horas, et SS. missæ sacrificium absolverit: otiosos enim sacerdotes semper horruit ecclesia; et in Bavaria quoque per ordinationem consilii ecclesiastici aulici novissimam (r) cavetur, ut Clerici nullis præter breviarii et missæ officium functionibus occupati, ad seminaria Clericorum revocentur, atque ad animarum curam vel juventutis instructionem adstringantur.

§. 435.

(t) Trid. sess. 14. c. 6 de ref.
(u) C. 7 dist. 40 vid. item dist. 36. 37. 38.
(v) De A. 1783. §. III. n. 1.

§. 435.

Ceterum ecclesiæ semper plures cautiones et *media* adhibuit, et adhiberi mandavit, quibus nestas Clericorum in- et exterior restituetur, servaretur, promoveretur: nam 1) præquam quod fere in plerisque conciliis vel và de hac re ederet decreta, vel antiqua nfirmaret, et restauranda mandaret (w), 2) nquam nisi præmissa adcurata de fide, mous, scientia ordinandi disquisitione quemm admittere ad ordines voluit (x): 3) Clerirum *séminaria* *) ceu totidem scholas procte formando Clero in singulis diœcesibus stitui, ac conservari præcipit (y): 4) Epispos per crebras visitationes, monitiones, rreptiones, Clericorum moribus tum per se, m per delegatos alios invigilare jussit (z).

*) *Seminarii* Clericorum nomine venit locus auctoritate ecclesiastica iis, qui vel ad clericalem statum adspirant, vel jam in eo constituti sunt, ad omnia Clericorum munia et officia sub disciplina communi tum præparandis tum perficiendis destinatus. Quomodo instituenda, fundanda, formanda sint id genus seminaria, accurate præcipit S. Synodus Trid. sess. 23. c. 18 de ref. Cf. Van Espen P. II. Tit. 11. item Phil. J. von Huth Bildung der Weltgeistlichkeit eines Landes. *edit.* 2. Concordaten mit dem Ordinariat Regensburg *de A.* 1789. §. 14.

C 5 ARTI-

(w) Cf. Trid. sess. 22 c. 1 de reform.
(x) I. Tim. III. 6. Trid. sess. 23 c. 5 de ref.
(y) Trid. sess. 23. c. 18 de reform. Cf. Thomassin P. I. l. 3. c. 4. seqq.
(z) Trid. sess. 6 de ref. c. 3 sess. 13 c. 1.

ARTICULUS IV.

De Juribus et Privilegiis Clericorum communibus.

§. 436.

Quemadmodum Clericorum officium sacrosanctum, gradus eorum omni veneratione dignus, obligationes sat graves sunt: ita merito variis iisdem tributa sunt privilegia et jura. Id quod nec gentes maxime barbaræ suorum sacrorum ministris unquam negarunt (Cf. §. 330. seq.). *) Quoniam vero de juribus, quæ Clericorum vario, quem in hierarchia obtinent, gradui respondent, parte prima jam egimus; nunc de iis prærogativis, quæ omnibus Clericis, respectu etiam ad ecclesiæ regimen non habitos communes sunt, et Clericorum *privilegia communia* vocantur, pauca dicemus. Hæc porro privilegia pro eo ac personas vel res Clericorum adficiunt, *personalia* vel *realia* dicuntur. De illis heic nobis maxime sermo.

*) De Germania gentilibus sacris addicta id testatur Jul. Cæsar: »Ministri Sacrorum, inquit, magno »sunt apud eos (Germanos) honore . . . Neque »tributa una cum reliquis pendunt, militiæ va»cationem, omniumque rerum habent immuni»tatem.« *L.* 6 *de bello gallic.*

§. 437.

Privilegia Clericorum personalia sunt *Privilegia* I. *canonis*, II. *servitiorum*, III. *competentiæ*, IV. *fori*.

§. 438.

(a) A. 1139. can. 15. refertur a Gratiano c. 29. caus. 17. q. 4.

§. 438.

Privilegium *canonis* a canone concilii Lateran. II. (a) sic dictum est, vi cujus excommunicationem latæ sententiæ Pontifici reservatam ii incurrunt, qui violentas manus in Clericum, aut Monachum injiciunt. *) Feritur ergo hoc fulmine ex Canonistarum interpretatione 1) qui actione externa graviter injuriante Clericum injuste adficit; **) 2) qui ad actionem similem mandando, suadendo, consentiendo, aut etiam, licet ex officio, et justitia teneretur impedire, non impediendo efficienter influit. ***)

*) Clericorum Monachorumque nomine heic 1) in re favorabili veniunt a) etiam prima tonsura insigniti: b) utriusque sexus Regulares: c) Novitii quoque et laici fratres: d) Eremitæ itidem sub regula, et superiore viventes et ab Episcopo probati: Demum 2) Clerici minoribus initiati, licet conjugati, modo unicam, eamque virginem duxerint, et clericali habitu utantur, et cujusdam ecclesiæ servitio sint addicti: 3) ut tamen Clericus minorista privilegio fori et canonis perfruatur; clericalem habitum, et tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in aliqua schola de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur. *Trid. sess.* 23. *c.* 6 *de reform.*

**) Excommunicatio can. cit. non adparet esse latæ sententiæ talis tamen per Doctorum explicationem et consuetudinem censetur. Porro cum *injusta* et *suadente diabolo* facta damnetur percussio, ab hac censura excusatur percussio, 1) quæ fit inter Clericos per jocum (b), 2) aut a Clericis superioribus

(b) C. 1 de sent. excom.

bus (non vero per laicum) disciplinæ gratia (c): 3) ad vim a Clerico illatam vi in *continenti* repellendam, inculpatæ tutelæ moderamine servato (d); 4) aut qua quis in Clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas; secus si cum ea inveniat, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit (e).

***) Percussores Clericorum ab aliis vitandi sunt sub pœna excommunicationis minoris, si de facta percussione constiterit *adeo notorie, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque aliquo juris suffragio excusari* (f). Unde alicubi, ut in Gallia, non nisi post declarationem judicis vitari debent.

§. 439.

Privilegium *servitiorum* est, quo Clerici eximuntur a servitiis personalibus, et officiis civilibus statui clericali minus convenientibus, ut sacris quietius vacare queant. Quare eximii sunt 1) a *militia*, ni extrema patriæ necessitas aliud exigeret; 2) a muneribus *publicis* curialibus, municipalibus tutelis, curatelis; 3) ab excubiis, vigiliis 4), a muneribus sordidis et servilibus: 5) a censu capitum seu tributo personali etc.)Cf. § 250. not. 2.)

* 1) Lex Constantini M. quæ est L. 7 Cod. Theod. de Episcop. et Cler. vetat ne Clerici devocentur ad curiam i. e. curialia munera. 2) Lex 2 Cod. eod. a Constantio, et Juliano Apostata Impp. A. 357 data munera sordida et extraordinaria, nec

non

(c) C. 1. 10 24 ibid.
(d) C. 3. 10 ibid.
(e) C. 3 ibid.
(f) C. 29 ibid. et constit. *ad evitanda*, quam vulgo Martini V. dicunt.

non negotiatorum præstationes, ac parangarias avertit a Clericis, eorumque familia, 3) A. 377. Impp. Valentinianus, Valens, et Gratianus voluerunt infirmos quoque Clericorum expertes esse personalium munerum L. 6 Cod. eod. 4) Accessit longo intervallo Authent. Fridericiana. Item *nulla communitas* Cod. eod. et est usus per Christianitatem communis. Ita *Neller Exercitium in Anecdotum Trevirens. de Libertate ecclesiastica* §. 1. *lit. c. Thesaur. Jur. eccl. Tom. IV. pag.* 472.

§. 440.

Privilegium *competentiæ* est, vi cujus Clerico ɔærato, si solvendo non sit, quantum ad con:uam ipsius sustentationem opus est, relinqui ɜbet, quin idcirco indignis modis tractari, aut ligi possit, ut mendicando, vel sordidum quæs.m exercendo panem sibi quærat. (g). Hoc ɜneficio Clerici maxime per observantiam et ɔnsuetudinem ex æquitate quadam naturali ɔ honorem status clericalis perfruuntur.

*) Beneficium *competentiæ*, militibus Rom. concessum (h), ad militiam togatam tam secularem, quam ecclesiasticam passim extendunt Jureconsulti: unde illud non modo nobilibus, sed quibuscunque in *dignitate constitutis*, et de republica bene meritis personis tum leges Bavariæ, (i) tum praxis, et heic et in S. R. I. tribunalibus recepta, tribuunt.

§. 441.

Privilegium fori, quo Clerici vel quoad omɜs, vel quasdam saltem caussas civiles a foro, et

(g) C. 23 dist. 93 §. Hunc autem. c. 3 de solat. Cf. Trid. sess. 21. c. 2 de re[illegible].

(h) L. 6 18. ff. de re jud.

(i) Annot. in Cod. Jud. Bav. c. 18. §. 10 decret. Elect. 5. sept. 1684. et 10 Dec. 1697.

et jurisdictione judicis laici eximuntur, 1) juris humani est, *) et Principum, ut supra monuimus (§. 351. seq.) beneficio maxime debetur, 2) nec ubique est uniusmodi; proin 3) secundum diversas regnorum, et regionum leges, moresque, item 4) secundum limites quoque ab ipsa ecclesia positos est explicandum.

*) Cur ergo hanc exemtionem a foro civili canones (k) juris aut ordinationis *divinæ* esse asserunt? Nempe id intelligendum vel 1) quoad caussas *spirituales*, vel 2) de eo immunitatis gradu, qui aliquando tum ad functiones sacras, tum ad Cleri auctoritatem servandam necessarius est. Dein 3) quod in V. T. per ceremoniales, aut judiciales leges licet hodie abrogatas, constitutum, aut quod legibus divinis *congruum*, aut quod antiquis canonibus dirigente Spiritu sancto decretum est, illud non semel sensu scilicet latiori *divini juris* in ecclesia christiana vocant Pontifices. 4) Quo sensu canones Clericos adire judicium civile prohibeant, supra (§. 350.) dictum.

§. 442.

In Bavaria Clerici gaudent *privilegio fori* tum in *civilibus* *) tum in *criminalibus*, certis tamen modis limitato. Et quidem in civilibus Clerici exemti sunt a *foro civili*, exceptis his casibus: 1) si Clericus non sit reus, sed actor; 2) si non suæ personæ, sed alterius caussa e. g. qua hæres, tutor, procurator conveniatur: 3) in caussis mere *realibus*, ubi forum rei sitæ nullo ad personam

(k) Trid. sess. 25 c. 2 de reform. c. 30 de jurejur. c. 4 de censib. in 6.

nam habito respectu obtinet; 4) in caussis connexis præsertim individuis etc. (l) **)

*) An Clericus laicum in judicio seculari conveniens, in eodem judicio possit *reconveniri* a laico in caussa civili, in qua alias Clericus subesset foro ecclesiastico, inter canonistas non convenit: nobis tamen verosimilior videtur opinio affirmantium, ita posse reconveniri, saltem in caussis cum conventionis caussa nexum habentibus: etenim 1) reconventio ad lites cito finiendas jure utroque recepta favorabilis est, ac late interpretanda; contra 2) privilegium speciale absque ratione certa contra æquitatem naturalem, et in præjudicium tertii (laici) ad protrahendas, quod jus horret, lites explicari non debet; 3) æquitas postulat, ut quis eum contra se habere judicem non dedignetur, quem pro se agnovit, (m) 4) Neque vero plane *inhabilis* dici potest laicus judex in caussa *civili* Clericorum, sed solum *incompetens*; per reconventionem autem *competens* redditur: 5) neque hæc *prorogatio* jurisdictionis est Clerico voluntaria sed *necessaria* et *legalis*, uni legum dispositioni adscribenda; 6) suffragatur praxis. Certe in Bavaria Clericum in caussis saltem cum caussa conventionis connexis reconveniri coram judice laico posse, satis clare decisum videtur. (n)

**) Igitur ut illustris in codicem Bavaricum judicialem Commentator advertit: haud obstante exemtione aut privilegio forum *connexionis caussa* agnoscendum est. Kann also z. B. ein Geistlicher auf den Fall, wann ihm lis denuntirt oder von demselben intervenirt wird, das forum caussæ principalis nicht decliniren. Ein grösserer Zweifel ist, ob

(l) Cod. jud. Bav. c. 1. §. 11. 12. Cf. Annot. in c. 1 §. 11. lit. h. et §. 12 lit. a. b c d et §. 13. lit. a.

(m) Novel. 36 c. 3 de rescript in 6.

(n) Cod. jud. c. 8 §. 1. Cf. Annot. L. B. de Kreitmayr. Lib. b. c.

ob ein Geistlicher, welcher mit einem Weltliche caussam communem hat, in blosen Personalsache ex capite litis consortii et idenditatis caussæ be dem weltlichen Richter mit verklagt werden könne Die Auctores distinquiren inter caussam dividuan et individuam. Erstenfalls negiren sie die Frage und muß demnach jeder aus den litis consortibu vor seiner Obrigkeit belangt werden. *Annot.* i *Cod. Jud. Bav. P. I. c.* 1. §. 12. *lit. d.*

§. 443.

In *criminalibus* quoque in Bavaria Cleric *libertate fori* gaudent vi concordatorum Bava riæ (o): attamen 1) in delictis gravioribus e reipublicæ admodum perniciosis, ubi pœna canonica affecti sunt, insuper civili, immo pro delicti gravitate criminali quoque pœna casti gari possunt a potestate politica (p): item 2 Clerici armis prohibitis exui, et 3) graviter delinquentes, si sit fugæ periculum, habita ta men aliqua dignitatis clericalis ratione, custo diæ dari a potestate civili possunt. *)

*) Concordata Bavariæ (q) ita habent: » Clericu » porro delinquens, nisi criminis atrocitas exig » aliud, de sistendo se apud suum Ordinarium ve » ejus delegatum suæ promissioni, vel, ubi fugæ al » qua suscipio est, fidejussoriæ cautioni committetu » Ac si delicti qualitas capturam postulet, in tr » ductione tamen superfluas sumptus, ac, quantu » diligentis custodiæ ratio ac necessitas patitur, o » dinis irreverentia vitabitur. « Codex autem Ba criminalis (r) decernit: In schweren Verbreche oder

(o) Concord. Bav. de A. 1583. c. 3.
(p) Ordinat. consil. eccl. Elect. de A. 1779 §. 1
(q) Concord. Bav. gen. c. 3.
(r) Part. 2. c. 1. §. 32.

oder da sich ein unbekannter Geistlicher in weltlichen Aufzügen betreten läßt, ist der persönliche Arrest unbedenklich. (s) Und wo Zweifel obhanden, ob der Delinquent ein Geistlicher sey oder nicht, ist mit der Auslieferung an das Ordinariat so lang, bis der angebliche Character seine Richtigkeit hat, zurückzuhalten, und mit der Inquisition cumulative zu verfahren; mithin der vom Ordinariat deputirte Geistliche ad examen beyzuziehen. Porro ut ex annotationibus liquet (t), werden die Clausner und Eremiten nur alsdann vi mandati Elect. (u) für geistlich geachtet, wenn sie dem Institut einverleibt, und mit denen drey Hauptgelübden verbunden seynd.

§. 444.

Ceterum ecclesia ipsa huic fori privilegio *limites* posuit, ac 1) Clericus in caussa *feudali* coram judice feudali respondere debet (x); 2) nemo hoc privilegio gaudeat, nisi sit ordinibus majoribus initiatus, vel nisi is, qui minoribus tantum aut tonsura est insignitus, beneficium ecclesiasticum habeat, aut habitum, et tonsuram clericalem deferens ex mandato Episcopi ecclesiæ cujusdam Servitio sit addictus, vel in seminario, universitate, scholave publica cum Episcopi facultate quasi in via ad majores ordines versetur (y). 3) Clerici huic privilegio, utpote in favorem totius ordinis clericalis dato, nequeunt renuntiare; (§. 148.) proin nec per renuntiationem etiam juratam foro ecclesiastico

(s) Cf. c. 12 de sent. excomm. in 6.
(t) In Cod crim. P. 2 c. 1. §. 32.
(u) A. 1723. 8. Jul.
(x) C. 5 de judiciis et c. 6 de foro compet.
(y) Trid. sess. 23 de reform. c. 6.

siastico se subducere possunt, nec jurisdictionem judicis laici in se prorogare (z); attamen aliud quorumdam locorum consuetudo in caussis *civilibus* habet.

§. 445.

De *immunitate reali* Clericorum supra (§. 365 in not.) a nobis jam facta mentio. Ceterum hæc immunitas 1) quoad bona *patrimonialia* Clericorum fere ubique desiit: 2) quid immunitatis reliquis Clericorum bonis residuum sit, consuetudo et locorum observantia abunde docet. *)

*) Praxin Bavariæ hac in re exhibet L. B. de Kreittmayr Annot. in cod. civil. p. 5. c. 19. §. 36 n. 8. Cf. Annot. in Cod. jud. P. 1. c. 1. §. 13. Lit. a.

CAPUT II.

De Clericorum sustentatione et Beneficiis ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

Beneficiorum origo, diversæ species, erectio.

§. 446.

Beneficium ecclesiasticum ex hodierna disciplina est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis intuitu officii ecclesiastici, cui illud auctoritate ecclesiastica est annexum. *) Hic de *Beneficiorum* ecclesiasticorum I. *nomine*, II. *origine*, III. *requisitis*, IV. de *divisione* et *speciebus* eorum, V. de eorundem erectione disquirendum paucis.

*) Ita

(z) C. 12 de foro compet.

*) Ita 1) formaliter beneficium pro *jure* percipiendi fructus vulgo intelligitur, attamen sæpe hoc nomine ipsi proventus ecclesiastici denotantur: 2) Alii, eoquod officium ecclesiasticum principale, et *titulus* sit beneficii seu proventuum, malunt ecclesiasticum beneficium definire, quod sit officium ecclesiasticum, cui certi reditus ita annexi sunt: ut ab eo separari nequeant. At reapse inter utramque definitionem veri discrimis vix quidpiam intercedit. Et prior illa magis congruere videtur rationi, et origini nominis. Porro

§. 447.

I. *Nomine beneficii* generatim 1) inter Francos jus utendi, fruendi bonis pro officio concessum (a) denotabatur: inprimis autem 2) nomine beneficii *feuda* (Cf. § 357.) veniebant (b): subinde 3), dum bona quædam Clericis utenda, fruenda sub obligatione certæ ecclesiæ serviendi fuerunt data (c), *beneficii* nomen ad hæc officia ecclesiastica translatum, iisque quasi proprium effectum est. *) Demum 4) canones (d) *beneficii et præbendæ* vocabulo, quod a militia profana ad sacram transiit, promiscue utuntur.

*) Idcirco priscis ecclesiæ temporibus quodlibet beneficium adnexum sibi habebat S. ministerium, et officium, quod posthæc circa sec. XI. in solam sæpe horarum canonicarum sæpit commutari recitationem, quæ propterea etiam *officium* appellatur.

(a) Muratorius antiq. Ital. Tom. I. pag. 554.
(b) Lib. I. feud. Tit. 15 et 20. Lib. II. tit. 12 et 24.
(c) C. 61 causs. 16. q. 1.
(d) C. 2 et 9. causs. I. q. 3.

§. 448.

II. *Origo beneficiorum* ut intelligatur: notanda disciplinæ hac in re mutatio. Nempe Clericis ceu religionis ministris honestam deberi sustentationem, certi semper et explorati juris in ecclesia habitum; modus tamen Clericos sustentandi fuit varius (Cf. §. 353). Et 1) primis quidem ecclesiæ seculis ex communi *oblationum* massa Clerici, pauperiores maxime, sustentabantur; 2) seculo IV. ac deinceps ecclesia fundis, bonis, ac possessionibus aucta, harum etiam proventus magnam partem Clericorum sustentationi ad arbitrium Episcopi insumebantur. (e) 3) Seculo V. in latina ecclesia proventus ecclesiastici in quatuor partes, non tamen usque æquales, distributi, quarum prima Episcopo, altera toti simul *Clero*, tertia *fabricæ* ecclesiarum, quarta *pauperibus* addicebatur. (f). Deinceps 4) seculo VI. ruralibus præcipue Presbyteris quodam ususfructus jure fundi, et prædiola, ex quorum proventibus viverent, assignata: quæ tamen post eorum obitum non necessario ad ipsorum successores devoluta, sed ad liberam Episcopi dispositionem redierunt. (g) Post hæc 5) id genus fundi cum proventibus citra novam Episcopi concessionem Parochis relicti, et ipsis paro–

(e) Cf. Thomassin P. III. l. 2 c. 12 seq.
(f) Can. 23. seq. caus. 12. q. 2. Cf. Thomassin ibid. c. 13 seq.
(g) Thomassin ibid. c. 16. Van Espen Jur. eccl. univ. P. II. tit. 18. c. 1. Item c. 61. caus. 16. q. 1.

parochiarum titulis paullatim innexi sunt: unde Parochis intra limites suæ parochiæ similes proventus, decimas etc. percipiendi jus perpetuum competere credebatur. Inde exorta sunt paullatim beneficia parochialia. Denique quum etiam 6 Canonici, tum in commune viventes, jam hinc inde præbendis fruerentur; tum præsertim deserta vita communi (Cf. §. 289. seq.); proventus capituli ab Episcopi bonis separarent et inter se dividerent (h), *beneficia* in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, aliaque, ut hodiedum obtinent, ortum habuere.

§. 449.

III. *Requisita* beneficiorum vel ex eorum notione intelliguntur: quum enim beneficium ecclesiasticum ex disciplina hodierna sit jus *perpetuum* percipiendi fructus ex bonis ecclesiæ ratione sacri ministerii Clerico concessum, auctoritate ecclesiastica constitutum (§. 446.); consequitur ad beneficium verum requiri, 1) ut sit *ministerio sacro adnexum*, * 2) ut sit *perpetuum*, ** 3) ut sit *auctoritate ecclesiastica constitutum*. ***)

*) Beneficium datur propter *officium*, et quidem tale, ad quod Clericus, *qua talis*, teneatur; unde 1) beneficii ecclesiastici capaces non sunt laici, et 2) veri beneficii rationem non habet jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiæ ob ministerium profanum e. g. cantoris, advocati, æditui etc.,

 quod

(h) C. 9. 10. et 19. de præbend. Cf. Harzheim concil. Germ. Tom. II. pag. 357 et citatos et Anton. Schmidt Diss. de varietate præbendarum C. I. Thesaur. J. eccl. Tom. 3. pag. 224.

quod Clerico non qua tali datur, et cujus laici etiam sint capaces.

**) Quare beneficia proprie non sunt 1) beneficia *manualia*, seu ad notum conferentis dimittenda; 2) *capellaniæ* seu onus legendi missas in certa ecclesia, vel altari, nisi in titulum perpetuum auctoritate ecclesiastica sint erectæ, 3) *vicaria temporalis* seu administratio vacantis, vel impediti beneficii alii interim, donec alteri ejus titulus concedatur, commissa. At *vicaria perpetua* in justum titulum ab Episcopo erecta beneficium est Porro vicariarum, et vicariorum origo repetenda est tum a) ex distinctione illa olim recepta inter *ecclesias*, quo nomine sæpius sola ecclesiarum bona temporalia denotabant, et inter *altaria*, per quæ jura spiritualia intelligebantur; tum b) ex unione beneficiorum facta collegiis Canonicorum, Monachorum etc. qui *sacra* per vicarios obibant, hisque assignata ad congruam sustentationem fructuum portione, reliquos sibi reservabant. Vide Thomassin de V. et N. disc. P. II. L. 2 c. 27. Item Van Espen J. E. univ. P. II. tit. 34 c. 1.

***) De erectione, quæ fit auctoritate ecclesiastica, in consequentibus erit sermo.

§. 450.

IV. *Beneficiorum* hodie variæ sunt *species: qualificata* aut *duplicia* sunt, quæ dignitatem, personatum, officium speciale (§. 297) aut curam animarum sibi adnexa habent: sin; *simplicia* vocantur: 2) *curata* aut *non curata* dicuntur, prout curam animarum pro foro ex- vel interno adnexam habent, aut non habent: et ex illis 3) *majora* appellantur queis jurisdictio ecclesiastica propria, et pro foro externo adnexa est, *minora*, quæ ea carent; rursus 4)

electiva

electiva nominantur, queis per plurium suffragia et superioris confirmationem providetur; *collativa*, ad quæ ex Prælati arbitrio Clericus admittitur; *mixta* aut *patronata*, quæ ad patroni præsentationem, aut nominationem conferuntur a Prælato: 5) *secularia* dicunt, quibus Clerici seculares, *regularia*, queis regulares per se præficiendi sunt. *)

*) Beneficium potest esse *regulare* 1) ex *natura sua*, quod per se rectorem regularem requirit, atque adeo nemini, nisi illud regulare institutum reapse professo, conferri potest (i), vel 2) *per fundationis legem*, seu probatam ab Ordinario fundatoris voluntatem, qua illud Regularibus addictum est, vel 3) per Ordinarii superiorisve *institutionem*; vel denique 4) per primævæ fundationis aut institutionis *immutationem*, quæ vel legitimam per auctoritatem, aut per quadragenariam præscriptionem (k) fieri potest. *In dubio*, num beneficium sit regulare, num sæculare; nisi ex documentis pro alterutro habeatur major probabilitas, spectandus status ultimus (l), quodsi neque de hoc satis constiterit, *sæculare* potius esse præsumitur; quia seculares Clerici frequentius ad beneficia solent deputari: aliud dicendum, ubi beneficium sit per se regulare. Cf. *Böckhn comment. ad Decret. L. III. tit. V. n. 7 seqq.*

§. 451.

Superest celebris hodie divisio beneficiorum in 1) *compatibilia* 2) et *incompatibilia*, seu quæ in

(i) Trid. sess. 14 c. 10 de reform.
(k) Vid. c. 5 de Præb. in 6. et Bullam Benedicti XIV. A. 1747. *Quod inscrutabili.*
(l) C. 24 de Elect. c. 7 de caussa possess. et propr. c. 19 de jure patronat.

eadem persona conjungi possunt, quæque nequeunt; * 3) *incompatibilia* rursus in ea, quæ sunt a) *primi*, et in ea, quæ b) *secundi generis* vocantur, dividunt. **)

*) Non modo prioribus ecclesiæ seeulis, queis in ipsa ordinatione Clerici certæ ecclesiæ, unde et victum haberent, servitio adscribebantur, quemquam in duarum ecclesiarum catalogum referri vetitum erat (m); sed et deinceps, ubi ordinatio a beneficii collatione sejuncta est, plura beneficia ab eodem possideri ecclesia semper vetuit (n). Licet vero subin ab eo rigore variis sub prætextibus hinc inde esset recessum, ecclesia tamen pluralitatem beneficiorum, ceu cultui divino, ecclesiæ et fidelium utilitati, fundatorum intentioni, et naturali æquitati contrariam semper exhorruit, et profligare modis omnibus studuit: denique id saltem concessit, ut siquidem beneficium unum congruæ non sufficeret sustentationi, alterum, *simplex* tamen, cum Episcopi facultate adjungi posset (o), dummodo utrumque personalem residentiam non requireret. Cf. van Espen J. E. un. P. II. tit. 20 per tot.

**) *Incompatibilia* sunt beneficia, a) quorum unum ad Clerici sustentationem jam sufficit; b) quorum residentiæ et servitio simul ab uno nequit satisfieri. Solent autem a multis *incompatibilia* dividi in ea, a) quæ sunt *primi generis*, seu quæ per assumtionem secundi beneficii jure ipso vacant: et in ea, quæ b) sunt *secundi generis*, ubi primum non jure quidem ipso vacat, retineri tamen absque dispensatione haud potest. Porro inter beneficia *incompatibilia primi generis* referuntur duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus

(m) Can. 10. concil. Chalced. etc.

(n) C. 7. 14. 15. de præbend. et dignit. c. 4. execrabilis. extrav. commun. eod. tit. concil. Lateran. III. etc.

(o) Trid. sess. 24. c. 17 de reform.

natus, item unum curatum cum dignitate sive in una sive in diversis ecclesiis: duo beneficia uniformia, etiamsi simplicia, par tamen officium habentia sub eodem tecto, id est, in eadem ecclesia, *incompatibilia secundi generis* censentur duo Canonicatus, aut alia beneficia residentiam requirentia; item Canonicatus et dignitas, aut etiam beneficium curatum, nimirum in diversis ecclesiis. Sunt tamen, qui eam distinctionem per Tridentinum sublatam arbitrentur (p). Equidem diversos hodie assignant titulos, a) necessitatem, b) evidentem utilitatem ecclesiæ, c) merita insignia personæ etc. propter quos dispensari hac in re queat. Attamen auctores, cetera sat liberales, vulgo docent, nec Papæ dispensationem ex plenitudine potestatis factam efficere, ut quis plura beneficia *licite*, immo ea præsertim, quæ ex sua natura incompatibilia sunt, vel *valide* pro foro interno retinere queat; si quidem reapse certa publicaque ecclæsiæ utilitas, aut talis caussa justa absit, quæ naturalem indecentiam abstergat, et incommoda ex beneficiorum pluralitate sequi nata compenset. Recte ergo, inquit Van Espen (q), monuit Synodus Coloniensis (r): » Qui dispensatione » apostolica adversus hæc (pluralitatem beneficio- » rum) se tueri velint, hi viderint, ut caussam » dispensationis obtentæ Deo comprobent. « Cf. *Trid. sess.* 24. *c.* 17. *de reform. item Barthel Annot. in P. Engel J. C. L.* 3 *tit.* 5 *pag.* 225. *Van Espen loc. cit c.* 2 *Zech. de jure rerum eccl. sect.* 3 *tit.* 8. von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht der deutschen Stifter. 1. B. 2. Th. §. 219 *seq.*

(p) Trid. sess. 7 c. 4 de reform. Van Espen P. 2 tit. 20 c. 4 n. 3. seqq.
(q) Ibid c. 5. n. 10.
(r) De a. 1536. p. 1. c. 32.

§. 452.

V. In *erectione beneficiorum*, quæ est actus legitimus, quo perpetui reditus Clerico propter officium aut sacrum ministerium constituuntur, requiritur 1) *legitima* superioris ecclesiastici *auctoritas*, * 2) *finis* et intentio cultus divini, aut salutis animarum, ad quod tendit officium clericale (§. 346. not.) 3) *sufficiens dos*; 4) *locus* beneficio congruens; 5) *consensus* eorum, quorum interesse potest, ne beneficium erigatur. (s) **)

*) Est vero 1) ecclesiarum cathedralium aut his majorum erectio summo Pontifici reservata; (§. 213. n. 5) 2) ecclesias autem collegiatas (t) item regulares abbatiales (u), atque adeo multo magis alia per diœcesin beneficia erigendi potestas penes Episcopum est (x). Quodsi 3) beneficii præsertim majoris erectio nexum cum rationibus reipublicæ habeat, Principis quoque consensum non esse negligendum, ex supra (§. 333.) dictis patet, 4) quod idem in mutationibus quoque circa beneficia faciendis obtinet (y). Demum 5) in mixtis Germaniæ Capitulis contra anni normalis possessionem novi beneficii erectio prohibetur (z).

**) Erectio beneficii fit interveniente *fundatione*, qua bona assignantur, et destinantur ad illud erigendum:

(s) C. 12. de præb. c. 28. causs. 16 q. 7. c. 3 de eccles. ædif. c. 8. de consecr. eccl. c. 9 de consecr. dist. I. et ibid. c. 10.

(t) C. 9 de vit. et honest. Cler. et c. 9 de consecr. dist. I.

(u) Trid. sess. 25 de Regul. c. 3.

(x) C. 11. causs. 16. q. 7 Trid. sess. 21. c. 4. de reform. sess. 24 c. 13 de reform.

(y) Cf. Petr. de Marca L. 4 c. 13.

(z) Inst. P. W. Art. V. §. 26.

dum: porro 1) liberum cuique est largitione bonorum fundare beneficium, et statuere leges fundationis, seu conditiones a beneficiato servandas; quas mutare nec Episcopo integrum est. *Vid L. 28 de Episc. et Cler. Clement. 2 de relig. domic. Concil. Trid. sess. 25 de reform. c. 5.*

ARTICULUS II.

De Provisione Beneficiorum generatim.

§. 453.

Provisio in sensu generali est quivis modus quemquam canonice promovendi ad beneficium, triplicique maxime actu perficitur 1) *designatione personæ* ad beneficium promovendæ, 2) *collatione tituli* seu juris beneficii, 3) *introductione in possessionem* beneficii.

*) Jus designationis et collationis nunc ad eundem spectat et actu uno exercetur, nunc ad diversos pertinet, distinctisque perficitur actibus, de quo postea. Unde actus hi simul sumti *provisio plena*; seorsim vero spectati *provisio minus* plena dici solent.

§. 454.

Designatio personæ ad beneficium promovendæ, maxime ut a collatione sejuncta est, fieri potest 1) per *electionem*, qua plurium suffragiis, vel 2) per *nominationem*, qua vulgo unius sententia persona promovenda designatur, 3) per *præsentationem*, qua persona designata illi, cujus est beneficium conferre, in beneficio instituenda proponitur.

§. 455.

§. 455.

Concessio beneficii *vacaturi* generatim *exspectativa* dicitur: concessio beneficii de jure saltem *vacantis* *) *provisio* aut *collatio* sensu generali vocari solet.

*) Beneficium dicitur *vacare* 1) *de jure tantum*, quod quis detinet, sed absque legitimo titulo; 2) *de facto tantum*, cujus quis titulum quidem seu proprietatem, non item possessionem tenet; 3) de *jure et facto*, cujus nec titulum, nec possessionem quisquam habet. Ceterum vel morte beneficiati, vel renuntiatione libera, vel privatione ipso jure aut per sententiam judicis decreta vacare beneficium potest.

§. 456.

Porro 1) beneficium *de jure* solum *vacans*, servata, de qua mox, lege conferri per se potest, 2) beneficium autem *de facto* duntaxat *vacans* adeo nequit conferri, ut scienter illud acceptans a communione ecclesiastica sit pellendus, et ad idem beneficium, etsi deinceps penitus vacarit, admitti sine dispensatione haud possit (a). 3) Beneficium vero de jure factoque vacans intra tempus a jure definitum conferri non potest solum sed et debet. Ceterum 4) si coadjutorias excipias in ecclesiis cathedralibus et regularibus adhuc permissas (§. 277.) aliis omnibus *exspectantis* perpetuum exilium scribit Tridentinum (b): *) 5) Ecclesia semper non nisi personis, quae ecclesiis forent utiliores, et 6) tempore ac modo per canones praescripto conferri beneficia voluit.

Gene-

(a) C. 10. 40. causs. VII. q. 1 c. 1. 2. 7. de concess. Praeb. vel eccl. non vacantis.

(b) Trid. sess. 24 c. 19 de reform.

*) Generali tamen exspectantiarum omnium prohibitione, seu abolitione comprehendi non censetur *domicellarium* Canonicorum admissio, qui veri sunt Canonici, attamen quum vel nullos, vel aliquos solum fructus percipiunt, Canonici præbendam exspectant: aut certe hæc Tridentini lex iis in ecclesiis, in quibus *exspectantes, electi, utiliter nominati, coadjutores, Canonici in herbis,* (§. 291 not. 2.) dantur, haud esse in tanto rigore recepta dici debet. *Vid. disquisit. can. Cl. Dürr de capitulis clausis* §. 15 *Thesaur. J. E. tom.* 3 *pag.* 157 *seq. Cf. c. 8. de concess. præb. et c.* 19. *de præb.*

§. 457.

Ex dictis (§. præced.) sequentia fluunt axiomata: generatim beneficia I. non nisi *vacantia*; II. Clericis qualitates ad beneficium requisitas habentibus, et *dignioribus*; III. *canonice* seu secundum præcepta canonum conferantur.

§. 458.

Quum igitur I. beneficia non nisi *vacantia* conferri queant, patet ratio, 1) cur non solum concessio ipsa beneficii nondum vacantis, sed 2) vel ejusdem promissio licet jurata ipso jure nulla existat (c); cur, * 3) etsi beneficium ipso jure vacans conferri alteri queat, (§. 456.) nihilominus hic, nisi priore possessore, cui fors adhuc quidquam in eo juris competere possit, ante audito, caussaque summarie cognita, in possessionem beneficii mittendus non sit. (d) **)

*) Licet

(c) C. 2. 3. 13 de concess. præb. et eccl. non vacant. c. 2 eod. in 6.

(d) C. 6 de concess. præd. c. 8. de præb. in 6.

*) Licet Consilium Lateran. III. promissionem beneficiorum antequam vacarent plane vetuerit: Innocentius III. tamen decrevit: quod aliud sit, *Prælatum promittere beneficii collationem, cum poterit, aliud, cum vacabit*, (nempe certum, et determinatum) sed Bonifacius VIII. etiam illo modo factas beneficiorum promissiones plane reprobavit et viribus vacuas voluit. *Vid. c.* 2. 13 *et* 14 *de concess. Præb. et eccl. non vacant. et c.* 2 *de eod. tit. in* 6.

**) Nisi forte detentio beneficii notorie sit iniqua et manifestæ juris dispositioni contraria. Ceterum siquis a Pontifice beneficium, etiam injuste ab alio possessum, voluerit impetrare; possessionis hujus, ne rescriptum subreptitium censeatur, mentio fiat necesse est. *Vid. c.* 28 *de præbend. in* 6. *et c.* 6 *de concess. præb. vel eccl. non vacant.*

§. 459.

Quoniam II. beneficia solum Clericis *qualitates requisitas habentibus* et *dignioribus* debent conferri, intelligimus; quare 1) beneficium conferri nequeat nisi ei, qui dotibus exornatus sit omnibus, quas sive jus commune ad tale beneficium requirit, sive statuta ecclesiarum, fundationis leges, legitima observantia, concordata etc. exigunt; *) 2) cui *dignior*, seu qui consideratis omnibus ecclesiæ utilior fore speratur, ceteris præferri debeat. Id quod leges ecclesiæ, et Patrum auctoritas, et ipsa animarum ecclesiæque salus exposcunt, graviterque præcipiunt. (e). De quo paullo post (§. 469) redibit sermo.

*) Ita

(e) Cf. Thomassin. P. 2. l. 1. c. 37 seq.

*) Ita non raro alicubi doctoratus aut licentiatus; item avitæ aut germanæ nobilitatis gradus, natales ex certa gente aut familia, aliaque in promovendo ad beneficium requiruntur. Unde nisi his dotibus prædíti præsentari aut nominari nequeunt, aut certe nominatos repellere fas erit.

§. 460.

Denique quum III. beneficia modo per canones præscripto sint conferenda: patet ratio, cur beneficia 1) *gratuito* absque omni simoniæ suspicione, 2) *libere* citra vim aut coactionem, (f) 3) *absolute* et determinate, (g) 4) *integre*, sineque *diminutione* seu pacto beneficiatum gravante, de quo infra, denique 5) definito *tempore* *) conferri debeant.

*) Generatim 1) beneficium nunquam ultra semestre vacet (h); et quidem, 2) in regula electio ad ecclesiam cathedralem vel regularem (i) intra tres, libera concessio beneficii intra sex, præsentatio a patrono laico intra quatuor, ab ecclesiastico intra sex menses fieri debet. 3) Id tempus elabi si patiatur Episcopus: providet capitulum; si patronus aut alii jus eligendi, vel nominandi habentes, debito tempore jus suum non exerceant, ad immediatum collatorem jus provisionis devolvitur: de qua re inferius redibit sermo.

ARTI-

(f) C. 2 de his, quæ vi etc.
(g) C. 2 de Elect in 6.
(h) C. 2 de concess. præbend.
(i) C. 41 de Elect.

ARTICULUS III.

De modo perveniendi ad beneficia ecclesiastica majora per Electionem, Postulationem, Nominationem, Translationem.

§. 461.

Licet hierarchia imperiumque sacrum in ecclesia ad finem usque mundi duraturum, et qui in eo præéssent, a Christo constitutum sit; (§. 34. seqq.) certum tamen modum homines ad dignitates ecclesiasticas vocandi, nec a Christo determinatum, nec ab Apostolis constanter observatum novimus.

*) Equidem neminem, nisi vocatum et jussum Christus ad quemcunque sacri officii gradum venire voluit: Neque tamen modum eligendi ecclesiæ ministros designavit. Nam Apostolos ipse, quos voluit, elegit. Deinceps Apostolus Matthias ab Apostolis per sortem electus; septem Diaconi per suffragia vocati. Alii alio modo constituti. (a)

§. 462.

Post Apostolos in cœlum sublatos vulgo in Episcoporum decedentium locum Pastores alii a clero, immo et populo *) eligebantur; id tamen, ut præcipuæ semper hoc in negotio partes (b) essent penes Clericos et subin maxime

(a) Vid. Act. I. 15 seq. VI 2 seq. XIII. 22. I. Timoth. IV. 14. ad Tit. I. 5. Cf. Rautenstrauch J. E. § 693. seq.

(b) Dist. 63. c. 11. Cf. Scholliner de Magistr. eccl. orig. et creat. A. 1757. cap. 4 Barthel dist. prælim. in concord. Germ. c. 1 sect. 2.

me penes provinciales Episcopos. Cf. §. 169. not.)

*) Populi suffragia 1) alii olim *decisiva* fuisse putant; (c) contra 2) alii credunt *consultiva* solum vota populo competiisse– aut *postulativa*, ut ajunt, *informativaque*, queis certum sibi dari Pastorem petebant, aut de futuri Præsulis moribus, vitaque testimonium ferebant: 3) alii *negativa* saltem et *exclusiva* populi suffragia fuisse arbitrantur, eo valitura, ne scilicet invitis Pastor posset obtrudi. (d) Verum nec locorum nec temporum disciplinam hac in re sibi plane consensisse, facile dabit, qui Conciliorum Patrum, Scriptorum aliorum testimonia in rem præsentem conferre inter se voluerit. Cf. *Rupprecht Not. hist. in l. C. Decret. L. 1. tit. 6. tom. II. pag. 7. sqq.*

§. 463.

Quum autem præsentia populi, qui alioqui suffragii qualiscunque jus nulla lege divina (cf. §. 31. n. 1.) concessum habet, (e) tumultuum non raro esset occasio; populo paulatim citius in Oriente, quam in Occidente ab electionibus excluso, (f) soli primores et honoratiores e populo *) deinceps admittebantur. (Cf. §. 169. not. 1).

*) Imperatorum et Principum auctoritas in electionibus Episcoporum multo amplior exstitit præsertim

(c) Vid. Eibel lucubrat. can. exhibens notiones de natura, ortu, progressione Elect. person. eccl. Vien. 1775. Cf. Gratian. Dist. 63. c. 11. 19. 26.

(d) Thomassin P. II. L. 2. c. 1. de Marca L. 8. c. 2 n. 2. seq. Van Espen P. I. tit. 13 c. 1.

(e) Dist. 63 c. 6 et 8. Cf. Scholliner l. cit. §. 16 et Natal. Alex. H. E. sec. I. diss. 8. de jure christianæ plebis in S. Ministrorum electione.

(f) Cf. Rupprecht l. supra cit. pag. 9.

tim a seculo VI. (g) unde deinceps raro sine eorum consensu eligi, aut saltem consecrari potuere Episcopi, præsertim ii, qui regalia subin possidebant: sua tamen auctoritate hac in re aliquando fuisse abusos tum alia monumenta docent, tum illa de investituris dissidii historia. (§. 171) Cf. c. 9. 15. 18. dist. 63. Item Thomassin P. II. L. 2 c. 6. *Rupprecht Not. hist. in I. C. in Decret. L.* 1. *tit.* 6. *tom. II. pag.* 37. *Philipp. Steinhauser Diss. de feudis eccl. c.* 4. §. 127. *Thesau. I. E. tom. V. pag.* 780.

§. 464.

Seculo XII. et XIII. jus eligendi Prælatos ecclesiasticos capitula Canonicorum sibi solis vindicare cœperunt: quod jus moribus initio quæsitum, subinde Pontificum et Imperatorum constitutionibus stabilitum est. Quumque deinceps per reservationes Pontificum jus istud oppido extenuaretur, demum per concordata Germaniæ (§. 174 seq.) integratum, et capitulis Germaniæ perpetuo firmatum est. In aliis contra plerisque præter Germaniam regionibus electioni paullatim subrogata est *nominatio regia*, qua Principes personas prælaturis ecclesiasticis præficiendas designant, ita tamen, ut ecclesiæ eas confirmandi, et ordinandi facultas salva sit. Igitur

§. 465.

Modi usitati, queis hodie ad dignitates ecclesiasticas pervenitur, quatuor maxime sunt I. *electio*, II. *postulatio*, III. *nominatio*, IV. *translatio*.

§. 466.

(g) Scholliner l. c. §. 6.

§. 466.

Electio est personæ tanquam penitus idoneæ legitima ad prælaturam ecclesiasticam evocatio per collegialem sententiam seu. per eos; qui jus suffragii habent, canonice facta et superioris ecclesiastici auctoritate regulariter confirmanda; (h) *) Heic ergo advertendum, I. quis *eligere*, II. quis *eligi* possit, III. quæ electionis *adjuncta*, quæ *forma*, quis *modus* etc. IV. qui electionis *effectus*, V. a quo *confirmanda* electio.

*) Electio sive de Prælato ecclesiastico seculari, sive regulari eligendo agatur, eodem, quod substantiam ejus spectat, modo peragitur.

§. 467.

Eligere possunt 1) alii *jure communi* et *ordinario*; 2) alii jure *speciali et extraordinario*: idque 3) vel per se ipsos, vel per constitutum a se procuratorem. Porro I. *jure communi et ordinario eligere possunt soli, et omnes capitulares*, qui sessionem et votum habent in capitulo illius ecclesiæ: *) nisi forte natura, vel lege prohibeantur, de quo statim. II. *Jure speciali, et extraordinario* eligere possunt clerici extranei quandoque 1) ex speciali lege *fundationis*, (i) 2) ex *privilegio* Pontificis, nisi concordata obstent, 3) ex *cohsensu unanimi* capitularium pro ista vice solum (k); 4) ex *consue-*

(h) Neller Diss. de S. Electionis processu Thesau. I. E. tom. 2 n. 17 pag. 697.
(i) C. 23. de Jur. patron. et c. 4 de condit. appos.
(k) C. 8 et 40 de Elect.

suetudine, 5) ex *præscriptione quadragenaria;* quodsi tamen per hos excludendi essent ipsi capitulares, verosimilius non nisi ex præscriptione *immemoriali.* (l) **)

*) Unde 1) hi capitulares etiam absentes omnes convocandi sunt ad electionem, si adesse possint, et velint (m) atque 2) unus eorum non vocatus de contemtu agere potest ad electionem etiam jam confirmatam irritandam, si consentire nolit, (n) attamen 3) vocati cedere juri suo, aut legitime impediti procuratorem constituere possunt. (o)

**) Eligendi jure pollentes 1) per literas ferre suffragium nequeunt, quum suffragium in ipso scrutinio, seu actu capitulari ferendum sit; hinc aut 2) per se coram, aut 3) legitime impediti suffragium ferre possunt per procuratorem ex capitulo, vel etiam si capitulum consenserit, per extraneum unum, aut plures in solidum constitutos ita, ut unus ceteros præveniens admittatur. (p) Porro hic *procurator* e gremio constitutus, quum digniorem eligere teneatur, non alium suo, alium principalis nomine eligere potest, nisi forte mandatum de eligenda *certa* persona habeat, quale quidem in electione Prælati regularis procuratori e gremio dari nequit. (q)

§. 468.

(l) C. 40 de Elect. c. 8 de consuet. c. 3 de causa possess. et propriet. in fine. c. 1 de Præscript. in 6. Cf. Böckhn comm. in Decret. l. 1 tit. 6. §. 2. n. 20 seqq.

(m) C. 28 et 42 de Elect.

(n) C. 28. 36 eod. tit.

(o) C. 42 de Elect. c. 46 de Elect. in 6.

(p) Ibid.

(q) C. 46 de Elect. in 6. Trid. Sess. 25 de Regul. c. 6.

§. 468.

Eligere prohibentur, etsi sint capitulares, 1) qui discretione carent, mente capti, furiosi etc. 2) qui excommunicatione majore, non item qui minore irretiti sunt; (r) 3) suspensi simpliciter i. e. ab omni activitate sive in choro sive in capitulo; sive in hoc solum; non item suspensi a beneficio tantum, vel solum ab officio (s) * 4) personaliter interdicti et temerarie violantes interdictum locale per missæ celebrationem; (t) 5) ordine subdiaconatus nondum initiati, (u) nisi specialis exstet contraria consuetudo; 6) *privati voce* activa *pro una vice*, uti sine impedimento legitimo absentes, non observantes formam præscriptam, indignum eligentes, postulantesque; (w) 7) privati voce *ad certum tempus*, ut Regulares proprietarii per biennium (x) vel *in perpetuum*, uti religiosi mendicantes, qui ad non mendicantium ordinem transierunt: (y) 8) qui per statutum ecclesiæ particulare a Superiore confirmatum, vel consuetudine roboratum *Aphoni* sunt, seu nondum vocales **)

 *) Certe

(r) C. 23 de appellat. cap. 10 de Cler. excomm.
(s) C. 16 in fin. de elect c. 8 de consult.
(t) C. 18 de sent. excomm. in 6.
(u) Clement. 2 de æt. et qual. ord. Trid. sess. 22 de reform. c. 4. Cf. Neller diss. de sac. elect. processu §. 2. n. 4. Thesaur. I. E. Tom. II. pag. 701 sqq.
(w) C. 1. 2. de postulat. c. 41. 42. de elect. c. 42. eod. tit. in 6.
(x) Trid. sess. 25 de Regul. c. 2.
(y) Clement. 1. de Regul.

*) Certe 1) eligens indignum *suspensus* est a beneficio per triennium (z) contra a voce activa tantum *una vice*; 2) jus suffragii non est pars *officii* unde ad ferendum suffragium cogi nemo potest sed jus suffragii est commodum ex sola, ut ita dicam, capitularitate proveniens *Vid. Neller cit Diss. §. 2 quæst. ad lit. c. Thesaur. I. E. Tom II. pag.* 704.

**) Sunt enim ecclesiæ, ut Herbipolensis, in quibus Novitius capitularis, licet Subdiaconus fuerit, primo triennio non est *vocalis* propter os sibi clausum, ut audiens prius et tacens discat discrete votare. *Neller L. cit. Thesaur. I. E. Tom. II pag.* 701.

§. 469.

I. *Eligi possunt* omnes, qui et *dotibus* pollent per sacros Canones ad eam dignitatem *requisitis*; et expertes sunt vitiorum impedimentorumque itidem in jure designatorum (§. 409 seqq.) Porro *dotes eligendorum*, a S. Canonibus præscriptæ, sunt 1) *fidei*, *morumque* integritas; 2) *ætatis maturitas*: requiruntur autem in Episcopo anni triginta completi, in Prælatis inferioribus, qui curam animarum exercere debeant, annus vigesimus quintus inchoatus, sin; anni viginti duo completi sufficiunt: (a) 3) *Scientia literarum*, et quidem assumendus ad Episcopatum sit Doctor, vel Licentiatus in Theologia, aut jure canonico; aut publico saltem Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; quodsi Regularis fuerit, a Superioribus suæ religionis simi-

(z) C. 7 de elect.
(a) C. 7 de Elect. Trid. Sess. 24 de reform. c. 12.

similem fidem habeat. (b) 4) *Ordo sacer*, ut eligendus ad ecclesiam cathedralem sex saltem menses jam sit in subdiaconatus ordine constitutus; ad alias vero dignitates assumendi possint saltem intra anni spatium sacerdotio initiari. (c) 5) *Professio religiosa* in eo ordine facta, in quo ad prælaturam regularem quis promovendus est. (d). II. *Eligi autem nequeunt*, 1) qui dotibus prædictis destituti, aut natura vel legis dispositione sunt incpti: unde 2) *criminosi*, *hæretici*, *schismatici*, aut *simoniaci* excluduntur; atque hi, etiam, si ipsis nescientibus fuisset oblata ab amicis pecunia: non item, si in fraudem, aut odium eligendi aut hoc expresse et constanter contradicente pretium fuisset oblatum. (e) Eligi item nequeunt 3) ecclesiam cathedralem, seu Episcopatum jam actu possidentes, aut plura beneficia incompatibilia intelligimus retinentes; (f) 4) consentientes in electionem sui per abusum potestatis secularis; (g) 5) Religiosi proprietarii, (h) 6) excommunicati etiam minore excommunicatione, (i) 7) suspensi ab officio vel beneficio,

---

(b) Trid. Sess. 22 de reform. c. 2. Cf. v. Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht 1. B. 2. Th. §. 272.
(c) Ibid. et c. 7 de elect.
(d) C. 49 de Eleet. et c. 28 de Elect. in 6.
(e) 27 et 33 de Sim.
(f) Trid. Sess. 7 c. 2 c. 54 et c. 57 de elect.
(g) C. 43 de elect.
(h) Trid. sess. 25 de regul. c. 2.
(i) Cap. 7 de Cler. excom.

(k) 8) personaliter interdicti, et violantes interdictum locale, aut personale; (l) 9) irregulares omnes; (§. 404. seq.) 10) indigni, aut etiam minus digni: *) 11) qui scienter elegit indignum, eligi per triennium ipse vetatur. (m).

*) Ideo enim electio instituitur, ut *dignior*, id est, qui ecclesiæ consideratis omnibus adjunctis futurus speratur utilior, eligatur, atque hanc obligationem esse gravem tum ex ipsius negotii gravitate, tum ex aliis (n) probatur; 2) attamen electio minus digni, modo dignus sit, ne infinitis litibus ansa præbeatur, valida est. (o) 3) Ceterum ubi dignus *in capitulo* habetur, de eligendo digniore extraneo canones nil præcipiunt. 4) Electio indigni, sive indignitas ex defectu, delicto, aut censura, (excepta minore excommunicatione, ubi electio expresse primum irritanda esse dicitur) (p) oriatur, pro foro utroque, et *ipso jure* irrita est; etsi Electio solum prohibeatur, nec verbis expressis irritetur: etenim lex prohibens in regula simul est irritans. Cf. §. 138. not. 1.)

§. 470.

Ad Electionis *adjuncta* quod attinet I *prævia* electionis, II. *locus* et *tempus* electionis, III. *forma* electionis notanda.

§. 471.

(k) Ibid. et c. 8 de æt. et qualit. ord.
(l) C. 8 de consuet. et c. 1 de postulat.
(m) C. 7 de Elect. §. 3.
(n) C. 15 caus. 8 q. 1. c. 19 dist. 63. Trid. sess. 24 de ref. c. 1. ex sent. contr. ab Innoc. XI. proscripta. Cf. Petri Guetrather O. S. B. Porta honoris A. 1700. c. 3 §. qui hanc rem pluribus exponit.
(o) C. 19. §. illius de elect.
(p) C. fin. de cler. excomm. ministr.

§. 471.

Præparatio electionis fere his continetur;) ecclesia reapse vacante et, si id per obitum ontigerit, exequiis defuncti celebratis (q) er capitularium præsentium vota majora aut er eos, ad quos de consuetudine pertinet, *) *ongruus et discretus terminus* futuræ electionis definitur, (r) 2) die præfixo per edictaem citationem (proclama vocant) ecclesiæ alvis adfixam, immo per literas ad singulos nissas omnes, qui jus eligendi habent, invitantur. **) 3) Terminus electioni præstitutus tidem significandus est Imperatori quoad eclesias immediatas, seu imperio proxime subectas, advocatis ecclesiæ, ubi moris, Episcopo generali, vel præsidi ordinis, aut congregaionis) ut mittantur Commissarii. ***) Idem uturæ electionis dies a capitulis cathedralibus Germaniæ Pontifici etiam decenter solet significari.

*) Alicubi per Decanum vel Seniorem capituli præfigi electionis dies solet. In Bavaria obitus Prælati regularis Seren. Bav. Duci, et Ordinario significatur, diesque electionis vi concord. Bav. (s) communi Seren. Ducis et Ordinarii consensu præstituitur.

**) Vocandos esse capitulares omnes, qui debent, volunt, et commode possunt interesse, qua in re observantia ac consuetudo locorum maxime adtendenda; item vocatos jure suo cedere, impeditos per procuratorem suffragium ferre posse jam (§. 467 not. 1.) monuimus.

 *** 1)

(q) C. 36 de elect.
(r) C. 52 de elect.

*** 1) Jus mittendi Commissarios ad electiones Prælatorum ecclesiasticorum immediatorum tum catholicorum tum protestantium Cæsari competens in cathedralibus quidem, sed raro in ecclesiis aliis exercetur. Jus idem in nupera Episcopi Ratisbonensis electione, quum durante electionis negotio Augustus Imperator Josephus II. diem obiisset supremum, et subin in electione Episcopi Eustettensis Serenissimus Elector Palatino-bavarus tanquam S. R. I. Vicarius, misso ad eas Legato, exercuit. Semper 2) Dux Bavariæ ad Episcoporum Salisburgensis, Passaviensis, Frisingensis, Ratisbonensis electionem legationem (t) decernere solet. Item in Bavaria electionis Prælatorum regularium » tractatui intersunt Commissarii ducales, » ipsi autem electioni non aliter, quam si in com- » promissarios seu scrutatores assumantur « atque electioni canonice factæ nomine Principis assensum præstant. (u) Ceterum 4) quid defuncto Prælato regulari non exemto circa *obsignationem*, *inventarii confectionem*, et extraditionem ejus et clavium, quid circa proedriam Commissariorum episcopalium et ducalium, expensas, honoraria etc. servandum sit, per speciales Recessus, (w) decreta specialia et consuetudinem determinatur.

§. 472.

De *Tempore*, *loco*, aliis proximis *electionis adjunctis* animadvertendum; 1) electio ad ecclesiam cathedralem vel regularem celebranda est sub pœna *devolutionis* saltem intra *tres menses*

(s) Concord. Bav. de 1583 c. 2.
(t) L. B. de Kreittmayr Bayr. Staatsr. §. 136.
(u) Concord. Bav. 1583. c. 2.
(w) Vid. Recess. Salisb. 1628. n. 19 præter decreta antiquiora ordinatio seu regulativum de 1770 et conventio 1774. 6. Oct. cum Episc. Chimensi, ceterorum Episcoporum mandatario, conclusa.

ses a die notæ vacationis; *) aliis præter Episcopatum, aut Prælaturam regularem dignitatibus vacantibus intra *semestre* spatium providendum est (§. 460 not.) 2) Electio in *loco decenti* et regulariter intra vacantis *ecclesiæ* ambitum fere in ejus conclavi capitulari facienda; (x) 3) dicta missa de Spiritu sancto electores S. Synaxin sumunt, 4) pulsata campana in signum convocationis ad capitularem locum acceditur: (y) 5) admittitur Procurator electionis, Notarius et duo testes jurejurando ad fidem adstricti; 6) Notarius proclama, seu edictum citationis reproducit coram capitulo, et legit; 7) accusatur contumacia absentium, 8) fit protestatio de non admittendo inhabili ad suffragium; 9) constituitur numerus præsentium, ut pateat, quot sint vota majora; 10) præstatur juramentum ab electoribus de eligendo digniore; 11) datur absolutio a censuris; 12) quæritur, qua *forma* electionem placeat instituere, 13) eliguntur scrutatores vel compromissarii: de quibus statim.

*) Quodsi vero trimestre sit elapsum citra capituli culpam, e. g. si electus moriatur, aut dignitatem non acceptet, aut ob occultum vitium repellatur; novum ab ejus morte, dissensu, vel electionis irritatione trimestre conceditur. *C.* 26 *de Elect. in* 6.

§. 473.

Forma seu modus eligendi est triplex. I. per *inspirationem*, qui insolentissimus, II. per

---

(x) C. 28 de elect.
(y) C. 14. 30 de elect.

per *scrutinium*, qui frequentissimus; III. per *compromissum*, qui rarior est electionis modus (z) *)

*) Hos tres modos vulgo assignant; ast duos posteriores solum in c. 42 probari, et inspirationem non esse formam electionis tertiam, sed duntaxat, ut ex capituli verbis eruitur, esse exceptionem, quæ electores ab observandis *duabus formis* absolvit, notat Neller *diss. de S. elect. processu* §. 5. De electionibus olim haud infrequenter per sortes factis, quas tamen Honorius III. prohibuit. (a) *Cf. Calmet diss. de Elect. per sortes et Bingham orig. Eccl. L.* 4 *c.* 1. §. 1. *pag. mihi* 80.

**) Alius extraordinarius eligendi modus est per *acclamationem*; quæ tum fieri dicitur, si absque scrutinio aut compromisso Capitulares in certam personam consentiant, ac suum quisque suffragium coram omni capitulari consensu declarent, atqui ita una omnes electo quasi publice acclament.

§. 474.

Inspiratio est vel 1) *vere talis*, si Deus ipse manifesto indicio personam eligendam designet? *) vel 2) *quasi talis*, seu præsumta, ubi nullo prævio tractatu electores omnes uno ore in eandem personam sine vitio consentiunt. (b) Atvero *inspirationem* asserere in electionibus, quæ Superioris egent confirmatione, periculosæ res est aliæ; etenim si vel minimus tractatus

(z) C. 42. de Elect.
(a) C. 3 de sortilegiis.
(a) C, 42 de Elect.
(b) Vid. Van Espen I. E. univ. P. 2 tit. 21 c. 4 n. 9 et Neller cit. Diss. de Electionis processu §. 5 n. 5. Thesaur. I. E. tom. 2 pag. 715.

tus prævius, aut aliud quid vitii intercessisse probaretur, id genus electio a Superiore admittenda haud foret. (c)

*) Inspirationis divinæ exempla quædam prioribus ecclesiæ seculis e. g. in Fabiani, (c) Alexandri, (d) Martini, (e) aliorumque electionibus antiquitatis monumenta memorant.

§. 475.

Electio per scrutineum hoc modo peragitur: 1) præsentium capitularium suffragia, quæ sive *viva voce*, sive, quod in electionibus regularium, nisi per compromissum fiant, sub nullitatis pœna requiritur, (f) *scripto et secreto* dantur, tres fide digni de capitulo, aut per consuetudinem etiam extranei, designati, ideo *scrutatores* dicti *) *secrete*, et *singillatim*, id est, seorsim ab aliis de capitulo, suffragia adnotant, aut colligunt; 2) suffragiis in scripturam redactis, vel in urnam missis vota in communi publicantur, id est, vota numerantur, et tot esse suffragia, quot sunt suffragantes, publice indicatur, quod vocatur *publicatio scutinii*, quo facto *variare* seu retractare suum suffragium nemini licet. **) (g) Subin 3) fit collatio

---

(c) Apud Euseb. H. E. L. 6 C. 29.
(d) Apud eund. eod. lib. c. 11.
(e) Apud Sulpitium Severum in vita S. Martini c. 7.
(f) Trid. Sess. 25 de Regular. c. 6 sunt, qui hoc decretum solum ad Regularium Prælatorum *temporalium*, non item ad *perpetuorum* electiones pertinere credunt, vid. Pet. Guetrather Porta honoris: c. 4 §. 2 n. 7 pag. 210. seqq.
(g) C. 42. 58. de Elect.

latio votorum, (vota conditionata, alternativa, incerta penitus rejiciuntur) porro 4) is in quem *omnes*, vel *sanior*, sive quod unum hodie attenditur, *major* pars consensit, statim formato electionis communis decreto, seu facta declaratione capituli, quod electionem sibi publicari petat, per unum nomine omnium eligitur, et electus coram capitulo, et praesentibus pronuntiatur. (h) Demum 5) electio facta iis, quibus debet, e. g. caesareo Legato significatur, atque ex loco publico etiam populo denuntiatur. ***)

*) Scrutatores vel aliquamdiu ante, vel proxime ante electionem itidem per suffragia majora capituli eliguntur, qui praestito, ubi moris est, aut petitur, juramento, si sint de capitulo, et voce viva suffragium feratur, primum a sese (duo a tertio) subin a reliquis suffragia exquirunt.

**) Poenitere et votum mutare ante scrutinium publicatum semper licet, id quod tamen, in regularium electionibus fieri nequit a singulis, eoquod vota in urnam dentur, sine vocantis nomine, ut adeo suam praecise schedulam retrahere nemo queat. Ceterum in publicatione scrutinii nequaquam, quod visum quibusdam, opus est, ut exprimatur, quae personae, et quot quisque vota obtinuerit: etenim *collatio* votorum publicato in commune scrutinio primum fieri jubetur, ut adeo in quos, vel quot vota collata sint, prius constare nequeat. *Cap.* 47 *et* 50 *de Elect. cf. Bökhn comment. in l. c. L. I. tit.* 6 *n.* 87. *Van Espen I. E. univ. P.* 2 *tit.* 21 *c.* 4 *n.* 21.

***) De ceremoniis aliis electionem ejusque acceptationem sequentibus Cf. Von Sartori geistl.

und

(h) C. 42. 46. 50. 55 de elect., c. 21 eod. in 6.

und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. 1 B. 2. Th. §. 337 *seq.*

§. 476.

Numerus suffragiorum respective seu *relate* ad alios suffragio honoratos major haud sufficit, sed requiruntur suffragia *absolute majora*, seu plura omnium ex jure suffragantium; *) (i) nec ad eorum numerum, qui in scrutinio non sufficiebat, complendum, accessui (excepta Pontificis et Abbatissarum electione **) ad complendas duas tertias) locus est; (k) sed scrutinium repetendum aut ad viam *compromissi* transeundum est.

*) Attamen minor suffragiorum numerus prævalebit, 1) si altera pars scienter indignum, (l) aut 2) eum, qui fuisset postulandus, elegisset; (m) dummodo *majora* reliquorum *innocentium* capitularium suffragia in unam personam consentiunt: 3) si postulatio concurrat cum electione, nec duæ tertiæ pro uno postulato stent, simulque *eligibilis* pro se ultra unam tertiam totius capituli habeat, de quo paullo post. Quodsi neutrum horum sit; verosimilius nulla pars vincit, sed novum scrutinium a capitularibus innocentibus institui debet. Vide, qui id exemplo illustrat, *I. Christoph Kock Diss. de votis duplo majoribus* §. 10 *Thesaur. I. E. tom.* 7 *pag.* 397.

**) Accessus isthic in Abbatissarum electione tum solum habet locum, si aliqua jam habeat suffragia absolute majora. Tunc facto accessu electio statim confirmanda erit: sin; electio quidem interim

(i) C. 19. 29. 48 de elect. Cf. c. 23 eod. tit. in 6.
(k) C. 6 de elect. et c. 43 §. sane in 6.
(l) C. 40 et 53 de elect.
(m) C. 22 eod. tit.

terim sustinetur; allatæ tamen contra eam oppositiones ex officio audiendæ sunt a Superiore antequam electio confirmetur, aut infirmetur. *Cf c. 43 de elect. in 6.*

***) In electione Pontificis item singulare est, 1 quod nemo possit prætextu censuræ ab ea excludi 2) quod absentes, qui haud speciatim vocantur sed per decem dies exspectantur, constituere Procuratorem nequeant: 3) quod compromissariu sibi dare votum haud possit: 4) quod eligend nulla juris humani impedimenta obstent. 5) quod electus confirmatione haud egeat, et statim administrare jura sua queat. etc. *Cf. Schrodt Inst. I. E. L. 1 tit.* 6 §. 343.

§. 477.

Per *compromissum* electio fieri dicitur, quando unanimi omnium jus eligendi habentium consensu (utpote de quorum singulorum jure agitur) uni pluribusve Clericis sive de gremio sive extraneis eligendi potestas committitur. *Compromissum* vel *simplex* est vel *limitatum*, prout nullis vel quibusdam conditionibus est restrictum. (n) Illi, quibus electionis negotium commissum est, *compromissarii* dici solent.

§. 478.

In *compromisso* 1) si plures sunt compromissarii, itidem, ut in electione, *vota absolute majora*, nisi conditio compromisso adjecta aliud statuerit, canonicam efficiunt electionem: atque heic contra ac in electione accidit vota

com-

(n) Reg. jur. 28 et 56 in 6. c. 8. 21. 32 de elect. c. 29 eod. in 6.

compromissariorum absolute majora rem definiunt, sive eligibilis cum eligibili, sive postulabilis cum postulabili, sive eligibilis cum postulabili concurrat. *) Porro 2) numerum votorum unus ex compromissariis pro se complere poterit, dum ipse aliorum electioni de se factæ consentit. **) (o) 3) Electio per compromissum facta promulganda est ab uno, communi compromissariorum nomine, (p) uti supra (S. 475.) dictum.

*) Quare si constitutis e. g. quinque compromissariis horum tres unum postularent, duo unum eligerent, prævaleret postulatus. Rationem suggerit textus juris: (q) Quia postulatio fit per eos, in quos totum capitulum eligendi transtulerat potestatem, propter quod unanimiter de consensu totius capituli intelligitur esse facta. *Vid. Neller l. cit. Thesaur. I. E. tom. 2 pag.* 748 *et I. Christ. Koch Diss. de votis duplo majoribus Thesaur. I. E. tom.* 7 *pag.* 394.

**) Quodsi e. g. constitutis quinque compromissariis duo eligerent Petrum unum ex compromissariis, hic consentiendo in sui electionem numerum complet, et electionem sui canonicam reddit.

§. 479.

Quoniam vero compromissum *mandati* rationem habet, (§. 477.) sequitur, 1) formam a compromittentibus positam esse exacte servandam, secus nulla foret electio; (r) 2) potesta-

(o) C. 33 de elect.
(p) C. 21 de elect.
(q) C. 30 de elect.
(r) C. 32 de elect.

testatem eligendi compromissariis datam re adhuc integra revocari posse per majora vota capituli; 3) exspirare eorum potestatem a) per revocationem re adhuc integra factam (s) b) per temporis, seu a jure, seu a capitulo præfixi lapsum; (t) c) per electionem peractam, etsi effectum non sortiatur; (u) item d) per mortem unius ex compromissariis, eoquod non in singulos, sed in omnes compromitti soleat. *)

*) Sæpe adhibetur scrutinium mixtum compromisso ut compromissarii teneantur secreto et singillatim exquirere vota singulorum, et eum eligere, in quem major et sanior pars capituli consenserit. Quo casu servanda erunt omnia, quæ servari oportet in electionibus per scrutinium. (x) Ceterum advertunt auctores, seu hanc, seu prædictas eligendi formas non esse necessario adhibendas in aliis præter Prælatorum ecclesiasticorum et regularium, qui monasteria in titulum perpetuum tenent, electiones, e. g. in electionibus personatuum, Canonicorum, dignitatem inferiorum, immo generalium ordinum, qui perpetui non sunt. *Cf. Fagnanus ad c. 42 de elect. N.* 5 *seqq.*

§. 480.

Effectus electionis fere sunt 1) quod, ut diximus, (§. 475.) publicato scrutinio pœnitere jam electores nequeant; sed 2) factam electionem intra octiduum ab eo tempore, quo commode potuit, computandum significare obli-

---

(s) C. 30 de elect.
(t) C. 52 eod.
(u) C. 37 de elect. in 6.
(x) C. 32 de elect. c. 23 et 29 eod. in 6.

obligentur electo ejusque consensum petere. (y) 3) Electus itidem accepto nuntio intra mensem electionem, nisi jure quæsito excidere velit, acceptare debet, (z) qui 4) per consensum equidem *jus ad rem* nanciscitur, quo nisi indignus ipse vel non canonice electus probetur, privari nequit, (a) non tamen *jus in re:* unde 5) administrationi ecclesiæ nec in temporalibus nec in spiritualibus se immiscere in regula potest. *) (b)

*) Excipiuntur ultramontani Episcopi, adeoque et Germani, a Pontifice confirmandi, qui in *concordia electi* mox consequuntur administrationem tum in spiritualibus, tum, excepta rerum alienatione, (c) etiam in temporalibus, nam vi Concordati Calixtini (§. 170) electus Episcopus potest statim investituram a Cæsare recipere, quam investituram sæpe fuisse ante confirmationem datam exempla (d) docent. Dein hodie a Legato cæsareo statim temporalia traduntur Episcopis electis, qui jura quoque territorii et regalium ante investituram cæsaream exercent. (e) Administrationi in spiritualibus equidem constitutio recentior (f) videtur obstare · at enim hæc generalis regula illam *particularem* pro *remotis* ecclesiis

(y) C. 16 de elect. in 6.
(z) C. 6 ibid.
(a) C. 3 de elect.
(b) C. 7 et 9 de elect.
(c) C. 44 eod. tit. Cf. Barthel tom. 1. opusc. 4. pag. 464 seqq.
(d) Vid. Ludewig Reliquiæ Manuscriptorum Tom. II. pag. 447.
(e) Exempla habentur in subscriptione Recessuum de A. 1641. 1654.
(f) C. 5 de Elect. in 6 et c. 1 eod. tit. Extrav.

siis exceptionem haud infirmat. Dein etsi hac indulgentia Germaniæ Episcopi sine consensu aut Papæ, aut capituli sæpe uti non soleant, tamen aliquorum ab administratione interim abstinentium Episcoporum exempla tanquam actus meræ facultatis, juris vel imitationis necessitatem reliquis imponere haud valent, uti bene advertit *Barthel tom. 1. opusc. 4 pag. mihi* 465.

§. 481.

Confirmatio electionis est approbatio electi, seu decretum Superioris, quo prævia electionis cognitione eam canonicam declarat, et probat; 1) petenda est confirmatio intra trimestre, ex quo electioni electus consensit, (g) *) 2) conceditur prævia caussæ cognitione, ** 3) negari nequit nisi ex caussis canonicis, *** 4) tribuit jus in re, et plenam in temporalibus, et spiritualibus (iis quæ sunt *ordinis* episcopalis, et consecrationem requirunt, exceptis) administrationem et jurisdictionem: (h) Item 5) vinculum conjugii spiritualis inter electum Episcopum et ecclesiam nectit, ut citra Pontificis veniam ab ea jam recedere nequeat: 6) concessa cum clausula: *supplentes*, vel in forma *speciali*, vitia humanæ solum legi adversantia, si quæ forte in electione irrepserint, sanare dicitur.

* 1) Confirmationis olim fere cum ipsa ordinatione electi conjunctæ jus penes Episcopos Ordinatores atque inprimis penes Metropolitanos erat situm: 2) quod jus etiam pacto Calixtino (§. 170. not. lit. d. n. 2.) iisdem firmatum per tredecim fere secula

(g) C. 6 elect. in 6.
(h) C. 15 de elect. c. 1 eodem tit. extrav. comm.

secula in regula penes eos stetit: (i) at 3) sec. XIV. ad Sedem Romanam delatum, ac per Germaniæ (§. 174) Galliæque concordata Pontifici stabilitum est, unde 4) ubi *regia nominatio*, seu consuetudo obtinet, confirmatorium diploma a summo Pontifice Rex ipse petit: in Germania vero electus confirmationem a sede Apostolica, ad quam itidem controversæ electionis decisio (Vid. infra §. 547) pertinet, (k) petere solet.

**) Ut cognitio rite fieri queat 1) equidem ipse electus Romæ confirmandus per se vel procurarem Romæ intra mensem electionis instrumento rite instructus se sistere deberet: (l) at 2) more in Germania recepto intra tres menses instrumentum, totum electionis processum continens, a Notario apostolico confectum, a capitularibus, aut scrutatoribus subscriptum, et subsignatum per Legatum apostolicum aut Nuntium ejus provinciæ, (is per se aut aliquem vicinium Prælatum examen de dotibus, doctrina, moribus elec-

---

(i) Vid. Hedderich Diss. de jure consecrandi suffraganeos Trev. 1774 §. 2 ubi Innocentii I. Zosimi, Leonis M. Gelasii I. aliorumque Pontificum eam in rem testimonia profert. Cf. Hartzheim concil. Germ. Part. 3. pag. 157. Cf. Van Espen I. E. univ. P. I. tit. 14 c. 1. Thomassin de V et N. disc. P. 2 l. 2 c. 7. 8. 18. 29. 42. Rupprecht Not. in Jus can. tom. II. pag. 66. seqq.

(k) Vid. F. A. Dürr. Diss. de Judice controversiarum in caussis electionum Episcoporum Germ. A. 1768. Thesaur. I. E. tom. 2 pag. 354. Cf. von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. 1. B. 2. Th. 12. Kap. §. 439 seq. und 2. B. 2. T. 1. Absch. c. 40. §. 1140 seqq. et §. 1309 sqq.

(l) C. 16 de Elect. in 6.

ti instituit, (m) et fidei professionem ab eo exigit) addito inquirentis judicio ad summam sedem mittitur. 3) Re examinata confirmatio Episcoporum vel Abbatum immediatorum in *consistorio* peragitur vel tota simul in uno, vel in duobus ut in primo fiat duntaxat præconizatio, in altero confirmatio. Posthæc Bulla aut Breve confirmatorium editur. Cf. *Van Espen P. I. tit.* 14 *c.* 4.

***) Ampliorem quidem in rejicienda electione Pontifici facultatem facere videtur illa clausula concordatorum Germaniæ: *nisi ex rationabili et evidenti causa, ac de dictorum fratrum* (Cardinalium) *consilio de digniori et utiliori persona duxerimus providendum*: at vero ista clausula vix unquam, nisi in casu prorsus singulari, usum habere potest; unde rite intellecta libertati electionis nil officere creditur.

§. 482.

Postulatio, alter ad prælaturas ecclesiasticas perveniendi modus, ex hodierna disciplina *) duplex est 1) *solemnis* et propria, quæ est petitio a capitulo vel alio jus nominandi habente, ad Superiorem directa, ut is personam impedimento canonico, dispensari tamen solito, laborantem, sed ecclesiæ utilem admittere ad prælaturam ecclesiasticam velit: 2) *minus solemnis*, impropria aut simplex, quæ est petitio ad Superiorem electi directa, ut in sui subditi nullo impedimento laborantis electionem canonicam consentiat. **)

*) Olim

(m) Vid. Gregorii XIV. Bulla: *Onus Apostolicæ* A. 1591 Bullat. tom. 2 f. 529. Cf. Van Espen l. cit. c. 3 n. 7.

*) Olim *postulatio* longe aliud ac hodie denotabat; jam 1) populi certum virum in Pastorem sibi deposcentis desiderium, jam 2) petitionem ad Principem pro facultate Pastorem sibi deligendi, vel consensu in electum impetrandi; jam 3) idemmet quod electio significabat. Antiquis notior fuit postulatio simplex, quam solemnis. *Cf. Neller dissert. collect. methodic. SS. can. de postul.* §. *1. exstat. Thesaur. I. E. tom.* 2 *p.* 733.

**) Hæc postulatio non tam postulatio, quam electio est, ad cujus etiam regulas componitur; nec interest, an capitulares utantur verbo electionis, vel postulationis. *Ex c.* 27. *de elect. in* 6. *et Engel. L.* 1 *tit.* 6 *n.* 9.

§. 483.

Ex postulationis solemnis descriptione liquet I. postulandum quidem laborare *defectu*, qui dispensando tamen sanari queat; II. postulationem requirere capituli de persona *consensum*, seu quamdam electionem: III. postulationem ad *Superiorem* esse dirigendam, et IV. ejus admissionem, quum dispensationis gratia nitatur, a *Superioris* pendere *voluntate*: proin V *effectus* postulationis ab effectibus electionis plane esse diversos.

§. 484.

Quum I. in postulando *defectus* adsit, in quo dispensari queat; dispensari autem nisi ob utilitatem aut necessitatem ecclesiæ, seu nisi vulnus SS. canonibus per dispensationem inflictum alio bono compensatur, nec oporteat, (u) nec soleat; eruitur 1) eum, qui de-

 fectu

(u) Trid. sess. 25 c. 18 de reform.

fectu nullo laborat, non postulandum esse, sed eligendum; 2) qui defectu laborat, in quo prudenter dispensari nequeat, aut non soleat, *) nedum eligi, sed nec postulari quidem posse, **) 3) defectu dispensari solito laborantes posse, et debere postulari ***), nec eligi posse, nisi forte 4) Pontifex jam ante postulationem in eo defectu dispensasset, seu *eligibilitatis*, ut vocant, *Breve* cuidam indulsisset. ****)

*) Defectu ejusmodi, in quo dispensari vel nequit, vel non solet, laborant, ac proinde ne postulari quidem queunt 1) ex *defectu judicii et corporis* infans, puer, prorsus illiteratus, (o) epilepticus, decrepitus senex, (p) corpore enormiter vitiatus, (q) 2) ex *defectu morum* irregularis ex delicto, scilicet hæreticus, schismaticus, simoniacus, excommunicatus, temerarius interdicti violator, (r) adulter, fornicarius, usurarius, (s) insigniter avarus, (t) falsarius, et infamis ex delicto; (u) 3) *ex defectibus aliis*, in quibus dispensare non solet curia Romana: Religiosus ex mendicantibus ad ecclesiam cathedrali inferiorem transiens, (x) laicus, bigamus, et natus ex damnato coitu; (y) nondum viginti septem annos natus; (z) attamen

in

(o) C. fin. de ætat. ordin.
(p) C. un. dist. 54 et c. 2 de elect.
(q) Ibid. et c. 6 de corp. vitiat.
(r) C. 1 de postul. Præl.
(s) Dist. 46. 47. 49 etc.
(t) C. un. dist. 85.
(u) C. 7 de crim. falsi.
(x) Extrav. un. de postul. int. comm.
(y) C. 2 de bigam., c. 10 de renuntiat.
(z) Extrav. un. de postul. inter comm.

in hoc ætatis (a) defectu et in aliis quibusdam dispensatum jam sæpe est.

**) Unde 1) qui nihilo secius postulare audent eum quem defectu, dispensari non solito, laborare sciunt, pro illa vice voce activa privantur, (b) 2) qui contra extrav. unic. de postul. ætate viginti septem annorum minorem postulant ad ecclesiam cathedralem, qui vel Regularem ex Mendicantium ordine ad Prælaturam cathedrali inferiorem, vel ad monasteria extra eum ordinem, quem professus est, scienter postulant, ea vice postulandi ac eligendi potestate privantur, et a beneficiis in ea ecclesia possessis triennio suspenduntur; 3) postulatus viginti septem annis minor ad ecclesiam cathedralem usque ad *annum* ætatis trigesimum quintum, et Regularis ad cathedrali inferiorem vel ad Prælaturam extra suum ordinem postulatus *in perpetuum* intelligibiles, et inpostulabiles redduntur, si suam in curia Rom. postulationem urgeant. *Cit. c. un. de post.*

***) Postulari de stylo curiæ Rom. possunt, queis inest defectus 1) *natalium* ex simplici fornicatione, (c) 2) *ætatis*, modo sint annos viginti septem nati, 3) *lenitatis* defectus citra peccatum contractus: (d) 4) *S. ordinis* aut *professionis* religiosæ, (e) 5) *libertatis* ob matrimonii spiritualis vinculum, quo ecclesiæ *cathedrali* alligantur, uti Episcopi consecrati, aut confirmati solum. (f) Non item postulari debent, sed eligi *possunt* a) Abbates et Præpositi, licet quasi episcopali in Clerum populumque jurisdictione præditi: eligi

 item

(a) Exempla plura recitat Schmidt Thesau. J. E. tom. 2 pag. 765.
(b) C. 1 de postul.
(c) Cap. 20 de elect.
(d) C. 19 de elect.
(e) C. 13 et 27 de elect.
(f) C. 6 de post. et c. 2 de translat. Episc.

item queunt b) *Episcopi electi* duntaxat. (g) c) *Coadjutores* Episcoporum etiam cum jure successionis, d) *Episcopi resignati*, atque verosimilius etiam e) *Episcopi titulares* in partibus infidelium ut qui Clero et fideli populo, atque adeo et sponsa carent. Neque enim solus ordo aut character episcopalis, sed vinculum conjugii spiritualis postulationis necessitatem inducit: eligibilitatis vero indulta ab his non necessario, sed securitatis majoris gratia petuntur; præsertim quum non constet semper, an non in iis infidelium locis fideles exsistant, ut adeo Episcopus vere ibi exsistenti ecclesiæ vivæ desponsetur. (h) Eligi itidem verosimilius possunt Episcopi *indulto transeundi ad aliam ecclesiam instructi*: nec obstat, 1) quod per indultum istud haud solvatur ligamen spirituale, quo suæ ecclesiæ sunt alligati; nec 2) quod Conradus Episcopus Hildesiensis ejusmodi indulto instructus et ad ecclesiam Herbipolensem transiens idcirco c. 4 de translat. Episcop. redarguatur, etenim licet hoc indulto haud penitus solvatur primum illud ligamen; saltem, ne indultum nihil operetur, ligamen illud non jam *rationem impedimenti* habet. Conradus autem increpitus est, quod contra vim indulti ad *minorem*, vel *æqualem* transierit ecclesiam, idque ante confirmationem sit executus. Sed hodie Episcopi, transire cupientes, sibi Brevia eligibilitatis procurant. Cf. Schrodt Inst. can. L. I. tit. 5. §. 270 sqq.

****) Indultum, seu *Breve eligibilitatis*, est facultas a Summo pontifice iis, qui uno alterove impedimento canonico laborant, ac proin postulandi essent, concessa, ut jam per *viam electionis* ad prælaturam ecclesiasticam pervenire possint. Hoc indultum jam

a

(g) Cf. c. 26 de Elect. in 6.

(h) Cf. Neller Diss. Collect. methodica can. de Postulatione §. 2 q. ad n. 5. Lit. e. Thesau. I. E. tom. 2 pag. 744.

a generale, est, et ad quascunque dignitates et ecclesias se extendit; jam b) ad *certas est restrictum*; jam c) *absolutum*, jam d) *conditionatum*. Ita sæpe conditio adjicitur, ut pinguiore ecclesia donatus priorem dimittat. In congressu Emsensi N. 7 lit. f. de iis habetur: Die Brevia eligibilitatis können in den dazugeeigneten Fällen annoch so lang zu Rom impetrirt werden, bis durch eine allgemeine Kirchenreformation auch hierinn eine andere Vorsehung geschieht. Ad quæ præter alia Episcopus Spirensis in suo ad Electorem Moguntinum responso adnotat: Das bischöfliche Interesse erfodert demnach vielmehr, daß dem Römischen Hofe Vorstellungen dahin gemacht werden, hinfür kein solches Breve eligibilitatis mehr, als nur in einem ganz ausserordentlichen Falle, und nie auf ein Erz- und Bisthum zugleich zu ertheilen. Cf. von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. 1. B. 2. Th. 5. K. §. 278. seqq.

§. 485.

Ex eo, quod II. postulatio *consensu* et quasi am electione capituli nitatur, colligimus, quod postulatio in omnibus, in quibus aliud non exigit ejus natura vel juris dispositio, electionem imitetur; proin 1) postulare possunt omnes et soli, qui et possunt eligere, (i) §. 467) 2) postulationis actus quoad antecedentia, adjuncta, et consequentia est similis actui electionis; 3) verosimilius forma quoque solemnitates in electione præscriptæ sunt c servandæ; * 4) Denique vota absolute majora, uti in electione sufficiunt, nisi forte postulatio cum electione *concurrat*. **)

*) Eccur

(i) C. 55 de elect. et c. 7 de elect. in 6.

*) Eccur enim *formam* postulationis postulantium arbitrio putemus relictam? 1) Postulatio in electionis locum succedit ceu modus irregularis, extraordinarius, immo odiosus; cur ergo favore majore dignam, aut minore cautione tractandam quis arbitretur? 2) Subrogatum naturam ejus, in cujus locum subrogatur, plerumque sequitur; 3) canonicam formam adhibendam suadet ipsa negotii gravitas, et 4) tum receptus capitulorum postulantium mos, tum curiæ Rom. instrumenta postulationis ad electionis normam examinantis praxis demonstrat. *Cf. Böckhn l. I. tit.* 5 *n.* 31.

** 1) Postulationem tunc primum cum electione *concurrere* quidam arbitrantur, quando unus postulantium suo et sibi consentientium nomine in commune postulationem, et unus ex eligentibus eodem modo electionem promulgavit; eoquod sine communi hac publicatione non censeatur perfecta nec electio, nec postulatio, (k) proin nec ante eam secum *concurrisse* dici possint: sed fors rectius in actu collationis votorum statim post publicatum scrutinium suscipiendo jam *concurrere* dicuntur etiam sine duplici publicatione. (l) 2) Quodsi utraque reapse concurrat, tum quidem satis certum est, quod postulatus, si duas tertias totius capituli habeat, præferendus sit electo; electus, si ultra unam tertiam habeat totius capituli, cujus tamen *pars major* alium postulavit, vincat, prævaleatque postulato (e. g. sint universi suffragantes 60 quorum major pars postulet, postulatus per 40, prævalet electo per 20; electus per 21. prævalet postulato per 39.) 3) Non necesse est tamen, ut *integrum* votum ultra unam tertiam habeat

(k) Arg. c. 7 de elect. in 6. et c. 55 de elect. et hanc sententiam tenet. Neller collect. meth. can de postulat. § 3 n. 7. Thesaur. I. E. tom. 2 p. 748,

(l) Ita I. Christ. Koch Diss. de votis duplo majoribus. §. 21 Thesaur. I. E. tom. 7. pag. 413. seqq

habeat electus, modo plus quam præcise una tertia votorum totius capituli ei faveat: hinc in casu, in quo sunt 47 suffragantes, vincit electus cum postulato concurrens, qui 16 suffragia pro se habet. Sed 4) ut ita electus vincat, semper, ut diximus, necesse est, ut unus postulatus habeat pro se vota absolute majora. Etenim, ut actus scrutinii sit utilis, atque capitulares electionis publicatio fieri possit, semper requiritur, ut *uni* candidatorum suffragia saltem absolute majora faveant, licet hic haud semper victor evadat, quod in casu concursus postulationis cum electione contingere potest. Quare si ex 60 electionibus 30 postularint Cajum, 30. elegerint Titium, aut si 29 postulent Cajum, 21 eligant Titium, 10. eligant, aut postulent alium, verosimilius nec electus, nec postulatus vincit, sed repetendum erit scrutinium. (m) Licet autem 5) asserant quidam Auctores, (n) quod a) duæ tertiæ suffragiorum relate ad electum, non ad totum capitulum *postulato* sufficiant; quod b) *una* præcise *tertia* capituli totius, aut c) ultra unam tertiam non intuitu totius capituli, sed intuitu postulati solum sufficiant electo; sive quod in allato exemplo, postulatus per 36 electo per 12. electus per 20. postulato per 39, uno voto in alium collato, aut electus per 11. postulato per 31., votis reliquis in alios dispersis, prævaleat, quod d) in Papæ arbitrio sit, sive postulationem, sive electionem, si pro illa vota tantum absolute majora, pro hac ultra unam tertiam totius capituli stent, admittere, vel confirmare, etc. tamen verosimilius est, nunquam postulatum vincere, nisi duæ tertiæ totius capituli pro eo stent; nec vincere electum, nisi ultra unam tertiam totius capituli sibi suffragantem habeat. Quod contra Nellerum, Boeck-nium

(m) Vid. I. Christ. Koch Diss. §. 20. ubi et alios laudat.

(n) Cf. Koch cit. Diss. §. 19.

nium et alios solide videtur defendere I. Christ. Koch cit. *Diss. de votis duplo major. Cf. Nelleri Diss. de S. electionis processu ad* §. 3 *q.* 5 *sqq.*

§. 486.

Postulatio III. explorata prius postulati voluntate ad *Superiorem dirigenda* est, et quidem ad eum, qui in defectu postulati (§. 484. n. 3) dispensare potest, et qui alias jus confirmandi electiones habet. *) Unde hodie vi concordatorum Germaniæ 1) Episcoporum et Prælatorum proxime Romanæ sedi subjectorum postulationes ad summum Pontificem: 2) Prælatorum vero aliorum postulationes ad Episcopos, vel alios, queis immediate ecclesia subjicitur, Superiores dirigendæ sunt; id quod tamen raro fieri hodie potest, quum in defectibus postulati dispensandi jus pene Pontifici sit reservatum. **)

*) Olim Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum postulationes ad Pontificem, postulationes vero reliquorum Episcoporum ad Synodos provinciales deferebantur.

**) Ita Episcopus 1) *illegitime natum* potest ad simplex beneficium admittere: 2) illius, qui *bigamia similitudinaria* impeditur, aut qui 3) occulta irregularitate laborat, et hac formula: *eligo aut postulo, prout de jure melius valere potest,* eligitur, postulationem potest admittere. *Cf.* §. 411 *not. item vid. Neller cit. Diss. ad finem.*

§. 487.

IV. *Postulationis admissio*, quæ dispensationem involvit, a gratia Superioris fere pendet; unde 1) non nisi prævia de capituli consensu et rationibus dispensandi cognitione admitti

mitti potest; 2) etsi personæ merita haud desint, tamen Papa salvis etiam Germaniæ concordatis, quæ a jure communi hac in re non recedunt, immo distinctionem electionis et postulationis supponunt, (o) postulationem rejicere potest; modo electionis jus denuo capitulo, vel si indignum plures scienter postulassent, illis, qui postulationi non consensere, relinquat; *) 3) quodsi tamen evidens ecclesiæ utilitas aut necessitas admissionem postulationis suadeat, illicite a Papa, utilitatem ecclesiæ ex officio promovere obligato, postulatio rejicitur; et 4) si in hoc casu inferior Prælatus postulationem repelleret, postulantes, non autem postulatus ad Superiorem, ut hic admissionem postulationis imperet, provocare possunt.

*) Nam vi decreti concilii Basileensis Sess. 23. *Licet dudum* etc. a Germanis acceptati Pontifex, si forte ob urgentissimam caussam rejecit electionem, eam ad capitulum remittere tenetur, ut ad aliam electionem procedant. Igitur, si legitima postulatio rejiciatur, equidem postulatus omni ejus commodo caret, non tamen capitulares innocui jure eligendi excidunt. Aliud foret, si omnes indignum postulassent: atque de hoc casu intelligenda sunt concordata Germaniæ, dum beneficia per cassationem vel non admissionem postulationis, nempe ob personæ postulatæ vitium vacantia Papæ reservant. *Cf. Behlen seu Schloer Diss. de elect. Archi- et Episc. Germ electione cassata, postulatione non admissa* §. 18. *n.* 2. *seqq.*

§. 488.

(o) Cf. Barthel diss. 3 de concord. c. 3 §. 23 et Thesaur. I. E. tom. II. p. 765.

§. 488.

Quum in postulando *defectus*, qui per dispensationem tolli debeat, adsit, ejusque admissio vulgo a gratia Superioris pendeat; V *effectus* postulationis ab electionis effectibu (§. 472.) multimodis discrepant: nam 1) postulatio a postulato non absolute, sed solum sul conditione sequuturæ admissionis potest acceptari; 2) etiam acceptata nullum eidem ju: tribuit; unde nullo modo ecclesiæ, ad quan postulatus est, negotiis sese poterit ingerere 3) neque ipse postulatus, sed postulantes sui: impensis postulationis admissionem impetrar debent; (p) 5) hi quoque postulationem, postulato licet jam oblatam, revocare vulgo sine injustitia, vix tamen decenter possunt; 6) Superioris autem judicio subjectam, duntaxat ol reverentiam eidem debitam (q) citra ipsius consensum retractare nequeunt.

§. 489.

Postulatio simplex, et minus solemnis, u ex ejus definitione patet (§ 482.) 1) a solenni plurimum, ab electione vix differt; unde 2) in ea sufficiunt vota absolute majora; 3) sic postulato sui postulationem acceptanti verum *jus ad rem* nascitur; 4) modo Superioris consensus, qui sive per postulantes, sive per postulatum peti debet, hanc acceptationem praecesserit. *)

*) Nam

(p) C. 16 de elect. in 6.
(q) C. 4. et 5. de postul. Præl. Cf. Boeckhn in Decret. l. 1. tit. 5 n. 11.

*) Nam, si Religiosus electioni de se extra suum monasterium factæ non petita, et obtenta licentia præsumserit consentire, consensus præstitus non teneat, et in pœnam præsumtionis illius electio eadem ipso facto viribus vacuetur. C. 27 *de elect. in 6.*

§. 490.

Minus solenniter *postulandi* sunt 1) Cardinales non Episcopi, (r) 2) Prælati Episcopis inferiores; (s) 3) Clerici diœceseos alienæ (t) 4) Religiosi. (u)

§. 491.

Tertius ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus est *nominatio regia*; (§. 464) quæ quum electionis aut postulationis vices subpleat, earum et naturam imitatur et producit effectus. Unde 1) qui nec eligi, nec postulari, iidem etiam nec nominari possunt; 2) qui electionis sunt capaces, *simpliciter*, qui de jure sunt postulandi, cum *postulatione* nominari debent; 3) nominationis vel confirmatio vel admissio eodem modo ab ipsis Principibus peti; et a Papa vel quibus de jure competit, concedi solet, quemadmodum de electione (§. 487. seq.) dictum. Demum 4) servandæ sunt conditiones in nominatione regia in concordatis vel indultis præscriptæ. *)

*) De

(r) C. 3 eod. tit.
(s) C. 36 de elect. in 6.
(t) C. 14. dist. 36 c. 37 caus. 8 q. 1.
(u) C. 1 et 2 dist. 58 c. 27 de elect. in 6.

*) De his conditionibus, præsertim intuitu Galliæ, e. g. quod nominatio intra sex menses, et repulso fors nominato inhabili post tres menses rursus facienda sit; quod in regula non nisi gradatus nominari queat etc. *Vid. Van Espen I. E. univ. P. I. tit.* 13. *c.* 14.

**) Protestantium plures jus nominandi Principibus jure proprio, et majestatico competere asserunt, quia Princeps a) est caput populi, b) quia habet regimen ecclesiasticum, c) quia Sacrorum Antistites auditorum animos flexilibes in manu habent etc. uti inquit Friderici *Apparat. I. can. vol.* 2 *medit.* 1 §. 15. At hi non a Catholicis tantum, sed et a Protestantibus, qui id jus inter collegialia numerant, refutantur. *Vid.* Moßheim Allgemeines Kirchenrecht. 3. Haupt. § 4 *et* 7. *Et, quem hic laudat, Canzius in discipl. morali* §. 2507. » Habet, inquit, Princeps potestatem non » in ipsam ministrorum vocationem, sed circa » eam, non, ut ea fruatur, sed ut eam moderetur, ne reipublicæ obsit. «

§. 492.

Translatio, quartus ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus, jam *latiori* sensu Prælati ecclesiastici cujuscunque ab una ad aliam ecclesiam legitime factam transpositionem, jam *significatione strictiori* Episcopi ab uno ad alterum episcopatum legitima auctoritate factam transpositionem denotat, 2) alii *translationem* in specie sic dictam a *translatione* distinguunt, ut illa volenti, et in melius hæc invito, et plerumque in deterius contingat. *) 3) Vetus ecclesia translationes omnes maxime horruit, et sub pœnis gravissimis ab una ecclesia ad aliam, ausu proprio transire

pro-

prohibuit; (w) **) eas tamen, quæ ob manifestam utilitatem aut necessitatem ceu supremam omnis S. imperii, et legum ecclesiasticarum normam et mensuram (§. 42.) interveniente auctoritate legitima fierent, licitas habuit. (x)

*) An quis Episcopus præsertim culpæ expers transferri invitus queat, varii varia sentiunt. Cf. Thomassin P. II. l. 2 c. 64 n. 9.

**) Temere ab una ad aliam ecclesiam transmigrantium pœnæ variæ erant, et sat graves: 1) Clericus Episcopo inferior pœna depositionis, et redactionis ad laicam communionem multabatur. 2) Episcopis hujusmodi Pontifices Rom. non communicabant, aut 3) utramque et dimissam, et arreptam ecclesiam subtrahebant etc. *Cf. Neller Diss. II de translat. Episc. §. 1 et Van Espen I. E. univ. P. I. tit. 15 c. 4.*

§. 493.

Ex his colligimus 1) *translationes* Clericorum omnes maxime Episcoporum esse vulgo prohibitas; 2) eas non nisi ob utilitatem, aut necessitatem ecclesiæ probari proin; 3) non nisi caussa rite cognita per legitimi Superioris auctoritatem esse faciendas.

*) Translationes Episcoporum equidem olim auctoritate synodorum provincialium fiebant, (y) sæpe tamen Patriarcharum, aut Papæ consensus requirebatur, demum tum per consuetudinem, tum ob conciliorum provincialium infrequentiam, et langui-

(w) C. 39 caus. 7. q. 1. Cf. Thomassin P. II. l. 2. c. 60 seqq.

(x) Thomassin ibid. c. 61.

(y) C. 36. 37. causs. 7. q. 1. can. 13. Apostol.

guidiorem auctoritatem omnes Episcoporum translationes ceu caussæ majores Pontifici reservatæ, (§. 213.) (z) ad eundem hodie privative spectant. 2) Prælatorum non exemtorum, et inferiorum clericorum translationes auctoritate Episcopi fieri nil prohibet. (a)

§. 494.

Translationis *effectus* fere sunt 1) quod tollatur vinculum, et obligatio, quibus quis priori ecclesiæ fuit adstrictus; 2) quod amittatur omne jus in dimissam ecclesiam, si proventus officio jam præstito respondentes excipias, 3) quod ecclesia sublato hoc vinculo vacet. *)

*) Et quidem » ecclesiam, a qua quis *volens* transfertur, vacare ab eo tempore, quo Episcopus ab » illius vinculo absolvitur in consistorio sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum » apostolicarum vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ . . . et posteaquam hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit etiam ex » testimonio seu documento Secretarii sacri Collegii, illico teneri eum abstinere ab exercitio » ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in capitulum tanquam sede vacante etc. « declaravit S. Congreg. Card. super negotiis Episc. 1624. 12. Decemb. Ceterum, quod etiam ille, qui translationem sui factam, quam petiit, adhuc ignorat, a tempore absolutionis jura et possessionem primæ ecclesiæ statim deperdat, Curialistæ affirmant, negant alii. Cf Nelleri *Diss.* 1 *de translat. Episc. Thesau. J. E. tom.* 3 *pag.* 10 *sqq. in qua, ut in ea huic statim subjuncta, plura in rem præsentem notatu digna occurrunt.*

§. 495.

(z) Vid. Thoma i l. c. c. 61 n. 12 sqq.
(a) C. 8 causs. 18. q. 2 et c. 7 de consuet. d.

§. 495.

Non translationem quidem, qua Episcopus, licet vinculo prioris ecclesiæ solutus, characterem utique et ordinem episcopalem non amittit: at vero electionem, postulationem, nominationemve confirmatam aut admissam sequitur *Consecratio* seu *impositio manuum super caput electi Episcopi sub certis verbis, inunctione chrismatis aliisque ceremoniis a legitimo consecratore Episcopo tanquam ministro facta.*

* 1) *Consecratio* Metropolitarum, uti et confirmatio, inprimis ad Patriarchas vel Exarchas pertinuit; consecratio vero Episcoporum provincialium vulgo ab omnibus provinciæ Episcopis, seu potius his præsentibus a Metropolita olim peragenda erat: (b) 2) *duorum* saltem præter consecratorem Episcoporum præsentiam tum Orientis, tum Occidentis disciplina urgebat: (c) quorum tamen præsentia quum non tam ad substantiam, quam ad solennitatem et probationem ordinationis spectaret; interdum cogente necessitate ab ea disciplina recessum est. (d) Unde hodieque illa saltem cum Pontificis venia ab uno Episcopo et duobus aliis, qui ecclesiastica dignitate fulgent, usuque

 pon-

(b) Vid. can. 1. dist. 62 c. 5 et 8. dist. 64. c. 2. 3. seqq. dist. 65. c. 6. et 7. de temp. ordinat. Cf. Thomassin V. et N. disc. P. II. l. 2. c. 8. n. 2 sqq. Van Espen I. E. U. P. I. tit. 15 c. 1. Hedderich Diss. de jure consecrandi suffraganeos 1774 von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter 2. B. 2. Th. 1. Abschn. 40. K. §. 1150. sqq.

(c) Can. 4 et 6 Concil. Nicæn. apud Gratian. dist. 64. c. 1. 2. 4. Cf. Van Espen I. E. univ. P. I. tit. 15 c. 1.

(d) Van Espen ibid. n. 7. sqq.

pontificalium pollent, perfici potest. 3) *Tempus*, intra quod electus Episcopus consecrandus est, olim tres ab electione, hodie tres a confirmatione menses designantur; quibus elapsis qui consecrationem negligit, fructibus, qui alio trimestri præterlapso etiam dignitate ipso jure privatur: (e) nisi forte impeditus, aut a Pontifice fuisset dispensatus. 4) *Consecratio* in ipsa, ad quam quis electus est, ecclesia, aut saltem, quoad fieri potest, in provincia est celebranda; 5) *die* dominica, aut Apostolo sacra; 6) adhibitis *ritibus* in Rituali Romano descriptis, manus impositione, annuli et baculi traditione, unctione chrismatis, libri Evangeliorum super caput ordinandi impositione etc. (f) 7) Quum jus ordinandi, aut designandi ordinatorem semper cum jure confirmandi conjunctum, vel per ipsa concordata Papæ addictum sit, vel certe hodie a Pontifice possideatur et exerceatur; (g) in actu consecrationis consecrator quæ-

---

(e) Concil Trid. Sess. XXIII. c. 2 de reform. diu dilatæ, imo quasi neglectæ a quibusdam consecrationis exempla profert von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. 1. B. 2. Th. §. 508 und 2. B. 2. Th. §. 1311.

(f) Van Espen I. cit. c. 3. Schrodt Inst. I. E. L. 1. tit. 6 §. 332.

(g) Cl. Barthel hoc jus Papæ vi concordatorum competere credit diss. III. de concord. c. 3 n. 33 Vid. Zallwein tom. 4 q. 2 c. 2 §. 8 pag. m. 165 sqq. et q. 3 c. 4 §. 8 pag. 404 seq. *possessionem* saltem juris hujus, quod Metropolitis Vindicare cupit, Pontifici nec negat, sed expresse asserit etiam Hedderich diss. de jure consecrandi suffraganeos Metropolitis Germ. vindicato § 4 extat. in documentis ad concordata Germaniæ integra fascic. 3 pag. 216. Idem jus Archiepiscopis attribuit Schloer diss. ad concordat. Germ. de Elect. Archi. et Episc. Germ.

quærit: *Habetis mandatum Apostolicum?* et jusjurandum Papæ a consecrando (§. 256. 258.) præstandum exigitur. Cf. *Nelleri diss. altera de S. Electionis processu* §. 4.

§ 496.

Consecrationis effectus præcipui sunt, quod præter gratiam divinam ad episcopatus munia rite obeunda, accipiat consecratus 1) characterem ordinis episcopalis et potestatem ejus munia obeundi: 2) jus jurisdictionis radicale, ut vocant, intrinsecum, proprium; (§. 37. n. 2.) 3) quod vinculum inter ecclesiam, et Episcopum adstringatur, * 4) consecratus fratris adpellatione a Papa salutetur; 5) beneficia ab Episcopo ante possessa ipso jure vacent, (h) **) et Pontifici reserventur.

*) „Hoc spirituale fœdus conjugii, ait Innocentius, „(i) est inter Episcopum et ecclesiam in electio„ne *initiatum*, *ratum* in confirmatione, et in con„secratione intelligitur *consummatum*." Equidem jam semper antiquitas simile vinculum inter Episcopum et ipsius ecclesiam agnovit, (k) id tamen inter veterem novamque ea in re ecclesiæ disciplinam maxime interest, quod a) olim similitudo, deinceps quasi veritas matrimonii spiritualis fuerit asserta: item b) quod per decem secula distinctio illa initiati, rati, et consummati matrimonii fuerit incognita: demum quod c) vinculum

---

Germ. et c. 2. §. 28. Cf. Schmidt Thesau. I. E. tom. 4 pag. 39 sqq. Quid de ea re Consilii in emsano congressu n. 17 agitatum sit, quid responderit Episc. Spirensis, *vid. apud* v. Sartori *l. cit.* §. 516.

(h) C. 7 de elect. et Extravag. 7 inter comm. eod. tit.

(i) C. 4 de translat. Episc.

(k) Van Espen I. E. univ. P. I. tit. 15 c. 4.

culum illud dissolvendi potestas olim a provincialibus Synodis exercita, hodie penes unum Pontificem resideat. *Ita Barthel tom. 2, opusc. 4. pag. 466 sqq ubi de eo pluribus disserit. Cf. Nelleri Diss. II de translat. Episc. §. 2 n. 7. Thesau. I. E. tom. 3 pag. 41 sqq. et 53 sqq.*

** 1(Non per consecrationem, sed per *benedictionem* initiantur Abbates; 2) benedicuntur porro Abbates Pontifici immediate subjecti, et consistoriales, ut vocant, in *curia*, vel extra illam de *mandato apostolico*; alii ab Episcopo proprio: 3) si benedictio ab Episcopo ter humiliter rogato non conferatur, Abbates illam ab alio queunt petere; immo ea denegata tamen monachos proprios benedicere, et ordinibus possunt minoribus initiare: (l) 4) hæc benedictio quoque quibusdam a suis Superioribus regularibus vi privilegii pontificii conferri solet; 5) aliquibus Abbatibus temporaneis omnino non confertur, qui tamen omnibus honoribus, juribus ac insignibus abbatialibus fruuntur. 6) Congruit quidem Abbatum benedictio cum Episcoporum consecratione similitudine rituum, si libri Evangeliorum super ordinandi cervicem impositionem et Chrismatis in corona capitis unctionem excipias; differunt tamen, quod a) hæc, non illa characterem sacramentalem imprimat, quod b) benedictio necessario haud peti debeat. etc. Ceterum 7) Abbates in actu benedictionis pro eo, ac exemti, vel non exemti sunt, Papæ, aut Ordinario jurant. *Cf. Barthel tom. II. opusc. 5 de jure et jurisd. Abbat. §. 6. Van Espen I. E. univ. P I. tit. 31 c. 9 et cit. Nelleri diss. alter. de S. Elect. processu §. 4. Thesaur. I. E. tom. 4 pag. 32 seqq.*

ARTI-

(l) C. 1 de suppl. negl. item constit. Bened. XIII. *commissi etc.*

ARTICULUS IV.

De provisione beneficiorum minorum: de collatione, jure patronatus, institutione: optione; permutatione; turno etc.

§. 497.

Modi, queis beneficia minora conferuntur usitatiores sunt I. *collatio libera*, II. *institutio* ad nominationem vel præsentationem Patroni, III. *optio*, IV. *permutatio*; accedit V. *institutio corporalis* seu investitura etc.

*) Equidem etiam per electionem quandoque, item per primas preces, et provisiones pontificias ad minora beneficia pervenitur; at de illa actum nuper, de istis dicemus postea.

§. 498.

Collatio beneficiorum vel est 1) *libera*, quæ jure independenti exercetur, et hæc *collatio* in specie appellatur, vel 2) *necessaria*, quæ ad alterius nominationem, et præsentationem est adstricta; et hæc *institutio* in specie dicitur.

§. 499.

Institutio largiori sensu intellecta vario sensu accipitur; unde alia est 1) institutio *quoad titulum*, seu *collativa*, quæ titulum beneficii seu jus in re in beneficio tribuit; alia 2) institutio *quoad curam* animarum, vulgo *auctorisabilis* dicta, qua cura animarum (non *subsidiaria* solum pro tota diœcesi; quæ vulgo per approbationem, ut ajunt, Presbyteris dari solet, sed) *ordinaria* intuitu certæ ple-

bis tribuitur; 3) *alia institutio quoad possesionem*, *investitura* ecclesiastica dicta, qua quis in possessionem et jura beneficii immittitur, Hæcque vel est a *verbalis*, quæ verbis, et aliquando simul clavium, bireti, panis, sigilli etc. traditione absolvitur; vel b) *realis* aut *corporalis*, *installatio*, *inthronisatio* dicta, quæ actuali introductione in locum juraque beneficii perficitur. Atque hæc institutio non jure communi, sed consuetudinario dividitur in *realem quoad spiritualia* et *quoad temporalia*, seu in *spiritualem*, et *temporalem*, prout beneficiatum in jura sacra, aut profana immittit.

§. 500.

Jam vero 1) *Collatio beneficiorum* seu potius adscriptio ad certæ ecclesiæ ministerium, ex qua quis eo ipso et alimenta caperet, primis decem ecclesiæ seculis a sacra ordinatione non sejuncta, jure quasi congenito fere penes solos. (a) Episcopos remansit. 2) Id juris, separata etiam collatione beneficiorum ab ordinatione, equidem per provisiones pontificias admodum restrictum, attamen per concordata denuo restitutum; (§. 173. sqq.) 3) quare hodieque Episcopus pro beneficiorum suæ diœcesis provisione tum in antiqua possessione,

(a) Vid Thomassin de v. et n. discipl. P. II. L. 1. c. 38. sqq. Van Espen I. E. univ. P. II. tit. 21. c. 1. Barthel. diss. prælim. de Concord. Germ. c. 2. sect. 1 sqq.

sessione, tum in imperio et cura universæ diœcesis fundatam habet intentionem.

§. 501.

Unde hodieque *collatio* beneficiorum *libera* ita personæ Episcopi propria censetur, ut 1) ea nec *sede vacante* ad capitulum devolvatur sed futuro debeat reservari Episcopo; (b) 2) ut ea *aliis* præter Episcopum personis, aut communitatibus ecclesiasticis non nisi *jure extraordinarió* competat, (c) adeoque 3) in *dubio* sit pro Episcopo judicandum.

*) Quodsi etiam ad alium jurisdictione quasi episcopali non præditum collatio pertineat, semper tamen pro institutione auctorisabili (§. 499.) ad Episcopum necessario erit recurrendum. (d)

§. 502.

Collatio beneficiorum alia est *libera*, alia *necessaria*, (§. 498.) hæcque *institutio* dicitur, atque adstricta est ad beneficium illi conferendum, quem patronus *præsentaverit.* Et hinc ad *jus patronatus* devolvimur. Porro

§. 503.

Agendum heic strictim de *juris patronatus* I. *origine*, II. *natura* et ambitu, III. *acquisitione* IV. *divisione* ejusdem varia; V. de *amissione* ejus, demumque VI. de præsentationis, ceu partis ejusdem præcipuæ, modo et adjunctis.

§. 504.

(b) C. un. de sede vacante in 6.
(c) C. 18 de præscript.
(d) C. 4 de offic. Archiad.

§. 504.

Ad juris patronatus I. *originem* quod attinet: 1) nomen quidem *juris patronatus* eo, quo nunc utimur, sensu a prioribus ecclesiæ seculis haud occurrit, res tamen ipsa haud penitus erat incognita. Nam 2) fundatorum nomina, et elogia templis inscripta, ecclesiæque ab ipsorum nomine compellatæ (e) 2) sec. V. Episcopo in aliena diœcesi ecclesiam ædificanti concessum, ut clericos ei ecclesiæ præficiendos posset designare, seu Episcopo loci præsentare: (f) quod præsentandi jus 3) sec. VI. aut certe VII. ad alios quoque extensum: nam quum in concilio Toletano IV. A. 633. datum esset privilegium patrono, forte ad egestatem redacto, alimenta a fundata ecclesia percipiendi, in Concilio Toletano IX. A. 655. habito statutum, ut fundatores in ecclesiis fundatis etiam rectores idoneos nominare possent, et Episcopo offerre. (g) Jus idem inprimis relictum est Nobilibus, qui capellis suis seu privatis oratoriis in ecclesias publicas versis ad eas ecclesias, ut antehac, clericum cum assensu Episcopi assumebant. Huic clericum præsentandi juri, quod præcipua jam juris patronatus pars censetur,

*)

(e) Teste Paulino epist. 10 et 12.

(f) C. 10 concil. Arausicani A. 441 et concil. Arelat. A. 452. c. 39.

(g) Vid. L. 46 cod. et novell. 57 c. 2 concil. Tolet. IX. A. 655. can. 2. apud Gratian. c. 32. caus. XVI. q. 7. Cf. Espen P. 2 tit. 25 c. 1.

paullatim alia accessere et jura, et onera. mplectitur igitur hodie patronatus *jura* tum *norifica* tum *utilia*, tum *onerosa*, ut ajunt) quæ eidem sive a) ex juris dispositione, e b) ex lege fundationis, sive c) alio ex ulo adnexa sunt. **)

*) Inde in jure patronatus definiendo plurimi unam præsentandi facultatem exprimunt, alii explanatius illud describunt. Cum quibus jus patronatus (geistliche Lehen, Lehenschaft, Gottesgabe, Kirchengift) dici potest jus sive facultas nominandi aut præsentandi clericum ad beneficium vacans, ut in eo legitime instituatur, cum quibusdam prærogativis et officiis conjunctum. Qui hoc jure gaudet, *Patronus* (Kirchenlehenherr) audit. Differunt *jus patronatus*, et *patroni* ab *advocatia* et *Advocatis ecclesiæ*; (§. 368.) nisi forte advocatia ex jure fundationis orta jura patroni sibi simul juncta habeat. Attamen *Advocatorum* nomine non nunquam *Patroni* intelliguntur. *Cf. tit. de jur. patronat. c.* 9 *c.* 24. *Cf. Van Espen I. E. univ. P.* 2 *tit.* 25. *c.* 1. *n.* 13. *seqq.*

**) Quæ jus commune juri patronatus adnectit jura et officia, eidem inhærere præsumuntur, donec contrarium adpareat: alia quæ speciali titulo, et facto nituntur, probari in dubio debent.

§. 505.

Continet autem II. *jus patronatus* toto suo nbitu vi juris communis 1) jus *præsentandi* ericum ad beneficium vacans, 2) jus *procesonis*, * 3) per observantiam non tamen ubis eandem jus *precum publicarum* pro iis nomina-

(h) Vid. Rupprecht Not. in jus can. tom. 3 ad libr. 3 tit. 38. n. 9 sqq.

minatim fundi solitarum; 4) jus *loci honora tioris* in ecclesia, et solennitatibus ecclesiasti cis; 5) honorem *thuris, suffitus, aquæ benedictæ, sepulturæ, luctusque* ecclesiastici; 6 jus ex proventibus ecclesiæ, si, unde vivat aliunde patronus non habeat, *alimenta percipiendi*, (i) quæ privilegia uxori etiam et liberis patroni laici tribuunt. His respondet 7 *obligatio* ecclesiam ejusque jura defendendi (k) ad ejus reparationem concurrendi etc. **

*) Per honorem *processionis* (l) alii 1) publicam patronis, ad ecclesiam venientibus obviam itionem, qua hodie solum patronis, qui sint Principes, exhiberi solet; alii 2) singularem in processionibus publicis ante laicos ceteros prædriam intelligunt *Vid. Rupprecht l. c n. 11. Van Espen Jur. eccl. univ. P. II. tit. 25 c. 7. et Strauchii Amænit. Jur. can. semestr. 1 Eclog. 6 c. 28.*

**) Si Patronus nullos ex ecclesia fructus percipiat, contra rationem humanitatis, inquit Clar. Barthel (m) videtur, ob liberalitatem et beneficentiam onus reparandi ecclesiam eidem imponere. Si tamen fructus ab ecclesia patroni recipiant, pro rata debent concurrere. Quod itidem necesse est, si ecclesia plane corruat; nec, unde reparetur, habeat: nam nisi Patronus reparet, jus patronatus in alium ædificantem transibit. Cetera ad jura quod attinet, Patronus alicubi plus *potestatis* exercet; nempe 1) in juribus ecclesiæ intra et extra judicium defendendis, 2) in rationibus de administratione rerum ecclesiæ inspiciendis, 3)

præs–

(i) C. 25 de jure patron. et apud Gratian. c. 30 causs. 16 q. 7.

(k) C. 31 caus. 16 q. 7 item c. 6. causs. 10 q. 1.

(l) C. 30 ibid et c. 25 de jure patron.

(m) Annot. ad jus can. L. 3 tit. 38.

præstando ad rerum ecclesiasticarum alienationem, aut ad nomina facienda consensum etc. At jure patrio, nisi quis sibi plus juris singillatim reservarit, solum fortius administratores admonendi, et negligentes Superioribus denuntiandi jus habet. Demum generatim Patrono a) nec jurisdictio in beneficiatum, nec b) jus hunc *instituendi*, nec c) jus de officio, beneficio, aut bonis ejus quocunque modo disponendi competit. Vid. c. 15. 23. 31. de jure patronat. L. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 42. n. 2. lit. f.

§. 506.

Jus patronatus III. variis modis *adquiritur* I. Modi illud adquirendi *ordinarii* sunt 1) *fundatio*, seu gratuita concessio fundi majoris pretii, 2) *exstructio* ecclesiæ propriis sumptibus, vel 3) *dotatio* ecclesiæ dote carentis ex bonis propriis cum consensu *Ordinarii* facta. *) II. Modi *extraordinarii* sunt 1) memoriam hominum excedens præscriptio, atque per quinquaginta annos continuata quieta possessio intuitu laici (n). III. Modi illud *transferendi* varii sunt; et quidem 1) *reale* transfertur ad quemcunque possessorem *rei*, cui illud annexum est, titulo tum *universali*, per *successionem* testamentariam et legitimam, tum titulo *singulari* per *donationem*, *permutationem*, *infeudationem* item, *Emphyteusin* **), et per quamcunque rei principalis translationem: attamen res ideo carius vendi non potest: 2) Jus patronatus *personale* autem, nisi ad certas

(n) C. 25 de jure patron. concil. Trid. sess. 25. c. 9 de reform.

certas personas sit restrictum, transit per successionem tam testamentariam, quam legitimam ad quoscunque hæredes. 3) At si jus illud *personale hæreditarium* non ad hæredes, sed ad alios, aut *jus reale* non per modum accessorii cum ipsa re, sed seorsim quis transferre vellet, id semper gratis, nec nisi consentiente Episcopo fieri potest, nisi forte ecclesiæ, monasterio, aut compatrono donaretur. Quod idem jus 4) si cum re spirituali *permutetur*, Episcopi quoque auctoritatem intervenire debere plures affirmant. (o) Denique 5) jus patronatus ab ecclesia in alium per *præscriptionem* solum *quadragenariam* transfertur; a laico autem in alium ut transeat, *ordinaria præscriptio* sufficit.

*) Solam fundationem, seu fundi concessionem, nisi cum exstructione ecclesiæ, aut dotatione sit conjuncta, ad jus patronatus adquirendum sufficere multi negant. (p) 2) At vero, si fundus sit majoris pretii, tum quidem, licet ecclesia fundata aut exstructa demum paullatim e. g. ex fidelium oblationibus dotem acquisierit, fundatori nihilominus jus patronatus integrum competere verosimilius est: sane Pontifex (q) illud fundatoribus, aut constructoribus addicit, et Tridentinum, (r) ex quo contrarium eruere conantur, eum ipsum casum intelligere censetur. Imo tum heic in fine, tum alibi (s) disjunctive fundationi, *vel* dotationi jus istud tribuitur. Aliqui tamen jura patronatus

(o) C. 3. 14. 16 de jure patron. c. 1. eod. tit. in 6.
(p) Vid. Espen P. 2. tit. 25. c. 3 n. 7 sqq.
(q) C. 25 de jure patron.
(r) Trid. Sess. 14 c. 12.
(s) Trid. Sess. 25. c. 9.

natus honorifica, non tamen jus præsentandi ei, qui solum fundavit, tribuunt. (t) Quodsi vero plures concurrant, ut unus fundet, ædificet alter, tertius dotes, omnes simul aut plures pro rata jus patronatus exercebunt; vel per vota majora, vel alternis vicibus præsentando. *Clemen.* 2 *de jure patronat.*

**) Quoniam nempe jus patronatus rei cohærens ad eum, qui dominium rei utile habet, per se spectat, illud quidem e. g. castro aut prædio, cui annexum est, in emphyteusin, aut feudum conce... 1) ad *emphytheutam*, et 2) ad *Vasallum* (u) item 3) verosimilius fundo dotali annexum ad *maritum*, qui dominio uxoris quiescente dominus fundi habetur, pertinet. Contra jus illud 4) nec competit *conductori* longi etiam temporis, ut qui nec utile rei dominium nanciscitur; 5) nec extra casum necessitatis *sequestro*, sive is sponte electus, sive a judice sit datus, sed partibus de dominio rei litigantibus videtur tribuendum. Cf. *Böckhn ad L. III. tit.* 38. *n.* 30 *sqq.*

§. 507.

Ex his jam IV. varias juris patronatus *divisiones* licet intelligere. Scilicet jus patronatus 1) vel ecclesiasticum est, quod ecclesiæ, communitati ecclesiasticæ aut clerico competit ratione beneficii, dignitatis, ecclesiæ, vel est b) *laicale*, quod quis alio justo titulo obtinet, cujus utriusque intuitu patronus vel laicus vel *ecclesiasticus* adpellatur; 2) *reale* est, quod intuitu bonorum et rerum competit; ideoque in omnes eorum possessores transit;

per-

(t) Apud Bœckhn L. 3 tit. 38 n. 15.
(u) C. 7 de jure patron.

personale, quod personæ absque habito ad bona respectu est proprium. Est vero hoc rursus 3) *hæreditarium*, si titulo hæreditario quibusvis hæredibus, aut *gentilitium*, si iis, qui sunt de familia, tantum obveniat. In dubio tamen hæreditarium potius, ut quod frequentius est, præsumitur. *) Jus patronatus *reale* præterea 4) distribuunt in *regium*, *feudale*, et *privatum*. Regium ad supremos Principes jura imperii in dominiis suis habentes, pertinet, (Trid. sess. 25. c. 9) pluraque præcipua habet; **) *feudale* rei feudali adnexum ad feudi possessorem spectat; *privatum* tandem est, quod nec ratione imperii politici, nec ratione feudi sed alio titulo a quocumque demum possidetur.

*) In jure patronatus hæreditario succeditur in stirpes, non in capita; unde duobus, qui una jus patronatus tenebant, decedentibus, quorum alter unum, alter duos reliquisset hæredes; hi duo hæredes, qui unicum tantum defunctum repræsentant, uno tantum gauderent suffragio, nisi forte alternis vicibus jus suum exercere malint. *Clement. 2 de jure patron.*

**) Serenissimi Bav. Duces ad plura ditionis suæ beneficia vi juris hujus et mensis pontificii clericos præsentant; quibus juribus invigilare, et insistere consilium ecclesiasticum aulicum tenetur. Nec in ejus juris præjudicium consolidatio, incorporatio, aut unio Parochiarum permittenda. Quocirca Prætores seculares de vacaturis, aut mutationibus beneficiorum quorumcunque ad dictum Consilium curate referre jubentur, (w) Item per

(w) Ordinat. Consil. Eccles. Elect. de A. 1779 n. 6. apud Georg Mayr Sammlung Churb. Landes-

per bullam Clementis VIII. de A. 1523. Bavariæ Ducibus conceditur jus Professorem in academia Anglipolitana actu legentem præsentandi ad canonicatum, et præbendam in ecclesia Salisburgensi, Frisingensi, Ratisbonensi, Augustana, Passaviensi; quæ tamen bulla in usum deducta non est. In cathedrali autem ecclesia Eustadiana hodieque vi pactionis, qua A. 1466. Episcopus et Capitulares se obligarunt, nominatus a Duce Bav. S. scripturæ in eadem academia Doctor canonicatum et præbendam tenet. Vid. L. B. de Kreittmayr Bayr. Staatsrecht. §. 136.

§. 508.

V *Amittitur jus patronatus* vel *sine* vel *ex* ...licto. Atque *sine delicto* quidem amittitur ...neratim modis iis omnibus, quibus in alios ...ansfertur: (§. 506.) dein *speciatim* perditur ...l extinguitur 1) si queis adnexum est, pe...at res, deficiat familia aut titulus beneficii ...bprimatur, 2) si a patrono fuerit ecclesiæ ...llatum *expresse*, aut 3) *tacite*, si per diu...rnum non usum ordinario collationem relin...at! aut si patronatam ecclesiam fieri *col*...*gialem* vel *conventualem* absque juris reser...tione passus fuerit: 4) si ecclesia penitus ...llabatur, si dos intereat, jus patronatus ...ndatori et dotatori perit, atque is, qui pa...mo priore id facere recusante eam fundat, ...lificat, jus patronatus nanciscitur. Ob *de*...*tum* vero jus patronatus amittitur, 1) si ...tronus sit *hæreticus*; (attamen in Germania

H 2 mu-

...verordn. 2. B. 6 Th. pag. 1128. et Decret. de A. 1784. 7. jan. ibid. pag. 1173 seqq.

mutuo se Catholici Protestantesque præsentant,) *) aut 2) si *crimen*, quod in re feudali felonia audit, commiserit v. g. occidendo, mutilando beneficiatum, (x) beneficii proventus usurpando: 3) si jus patronatus vendat, aut in alios contra canonicas sanctiones transferat. (y)

*) Juris patronatus per se *capaces* sunt Christiani omnes, nec acatholicis, qui publice tolerantur, per Germaniam exceptis. (z) Ejus tamen plane incapaces sunt Judæi. a) 2) *Caussa et controversia* circa jus patronatus jure communi, atque etiam in Bavaria, (b) nisi ubi de possessorio solum, aut quæstionibus nudi facti, familiæ, successionis, status hæreditatis etc, agitur ad *forum ecclesiasticum* spectant. 3) Modum jus patronatus *probandi* præscribit Trid. Sess. 25. c. 9.

§. 509.

VI. Præcipua juris patronatus pars in *præsentatione* posita est; heic notanda sunt quædam circa I. *præsentationis indolem*; II. *præsentantes*, III. *præsentatum*, IV. *præsentationis adjuncta.*

§. 510.

I. *Præsentatio*, qua Clericus ad beneficium vacans instituendus illi sistitur, qui eum in bene-

---

(x) C. 12 de pœnis.

(y) Trid. sess. XXII. c. 11 et sess. XXV. c. 9 de reform.

(z) Instr. P. W. Art. V. §. 31.

(a) Decret Concil. Basil. Sess. 19 de Judæis. Cf. lucubr. Jos. de Buininck de Judeo jurispatron. impote. A. 1777.

(b) C. 3 de Jud —Ordinat. Consilii Elect. eccl. de A. 1779. n. 15. apud G. K. Mayr Sammlung ꝛc.

beneficio instituendi jus tenet, 1) locum non habet ad beneficia majora electioni obnoxia; 2) sed ad beneficia minora, eaque principalia ecclesiæ patronatæ; non ad officia e. g. æditui, cantorum etc. 3) Præsentatio nominationem, seu designationem personæ beneficio providendæ vulgo quidem, non tamen necessario semper includit: unde ab alio nominatum alter præsentare nonnunquam solet. 4) Præsentatio nec collationem, nec institutionem continet, neque 5) præsentato jus tribuit in beneficio, quod demum per institutionem collativam enascitur.

§. 511.

II. Ad *Præsentantes* quod adtinet, quemadmodum jus patronatus, ita et præsentatio uni pluribusve vel singillatim, vel simul sumptis competere potest. Fiet autem præsentatio 1) vel ab ipso patrono per se, vel 2) ejus nomine per mandatarium speciali mandato instructum; per tutòrem vel curatorem loco eorum, queis prudentis judicicii defectus obstat. 3) Si præsentatio pluribus *simul sumtis* e. g. collegio ecclesiastico competat, tum vulgo per actum capitularem, et vota absolute majora aut alternis vicibus per unum ex suffragii jus habentibus, seu per *turnum*, ut vocant, peragitur; 4) siquidem plures *singillatim sumti* hoc jus teneant, tum nisi aliud placuerit, a quolibet præsentabitur persona, eaque, cui sive absolute, sive respective majora suffragia favent, instituenda erit: quod-

si par sit suffragiorum numerus, Ordinarius dignissimum ex sic præsentatis seliget. 5) in patronatu reali quivis e. g. hæredum pro rata partium, quam in re tenet, suffragii quoque jus habebit: *) quod item 6) obtinet, si alius simul fundator ecclesiæ et dotator, alius sit exstructor, ubi hic unius, ille duorum suffragiorum jure regulariter gaudebit: 7) ubi vero dominium rei inter plures est divisum, jus præsentandi, dominus utilis præ directo (§. 506. not. 2.) habet. 8) *Lite* de jure patronatus fors mota, nec intra tempus præsentatoni præscriptum finienda, præsentatus ab eo, qui est in possessione juris præsentandi, præfertur, quia lite pendente nemo commodo possessionis suæ privandus. Ita vero præsentati institutio etsi deinceps alius jus patronatus evicerit; firma erit. (c) Quodsi de ipsa possessione lis haud brevi finienda agitetur; Episcopus jure communi, quem volet, instituet: aut potius pendente lite Vicarius ab Ordinario constituendus erit, interimque litigantium quivis mediis aptis jus suum tuebitur: (d) donec alteruter in possessorio vel petitorio caussam evincat.

*) Igitur, si ejus, cui jus patronatus adnexum est, fundi alter e. g. partes tres, alter quartam possideret, illius quidem præsentatio semper esset prævalitura: hujusque jus eo valeret solum, ut forte non

(c) C. 19. de jure patron.
(d) C. 12 de jure patron. Cf. Ordinat. concil. eccles. Elect. Bavar. de 1779 n. 5. 6. 7. Barthel *Annot.* in Engel. L. III. tit. 38. pag. 296.

non rogatus de contemtu posset agere. Proin consultius videtur tribus præsentationis actibus priori datis alteri unum relinquere. *Barthel Annot. in I. C. L. III. tit.* 38 *pag.* 296.

§. 512.

III. De *præsentato* hæc animadvertenda: 1) præsentatus sit Clericus instructus qualitatibus sive a jure communi, sive ex speciali lege aut consuetudine ad id beneficium requisitis: 2) sit ceteris dignior: neque tamen simpliciter dignus præsertim a laico patrono præsentatus rejici ab instituente potest. (e) Quodsi laicus etiam minus idoneum præsentarit, jure alium præsentandi per id haud privatur. 3) Patronus filium quidem, *) non tamen se ipsum poterit præsentare: (f) gratiosam autem sui ad beneficium admissionem petere non prohibetur. (g) 4) A patrono tam laico, quam ecclesiastico possunt præsentari simul plures, 5) immo re adhuc integra laicus semel uno præsentato alterum pluresque deim, electione dignioris penes instituentem relicta, adjicere poterit, (h) At inter præsentatos a collegio, vel persona ecclesiastica, qui prior est tempore, jure potior videtur. (i)

(e) Trid. sess. 24 c. 18 de reform.
(f) C. 26 de jure patr.
(g) Arg. ex c. 34 de Simon.
(h) C. 5. 24. 29. eod. tit.
(i) C. 24 eod. tit.

*) Etenim c. 15 de jur. patron. solum ne quis propria auctoritate suis filiis ecclesias concedat, inhiberi videtur.

§. 513.

IV: *Praesentationis adjuncta* seu *modus* et *tempus* sunt hujusmodi: 1) habita vacantis beneficii notitia, institutoque concursu, ubi usu receptus est,, digniorem ibi inventum intra legitimum tempus praesentat patronus; (k) 2) quod et absque concursu patronus laicus vi consuetudinis facere *scripto* solet. 3) Sunt porro quos inter praesentatio fieri debet, patrono laico *quatuor*, patrono ecclesiastico, ejusque compatrono laico *sex* menses praefixi: (l) queis non facta praesentatione elapsis provisio beneficii ad Ordinarium, seu alium jus instituendi habentem pro ea vice devolvitur; nisi fors impedimentum ostendi possit, aut praesentatio absque patroni culpa effectum sortita non sit; aut privilegium, quale patronatui regio plures tribuunt, obstet. 4) Quomodo jus praesentandi exerceatur, si plures fuerint patroni, ex dictis (§. 511.) patet.

§. 514.

Praesentationem et nominationem sequitur *Institutio in specie* sic dicta, (§. 489. seqq.) quae ut canonice peragatur, citra *instituentis*, *instituti* et *formae instituendi* vitium peragatur. Videndum itaque I. *quis instituere*, II. *quis institui* possit, III. quae *ratio instituendi* ser-

(k) Trid. sess. 24 c. 18 de reform.
(l) C. un. de jure patron. in 6.

servanda; et quidem de institutione 1) *collativa*, 2) de *auctorisabili*, denique 3) de *verbali*, et 4) de *reali* dicendum. (§. 499.)

§. 515.

Instituere itaque seu beneficii titulum et jus ad alterius præsentationem dare *possunt* 1) jure proprio et primigenio solus *Episcopus*, ita, ut ei semper in dubio faveat præsumtio, nec jus istud in fundatione citra ejus consensum reservari alteri queat; (m) 2) jure communi, sed quasi derivativo *Vicarius generalis*, et 3) *Capitulum sede vacante*, eoquod institutio sit jurisdictionis necessariæ, quæ transit in Capitulum: (n) 4) *Jurisdictione quasi episcopali prœditi* quoad beneficia sui territorii exemti; 5) *personœ aliœ* et communitates ecclesiasticæ ex *jure speciali*, privilegio, præscriptione, consuetudine etc. (o) 6) intuitu Canonicorum institutio plerumque per *Decanum* exercetur.

*) Bœhmerus (p) quidem ex quorundam patronorum clericos instituentium, et destituentium factis jus institutionis iisdem vindicare conatur, sed id genus facta, ceu temerarias usurpationes nunquam non rejecit ecclesia. *Cf. e. g. can.* 42 *concilii Cabilonensis II. A.* 813. *can.* 37. *caus.* 16. *q.* 7. *apud Gratian. c.* 4 *de jure patronat.*

(m) C. 3 de jure patron. Trid. sess. 14. c. 12 de reform.

(n) C. 3 de institut. et c. 1 eod. in 6. c. un. de maj. et obed. in 6.

(o) C. 6 de instit.

(p) Jus eccl. Protest. de jure patron. §. 25.

§. 516.

Institui debent legitime præsentati, dotibus necessariis instructi, et saltem digni: (Cf. §. 459.) Unde 1) hi negata institutione appellando recurrere ad Superiorem queunt: 2) Institutio non præsentati irrita, ceu potius, ni patronus consentiat, irritanda est; (q) et 3) hoc in casu ei, quem scienter sic instituit, Episcopus de alio beneficio providere tenebitur: contra 4) absque institutione beneficii possessionem adeuntes jure ad illud fors habito excidunt (r)

§. 517.

Ratio institutionis exposcit 1) ut examen (s) de qualitatibus præsentati præmittatur. 2) Institutio ipsa vel ab ipso institutionis jus habente, vel per mandatarium quocunque die aut loco, etiam extra territorium instituentis potest fieri. 3) Ut institutio scripto fiat, non tam ad rem ipsam institutionis, quam ad illius probationem necessarium est: 4) tempus institutionis quidem in aliis beneficiis non præfixum, attamen nec cum damno ecclesiæ protrahendum est; 5) institutio autem in beneficiis parochialibus *intra duos* a præsentatione menses (t) necessario est facienda: 6) legitime facta *jus in re* in beneficio tribuit.

§. 518.

(q) C. 32 caus. 16. q. 7 c. 8 de jure patr.
(r) C. 18 de præb. in 6.
(s) Trid. Sess. 7. c. 13.
(t) Ex constit. Pii V. in conferendis 18. Mart. 1567.

§. 518.

Institutio auctorisabilis, seu actus hierarchicus, Episcopo adeo propria est, ut 1) ejus quidem nomine a Vicario generali, aut sede vacante a Capitulo concedi queat; 2) aliis vero, licet jus institutionis collativæ habentibus, neque per privilegium, consuetudinem, aut præscriptionem competere possit: (u) 3) nec item hæc institutio competit Archidiacono; (x) nec 4) Prælatis intuitu non regularium, nisi jurisdictionem quasi episcopalem in eos habuerint. 5) Tenentur vero omnes ante eam institutionem examen subire; præsentatis solum, seu nominatis ab Universitatibus, Collegiisve generalium studiorum exceptis. (y)

§. 519.

Clericus etiam quoad titulum institutus, possessionem beneficii citra *verbalem* saltem seu abusivam, ut vocant, aut *realem* investituram (§. 499.) adire prohibetur. 1) *Investitura verbalis* fit ab Episcopo vel ejus delegato: 2) institutio *corporalis* jure communi vel saltem ex commissione Episcopi ab Archidiacono, (z) ex consuetudine per ipsum Episcopum, ejusve Vicarios, passim per Decanos rura-

(u) Trid. Sess. 7. c. 13. de reform. et Sess. 23. c. 15.

(x) C. 4 de offic. Archidiac. Attamen in Germaniæ Archidiaconis id toleratum. Vid. Wurdtwein subsid. diplom. Tom. 2. n. 61.

(y) Trid. Sess. VII. c. 13.

(z) C. 9 de offic. Archid.

rurales peragi solet. 3) *Modus investituræ realis* pro varietate beneficiorum, et locorum varius est. *) 4) *Effectus* illius sunt iidem, qui acquisitæ plenæ possessionis, nempe præsumptio tituli, conditio præscribendi etc. ita, ut titulo colorato et bona fide, secluso simoniæ aut simili vitio, beneficium possidens, illud intra triennium pro foro utroque plene præscribat per regulam cancellariæ XXXVI. de *triennali*: in Concil. Basil. (a) confirmatam, et in Germania sub Alberto II. acceptatam.

*) Instituuntur realiter 1) *Episcopi* et Abbates per solemnem in ecclesiam inductionem, et in sede episcopali, aut abbatiali collocationem; 2) *Canonici* per assignationem sedis (stalli) in choro et capitulo; 3) *Parochi* per insignia parochialia, clavium, librorum parochialium traditionem, inductionem in ecclesiam etc. Olim investituræ Sacrorum munerum fiebant traditione a) per *annulum*, et *baculum*, seu pedum pastorale, quod cambuta dicebantur; b) per *annulum aureum* in rei gestæ memoriam altaribus appensum; c) per *Mitram* aut d) *Biretum*, e) per *calicem*, f) per *Librum Evangeliorum*; g) per *librum* et *panem*; h) per *claves* ecclesiæ: i) per *clocas* (campanes) ecclesiæ: item k) per *cordam signi*, seu funes campanarum: l) per *ostia*, seu *portas* ecclesiæ etc. *Cf. Du Cange Glossar. V. investitura.*

§. 520.

In *Bavaria* equidem jus *institutionis realis quoad spiritualia* Ordinario, aut, queis de jure competit, ecclesiasticis salvum manet; jus au-

(a) Sess. XXI. Quicunque non violentus etc. Cf. Gallade diss. de emolumentis beneficii eccl. pacifica possessione. A. 1756.

autem institutionis ejusdem *in temporalia*, ita Serenissimo Duci proprium est, ut, nisi ejus privilegio, aut præscriptione legitima nulli alteri competat, minus ipsi juri patronatus, protectionis encæniorum aut jurisdictioni bassæ adnectatur. (b) Unde vi concordatorum Bav. (c) »ubi per ecclesiasticam personam ex »Episcopi delegatione beneficiatus in posses-»sionem inducitur, præfectus loci secularis »adhibetur, quod vulgariter den Einsatz vo-»cant) ut Principis loco assensum temporalis »administrationis, sicut hactenus consuevit, »præstet. *) Ad quam rem ex regimine cu-»juscunque loci (hodie semper a Consilio ec-»cles. Electorali) permissionis litteras (Posses-»Briefe) beneficiati requirent. Præfecto tamen »ipsi pro impertita opera ultra taxam statuti pro-»vincialis recentis nil prorsus præstabunt.« **)

*) Institutionis 1) *realis* maxime, variis in locis varius sæpe modus est. a) Etiam in patria *realis* tum in temporalia tum in spiritualia institutio intuitu beneficiorum præsertim eorum, queis tenues sunt proventus, aut fundi nulli, omitti tum vi Recessuum specialium, tum per observantiam (d) solet. 3) In Vicariis autem temporaneis nulla om-

(b) Decret. de A. 1602. Geistl. Rathsordnung de A. 1779 punct. 11 et de A. 1783 §. 4 in G. K. Mayrs Sammlung kurpfalzbair. Landesverord. 2. B. pag. 1132.

(c) Concord. Bav. gen. de A. 1583 §. 4.

(d) Cf. L. B. de Kreitmayr annot. in cod. civ. Bav. p. 5 c. 19. §. 26. n. 3. et 5. Cf. Recess. Augustan. de A. 1684. n. 21. in G. K. Mayr Samml. ꝛc. 2. B. p. 1035.

omnino institutio, sed regulariter sola adprobatio, et examen pro cura locum habet, quum veri beneficiati non sint, (§. 449. not. 2) alii præsertim Regulares munia, et jura parochialia non nisi nomine Rectoris principalis exerceant, (§. 311 not.) quorum proin nec amotione, nec morte beneficia vacant. etc

**) Circa *modum* et *adjuncta institutionis in temporalia* in Bavaria hæc notanda: 1) ab Episcopo per investituram verbalem institutus episcopales institutionis literas Electorali Consilio ecclesiastico in originali, ut ajunt, proponere, et permissionis literas (Possesbrief) petere intra mensem tenetur, quas soluta taxa, quæ vulgo vigesimam reddituum beneficialium anni unius partem æquat, statim obtinet: 2) subin a loci illius, in quo domus parochialis sita est, Præfecto seculari, cui episcopales institutionis literas, etsi illas in vidimatis copiis ante ecclesiastico Consilio Electorali proposuerit, in originali exhibere tenetur, in temporalia immittitur. (e) Porro 3) Installationes isthæ Parochorum aut Beneficiatorum non in ædibus Parochorum aut Beneficiatorum, sed in atrio vel alio loco fiant. (f) 4) In Recessu Augustano abrogatis itineris et victus expensis moderatum convivium installatoribus exhiberi jubetur: (g) at per alia decreta non solum sumtuosa convivia sub centum Talerorum imperalium pœna interdicuntur, (h) sed et 5) Præfecti, seu Commissarii ultra consuetam taxam, et itineris expensas quidpiam exigere vetantur. 6) Taxa ipsa autem hæc constituitur: „Auf gleiche Weise ist es auch bey Installation, und Besitzgebungen der Pfarrer zu halten,

(e) Geistl. Rathsordnung de A. 1779. n. 11. Mayr Samml. l. c pag. 1132.

(f) Recess. Salisb. A. 1628. 12 Samml. ꝛc. l. c. p. 1051.

(g) De A. 1684 n. 1. Samml. ꝛc. l. c. pag. 1030.

(h) Geistl. Rathsord. de A. 1779. n. 11. l. cit.

ten, und die obige Gebühr und Rittgeld (wie bey der Obsignation Reseration und inventur, wo die zwey actus pro uno actu zu halten) zu erfordern als dem Beamten 7 fl. für Zehrung und Rittgeld, Deputat. 3. fl., dem Gerichtschreiber Reis- und Zehrungsgeld 5 fl., Deputat 2 fl. dem Amtmann Reis- Zehrungsgeld 1 fl., Deputat 1 fl., wo auch die Pfarrer zu einem mehrern gar nicht gebunden seyn sollen. Sed per decretum electorale novissimum A. 1790. 12. Junii prohibitis rursus sub pœna eadem sumtuosis conviviis hæc porro constituuntur: 1) Pfarrer und Beneficiaten, die nach der ächten Fassion gemäß ihres jährlichen Einkommens unter ein hundert Gulden Präsentationstax zu zahlen haben, oder doch wenn sie Kurfürstliche Präsentati wären, zahlen müßten, sollen a) wenn sie Kurfürstliche Präsentati wären, ausser dem kleinen Possesionsbefehltax per 5 fl keinen weitern Possesionstax bezahlen, b) wenn sie aber keine Kurfürstliche Präsentati sind, nur den zwanzigsten Theil eines jährlichen Einkommens zum Possesionstax bezahlen: c) auch wenn die weltliche Possesgebung, welches dem Bemessen des geistl. Raths überlassen ist, vorgenommen wird, sollen sie zwar für Ober- und Unterbeamte, oder statt letztern die Halbschied für Schreiber, und dann für den Amtmann die Reichsdeputate taxmäßig zu entrichten haben. Doch ein Installations-Deputat noch sonderbar zu fodern soll schlechterdings verbothen seyn. 2) Die übrigen Præbendati, die nach der ächten Fassion 100 bis 200 fl. Kurfürstliche Präsentationstax bezahlen, oder wenn sie Kurfürstliche Präsentati wären, doch hätten zahlen müssen, sollen den ordentlichen durch die Taxordnung festgesetzten Possesionstax unnachsichtlich entrichten, auch die Installationsgebühr nämlich pro actu solenni dem Oberbeamten 3 fl. dem Gerichtschreiber als gemeinschaftlichen Actuario 2 fl. dem Gerichtsdiener 1 fl. 8 kr. 2 dl. bezahlen. Sollte aber diesen Präbendalis die feyerliche Installa-

stallationshandlung nachgesehen werden: sollen die Beamte die bestimmte Diäten, und Deputaten nur mit ⅔tel beziehen; es sey dann, daß der Präsentationstax mehr als 200 fl. betrüge. 3) Was nun die nähere Bestimmung der Diäten belanget, da in Zukunft nach Entfernung des Gerichts, und zwar bey Entfernung dessen von 4 Stunden ein Tagsdeputat, nach 4 bis 8 Stunden inclusive zween Tage, nach 8 bis 10 Stunden 2½ Täge und sonach 3 Tagsdeputaten paßiert werden sollen, so gebühret dem Oberbeamten für Zehrung und Rittgeld 7 fl. dem Gerichtsschreiber 5 fl. dem Gerichtsdiener des Tags 1 fl. Dem Decano rurali für Zehrung und Rittgeld des Tags 7 fl., dem Kapitelbothen ebenfalls des Tags 1 fl. Ist aber dem Decano eine Beyziehung eines eignen Actuars ausdrücklich verbothen. 4) Endlich soll die Bezahlung der Taxen jedesmal gleich gefordert, und entrichtet werden. Nur aus wichtigen Gründen solle sie auf 1 Jahr und aus erheblichsten Ursachen auf 2 Jahr, niemal aber länger nachgesehen werden.

§. 521.

Supersunt alii ad beneficia minora perveniendi modi: 1) *permutatio*, 2) *optio*, 3) *turnus*, 4) *nominatio utilis*.

§. 522.

Permutatio beneficiorum, qua beneficiati suum beneficium sub conditione, ut loco beneficii dimissi aliud sibi conferatur, resignant, et per Superiorem ab illo ad istud beneficium transferuntur, 1) debitis adjunctis facta licita est; at 2) nunquam nisi auctoritate legitimi Superioris ecclesiastici, et accedente eorum, quo-

---

(i) Oberpfälz. Taxordnung de A. 1750. et Recess. Frising. de A. 1718. n. 3. G. K. Mayrs Sammlung ꝛc. 2 B. pag. 1294 et 1038.

quorum interest e. g. patroni consensu fieri, aut effectum consequi potest: 3) si fiat sine Episcopi consensu: uterque permutans beneficio privatur. (k)

*) Permutationi beneficiorum pactum e. g. de compensandis redditibus pignioribus adjici citra simoniæ labem haud potest. (l) Aliud dicendum, si hac occasione uni pensio auctoritate ecclesiastica imponeretur. Ceterum dolo unius in ea permutatione deceptus restitui debet. (m)

§. 523.

1) *Optionis* nomine venit jus in quibusdam Canonicorum capitulis, immo in ipso Cardinalium collegio aliquando obtinens, vi cujus antiquiores per gradus capitulares præbendam vacantem propria dimissa eligere (n) possunt. 2) *Turnus* est ordo, secundum quem Capitulares quisque vice sua ad beneficia vacantia quemdam nominant; a) *major*, qui ad canonicatus, b) *minor*, qui ad alia solum beneficia se exporrigit: c) *stabilis*, qui gradatim e. g. secundum senium Capitularium exercetur, *errans*, si cuique certum anni tempus assignatur, intra quod vacantia beneficia ille confert, cui illud tempus attributum est. 3) *Nominatio utilis* est, vi cujus Capitulares unus

(k) C. 7 de rer. permut.
(l) Cf. Bockhn ad libr. 3 Tit. 19 de rerum permutat. n. 6 sqq.
(m) C. 8 de rerum permutat.
(n) Cf. Joan. Petri Monetæ tract. de optione canonica. Zech. de jure rerum Eccl. sect. 3 tit. 9.

unus ex alio, vel eodem, vel diversis temporibus candidatos nominant, quibus suo tempore de canonicatu vel præbenda est providendum. Horum jurium exercendorum quum varius sit in variis ecclesiis modus; ecclesiæ cujusvis consuetudinem, ac observantiam consulere oportet.

ARTICULUS V.

De provisione papali, et juribus singularibus Pontificis vi concordatorum in Germania: de jure confirmationis, Annatarum etc.

§. 524.

Jus provisionis ordinariæ, et quasi dominium omnium in universa ecclesia beneficiorum ex virtute ipsius *primatus* Pontifici competere semperque competiisse Curialistarum, et qui horum placita exosculantur, opinio est, nullo tamen firmo nixa argumento. Enimvero Primatis solummodo est cura generalis, inspectio, et jus Prælatorum in hac re negligentiam supplendi, et leges condendi, ut beneficia rite, canonice, et in ecclesiæ bonum a quocunque id demum fiat, conferantur. Ut autem ab ipso Pontifice beneficia omnia conferantur, nec natura primatus, nec ecclesiæ praxis, nec ejus bonum exposcunt: immo vero contrarium potius demonstrant, 1) indoles ordinariæ, plenaeque potestatis, qua Episcopus quisque suam diœcesin regit, 2) con-

continua undecim seculorum observantia, (§. 173.) 3) utilitas ecclesiarum, quarum maxime remotarum, necessitates, et praeficiendorum merita utique Pontifex non aeque habere perspectas potest, atque Episcopi, aliique collatores.

§. 525.

Neque tamen idcirco omnes omnino pontificias beneficiorum *reservationes* damnandas arbitramur, ad id saltem, si moderatae sint, utiles, ut ecclesiarum, et nationum etiam a summa sede longe dissitarum reverentia erga Pontificem devotioque firmetur, si in his quoque ecclesiis quandoque elargiri gratias possit. Quare Germani, et dum nimiis reservationibus pontificiis intercessere, et dum moderatas initis concordatis firmarunt, prudentiae, aequitatis et insignis in Romanam sedem observantiae et grati pro acceptis maximis beneficiis animi laudem promeriti sunt. (a) *)

*) Quum in Germania nostra aliæ non vigeant reservationes beneficiorum papales præter eas, quæ in Germaniæ Concordatis reeeptæ sunt, de his solis breviter exponemus. De aliis reservationibus per Bullas, aut Regulas Cancellariæ etc. vid. e. g. *Leurenius in foro Beneficiorum, Maschat tit. de Præbend. et dignit. Böckhn. de concess. Præbend. etc.*

(a) Vid. Zallwein Princ. I. E. tom. 3 q. 2. c. 3. §. 8. et Barthel tom. 2. opusc. 3. de concord. Germ. diss. gen. c. 3. sect. 1. ubi argumenta *Protestantium* contraria refutantur.

§. 526.

Concordata Germaniae (§. 174. seqq) Pontifici tribunt jus I. Episcopos, et immediatos, quos *consistoriales* vocant, Abbates *confirmandi*, *) II. *annatas* moderatas exigendi; III. *beneficia* quaedam quocunque tempore vacantia; IV. alia nonnisi certis, quod idcirco *papales* vocant, mensibus vacantia conferendi. De singulis dicemus.

*) Solum *confirmandi*, non item Episcopos creandi jus Papae tribuitur. Nam *libertas electionum* et cathedralibus, et regularibus ecclesiis, etsi Sedi Apostolicae immediate subjectis, per Pactum Callixtinum jam stabilita, in his Germaniae Concordatis rursus confirmatur; electiones tamen *canonice* fiant oportet. *Concord. Germ.* §. 3.

§. 527.

De jure Episcopos, et quosdam Abbates *confirmandi*, quocum jus controversas electiones dijudicandi intime connexum est, *) jam supra (§. 481.) meminimus.

*) *Confirmatio* enim 1) est adprobatio electionis a Superiore facta, qua eam canonice peractam probat, declarat; quod judicium absque praevia processus electionis cognitione rite fieri nequit. Jus igitur electiones Germanicas controversas dijudicandi cum jure confirmandi ad Pontificem pertinere liquet. Dein 2) dijudicatio electionum episcopalium per se ad judicem spectat ecclesiasticum: 3) quod itidem Galliae Germaniaeque observantia confirmat 4) Pactum Calixtinum (§. 170.) adeo jus isthoc ecclesiasticis judicibus non abrogavit, ut firmarit etiam: 5) Concordata Aschaffenburgensia, et Tridentinum Concilium Sess. XXIV. c. 1. jus idem Pontifici stabiliunt, quod 6) ex eo tempore Pontifices constanter exercuere. *Vid.* Dürr.

Dürr. diss. de judice controversiarum in causs. elect. Episc. Germ. ubi hæc curate exposita, et argumenta contraria dissoluta habes Extat Thes. Jur. eccl tom. 2. pag. 354. Cf. I. J. Moser. Neueste kleine Schriften 1. Abhandlung das päbstliche Entscheidungsrecht in zwiespaltigen Wahlen ꝛc. vertheidiget. Item von Sartori locis supra (§. 481. lit. k.) citatis.

§. 528.

Annatæ fructus, aut pars fructuum primi anni, seu certa pecuniæ summa de fructibus primi anni obtento beneficio solvenda, *) 1) vi Concordatorum Germaniæ Pontifici stabili lege et *absolute* debentur; neque enim ulla in concordatis adjecta est conditio; **) 2) et Pontifice ex titulo pacti publici, et subventionis ad ferenda onera, et expensas in bonum universalis ecclesiæ faciendas citra simoniæ labem ***) recipiuntur.

*) *Annatarum* (§. 173. not. 2.) genus quadruplex ut curia Romana distinguitur: 1) *Annatæ* simpliciter dictæ sunt dimidia redituum unius anni pars, soli Papæ obveniens ex beneficiis minoribus et regularibus, non consistorialibus, seu iis, quæ in consistorio Papæ non conferuntur, quorum fructus annui viginti quatuor aureos excedunt, aut ultra eam summam taxantur. Unde canonicatus, et alia beneficia minora in Germania, Gallia, Hispania, etsi plura aureorum millia, reddant, annatas haud solvunt, eoquod ultra viginti quatuor aureas non sint taxata: 2) *Servitia communia*, quæ *Annatarum* nomine nobis veniunt, et a Germanis quoque ex ecclesiis cathedralibus et Abbatiis consistorialibus solvuntur, quarum pars dimidia Pontifici cedit, dimidia Cardinalibus Romæ præsentibus bis in anno distribuitur: 3) *Servitia minuta*, seu taxæ minores minoribus

Papæ officialibus solvendæ 4) *Quindennia*, summa pecuniæ singulis quindecim annis Cameræ Apostolicæ ex beneficiis perpetuo unitis, vel specialiter a reservatione exemtis pendenda, ne propter unionem, aut exemtionem suo jure Pontifex privetur. *Cf. Gregel Diss. de jure Nationis Germ. ex accept. decret. Basileens. quæsit. c. 5. §. 67.*

**) *Annatas* a) alii sub ea conditione tantum Papæ datas credunt, si iis pro sua, curiæque sustentatione speciatim indiguerit; b) alii illas ex lege, ut in bellum sacrum impendantur, Pontifici addictas esse volunt, quod idem Carolus V. datis ad Adrianum VI. literis urgens, *quum S. R. I. Status meminissent*, ait, *annatas ab origine ea maxime ratione concessas esse, ut hujusmodi pecuniis Christi fidei hostes arcerentur, nunc autem ipsi Turcæ Germaniæ inhient etc.* Verum heic Carolus de *origine* solum annatarum loquitur, nec in concordatis de bello turcico ulla fit mentio; sed eæ exigendæ pronuntiantur, donec eam observantiam in concilio generali de ipsius Germanicæ Nationis consensu contingat immutari. *Barthel tom. 2. opusc. III. Diss. de Concord gen. c. 3 sect. 2. §. 12. Paul de Rigger Princip. juris eccl. Germ.* §. 85.

***) » *Caussa*, inquit Riegger (b). Annatarum *per-» petua* est (nempe tot sumtus pro bono ecclesiæ, » pro suorum Ministrorum sustentatione ferendi) » atque *justa*, ut jam hodie de iniquitate earum, » et *simoniaca pravitate* queri fortasse audeat ne-» mo. « Et vero quodsi pensio beneficiis, sæpe ob privati bonum absque simoniæ labe imponi possit, cur non et Annatarum onus ob ecclesiæ, et Primatis universalis utilitatem iis injungi quiverit? Sane ipsum Basileense concilium quod heic opponunt, electo suo Pseudopapæ Felici V. Annatas indulsit; (c) et Protestantes, qui eas Pontifici solvi ægre

(b) Princip. Jur. Eccl. Germ. §. 85.
(c) Sess. XXIV.

ægre ferunt, ex iis etiam beneficiis, ex quibus a Papa annatæ haud exiguntur, jus annatarum Principibus Protestanticis addicunt, et eas pendunt. (d) Ceterum, ut Petrus de Marca (e) observat. » *Modus* adigendi ad earum solutionem retentis » videlicet Bullis, qui erat lapis scandali tempore » conciliorum Constantiensis et Basileensis in con- » suetudinem versus est absque ulla conquestione » Prælatorum aut Principum, qui solutioni huic » consenserunt titulo subventionis etc. « Dein hunc annatas exigendi modum non Pontificum cupiditas, sed Episcoporum plurium, obtentis semel Bullis eas solvere recusantium, tergiversatio induxit.

§. 529.

Annatas solvendi modus per Concordata Germaniæ (§. 174.) ita est determinatus: » 1) de ecclesiis cathedralibus omnibus, et monasteriis virorum duntaxat (nempe consistorialibus, quorum scilicet provisio aut electionis confirmatio ad Sedem Romanam spectat) » vacantibus aut vacaturis solventur pro *fructibus primi anni a die vacationis* summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, » quæ *communia servitia* nuncupantur: 2) si » quæ ecclesiæ excessive taxatæ sunt, juste re- » taxentur etc. 3) Taxæ autem prædictæ pro » media parte infra annum a die habitae pos- » sessionis pacificae totius aut majoris partis » solvantur, *) et media parte infra sequentem

(d) Vid. de Ludewig Diss. de jure annatarum Principum Evangelicorum. c. 3 et Bœhmer in observat. 6 ad Petri de Marca l. 6. c. 12.

(e) Petr. de Marca de concord. S. et I. l. 6 c. 12 n. 6.

» annum. **) 4) Et si infra annum bis vel » pluries vacaverit: semel tantum solvatur: » nec debitum hujusmodi in successorem in » ecclesia vel monasterio transeat. . . . 5) De » beneficiis, quæ valorem viginti quatuor flo- » renorum auri de Camera non excedunt, ni- » hil solvatur.« ***)

*) Quum Annatæ vi Concordatorum non nisi a) a die *vacationis*, b) a die *habitæ possessionis pacificæ* totius vel majoris partis, et c) pro *fructibus primi anni* sint solvendæ, patet, a Coadjutore etiam ad succedendum dato, quamdiu superstes Episcopus est, annatas pendendas haud esse. Etenim ante hujus mortem ecclesia nec *vacat*, nec habetur *possessio pacifica* majoris partis etc. Immo si ante forent solvendæ, evenire posset, ut eæ vivente eodem Episcopo bis aut sæpius solvi deberent, quod a littera et sensu Concordatorum, alioqui stricte interpretandorum, longe abest. Item ex eadem ratione si quis Episcopus ad novam Ecclesiam postulatus priorem simul ex indulto retinet, haud denuo solvendæ sunt annatæ ex retenta ecclesia; neque sane heic nova possessio, nec primi anni fructus habentur; et ab eodem Episcopo bis de eadem ecclesia annatæ exigerentur, quod quam itidem paciscentium menti, et pactorum textui repugnet; per se apertum est.

**) Hodie nisi integra annatarum summa persoluta Bullas confirmatorias tradere non solet Curia Romana; ne annatarum subsidio redditis Bullis, quod sæpius contigit, fraudetur; uti nuperrime (§. præced. not. 3) monuimus.

***) Equidem in Concordatis præterea decernitur, » ut de ceteris dignitatibus, et beneficiis, quæ » auctoritate Papæ conferuntur, (præterquam gratiæ » exspectativæ, et caussa permutationis) solvantur » annatæ juxta taxam solitam a tempore possessio- » nis intra annum.« At, quum quæcunque Germa-

maniæ beneficia ultra viginti quatuor aureos in Camera Apostolica non taxentur, uti (§. præc. not. 1.) diximus; eo ipso ab annatis proprie dictis eximuntur, et sola *servitia minuta* præstant. Nempe taxatio isthæc per fictionem juris, non secundum verum valorem *per pacta secreta ideo fuit stabilita*, ut sub ejus umbra immunitas annatarum his beneficiis sine aliorum consequentia tribueretur. Cf. *Van Espen P. II. tit. 24. c. 4. n. 23. seqq. et Thesaur. I Eccl. tom. 6. pag. 228. De Annatis plura notatu digna vid. in* von Sartori geistl. und weltl. Staatsr. deutscher Stifter 1. B. 2. Th. §. 530—545.

§. 530.

Per Concordata Germaniæ III. firmantur Pontifici *beneficiorum Reservationes*, *) 1) *juris scripti*, seu quæ in *jure scripto*, **) continentur; 2) quæ habentur in constitutionibus Extravagantibus a) *Execrabilis* (f) et b) *ad Regimen* (g) non nihil per Concordata modificatis. 3) Reservantur Papæ Beneficia *vacantia in mensibus* imparibus, papalibus inde dictis, 1. 3. 5. 7, 9. 11. Januario, Martio, Majo etc.

*) De ortu et progressu Reservationum papalium recolenda sunt ea, quæ supra (§. 173) exposuimus: conferenda item, quæ in rem præsentem adfert Cl. *Barthel Diss. III. de Concord. c. 2. §. 5 seqq. operum ejus tom. III.*

**) 1) Nomine *juris scripti* hoc loco reliqui solum corporis juris canonici libri, non itidem Extravagantes veniunt, licet posthæc corpori juris cano-

---

(f) C. unic. de præbend. inter Extrav. Joan. XXII.
(g) C. 13. eod. tit. inter commun.

nici adjectæ fuerint. (h) Hinc duæ Extravagantes heic laudatæ non censentur clausæ in corpore juris. 2) *Reservatio juris scripti* per Clementis IV., non Clementis III. constitutionem (i) uti diximus (§. 173. not. 1. n. 3) invecta ad sola *beneficia per obitum apud Romanam Curiam vacantia* se exporrigit. (k). Item 3) Reservatio *juris scripti* minus odiosa has præ aliis reservationibus prærogativas habet; a) quod sit *perpetua*, nec ceterarum instar cum morte Pontificis exspiret; proinde beneficia per obitum apud Curiam vacantia, nisi forte sint parochialia, aut curata, (l) etiam Sede Romana vacante reservantur Pontifici futuro usque ad elapsum a die vacationis mensem integrum, quo finito demum ad ordinarios collatores providendi jus redit: b) quod sit ceteris *antiquior*, ac c) *ratione congruentior*, quare d) in Concordatis Galliæ, immo etiam in Concilio Basileensi, licet ceteris reservationibus abrogatis, est retenta. *Cf. Barthel l. cit. n.* 10. *seqq.*

§. 531.

Priusquam ipsas *beneficiorum reservationes* in Concordatis contentas recenseamus, præter ea, quæ supra (§§. 177. 179.) ad rectam concordatorum interpretationem apta monuimus, aliæ probe heic observandæ sunt regulæ: I. *Reservationes*, utpote Episcopis præjudicantes, ordinariæ eorum potestati detrahentes, et juri communi adversæ, sunt in regula

(h) Vid. Zallwein Princ. J. E. Tom. II. q. 2. c. 4. §. 5.

(i) C. 2 de Præb. in 6. Vid. Barthel Diss. III. in concord. c. 2 n. 7.

(k) Idem ibid. n. 10.

(l) C. 35. de Præb. in 6.

gula *odiosæ* et potius restringendæ. II. Non omnia, et quæcunque beneficia reservationi obnoxia censenda sunt. *) III. Natio Germanica per Concordata suam, aut Ordinariorum conditionem reddere deteriorem, aut duriorem haud voluit, nec sibi detrahere id juris, quod ceteræ provinciæ omnes tenent. Proin IV. nec reservatio juris scripti; nec maxime in Extravagantibus duabus contentae Germanos gravius, quam alios onerant; atque quemadmodum dictae Extravagantes ex mente Pontificum, et intuitu aliorum, ita etiam respectu Germanorum Sede Romana vacante exspirant. **) (m) V. Duae dictae Extravagantes eo solum, quem Concordata iis tribuunt, sensu intelligendae sunt. VI. Ad litteram Concordatorum ita adtendendum, ut, quae illa praecesserunt, Pacta e. g. Constantiensia ad quinquennium duratura, et Francofordiensia (§. 174 not. 1 et 4.) non negligantur. VII. Ubi intra instrumentum Concordatorum, et Bullam ejus confirmatoriam variantes fors lectiones occurrunt, non Bullae verbis, sed concordatorum instrumento inhaerendum. Neque enim potuit, nec voluit Nicolaus V. per eam Bullam concordata immutare. ***) (n) His praenotatis eo fere, quem concordata tenent, ordine Reservationes referemus.

*) Ita

(m) Barthel Diss. de concord. c. 2 §. 9 sqq.
(n) Barthel ibid. c. 1. n. 2. sqq.

*) Ita non reservantur a) beneficia in *commendam mere temporalem* dari solita: b) *manualia* alia, quorum possessores ad nutum Superioris amoveri possunt; c) beneficia patronatus *laici* et *mixti*, quæ ob specialem favorem, et, quod titulo oneroso acquisitum jus patronatus sit, a reservationibus eximuntur. *Cf. Barthel cit. Diss. c. 2 n. 4.*

**) Hinc non obstante Concordatorum perpetuitate reservationes per Extravagantem: *Ad regimen*, et regulas Cancellariæ primum inductæ, ac in concordatis retentæ Sede Pontificia vacante cessant, item jus mensium suspenditur, et in papali etiam mense vacantia beneficia per ordinarios collatores conferuntur.

***) Insignes quasdam alias ad recte interpretanda concordata regulas, postquam sinistræ interpretationis caussas indicaverat, in medium profert. *Barthel cit. Diss. de concord. in Præfat. et c. 1. 2.*

§. 532.

Reservantur igitur vi concordatorum, et ex recepta Extravagante: *Ad regimen*, Pontifici beneficia apud Sedem Romanam *quomodocunque vacantia*, nec non, ut concordata habent, *vacantia*, 1) per *depositionem*, vel *privationem*, seu *translationem* *) per nos, seu auctoritate nostra (id est sententia judiciali Papae) factas; 2) ad quae beneficia aliqui electi, postulatique fuerint, quorum *electio cassata*, seu *postulatio repulsa*, *vel per eos facta renuntiatio et admissa* auctoritate nostra extiterit, seu *quorum electorum*, *vel postulatorum electionem cassari; seu postulationem repelli*, *aut renuntiationem admitti* per nos (ait Papa) aut *auctoritate nostra* continget, apud sedem prædictam: aut alibi ubicunque. **)

*) In casu *translationis* 1) equidem illius, a quo quis transfertur, Episcopatus provisio Papæ per concordata reservatur. Eam tamen reservationem tunc solum, si dicta *promotio uni* Papæ debeatur, locum habere, Aula Cæsarea existimavit. (o) 2) Interim in quocunque translationis casu capitula Germaniæ sibi per *indultum de eligendo*, quod Papa haud negat, consulere solent. At vero 3) si Papa tale indultum largiri detrectaret; tum nec a Papa eam translationem invito, et non audito capitulo, ut quod jure eligendi sine culpa privaretur, fieri posse credit Barthel (p) Et vero quum id genus translationes invitis Regibus, qui jus nominandi tenent, nequeant a Papa suscipi; (q) eas sine consensu capituli jus eligendi habentis fieri posse, cur dicamus? Vid. Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. 1. B. 2 Th. §. 301.

**) Unde Pontifici haud reservantur beneficia 1) vacantia *per depositionem*, aut privationem, quæ non per ejusdem sententiam judicialem, sed ab Ordinario, a lege, vel canone decernitur: 2) nec reservantur vacantia per *cassatam electionem*: aut *repulsam* a Papa *postulationem*: (r) siquidem capitulum a culpa vel negligentia abest, (Cf. §. 481. not. 2 et §. 487. not.) nec 3) vacantia *per resignationem* in manus Ordinarii absolute, aut permutationis caussa factam; quum nec jure communi

---

(o) Ut patet ex Allocutione Commissarii Cæsarei ad Capitulum Ratisbon. A. 1769. 16. Jan Vid. Neue Staatscanzley tom. 29. pag. 317. v. Sartori loc. cit. §. 304.

(p) Diss. III. de concord. c. 2 §. 26.

(q) Testibus van Espen Jur. eccl. univ. P. I. tit. 15 c. 4 §. 2. Rebusso Praxi benef. de translat. Episcop.

(r) Cf. Behlen Diss. ad verba concord. electione cassata. A. 1767 Barthel cit. Diss. 3 c. 3 §. 18.

muni nec per regulas Cancellariæ id genus beneficia Papæ reserventur: ergo multo minus in Germania: 4) nec reservantur vacantia per *resignationem* in manus Pontificis factam ab eo, qui post resignationem diebus viginti superstes non est: quoniam tunc per obitum vacare censentur. Neque etiam clausula derogatoria: *Non obstante regula de viginti etc.* fors adjecta a Germanis attenditur. (s) Item 5) resignationes *in favorem* factas aliqui prorsus rejiciunt, easque inter gratias informes in ipsa Cæsarea capitulatione (t) rejectas jam recensuit Neller. (u) Quod quidem jam novissima Leopoldi capitulatio luculentius exprimit. Denique 6) quibusdam *Reservatio ob resignationem* videtur esse restringenda ad *renuntiationem ob electionem et postulationem, aut resignationem Episcopatus hujusmodi, cujus provisio alias S. Pontifici jam competit,* » sic quidem, ut e. g. in casu » resignationis alicujus Episcopi ob senium, vel » ut monasticam vitam profiteri possit, non Sum» mus pontifex de Episcopatu per talem resigna» tionem vacante, sed capitulum per electionem » novi Episcopi providere debeat. Profecto ver» borum ex concordatis allegatorum (§vo. hoc) » contextus hanc contrahentium mentem fuisse » indicat. (w) Eandem quoque Imperio Rom. » Germanico mentem sedem manifestant verba » Capitul. cæsarea præsertim novissima, ubi Im» perator promittit: Wir sollen und wollen .. unser

bestes

(s) Barthel Diss. III. cit. c. 2 n. 28. Van Espen I. E. U. P. II. tit. 28. c. 5. n. 32.

(t) Art. XIV. §. 1.

(u) Diss. de statu Resignationum in favorem apud Germanos §. 41. Thesaur. I. E. Tom. VI. pag. 320. Cf. Schloer Diss. de Reservat. benefic. ex qualitate vacationis per resignationem ad text. concord. *per eos facta renuntiatio.* A. 1777.

(w) Ditterich Primæ Lineæ Jur. eccl. publ. Germ. pag. 749 seqq.

» bestes Vermögen anwenden . . . daß . . dagegen
» (die Koncordaten, wie auch eines jeden Erz- und
» Bischofes oder Domcapitels besondere Privilegien,
» hergebrachte Statuten und Gewohnheiten) durch
» Ertheilung unförmlicher . . . oder durch Erschwe-
» rung gewöhnlicher Gratien . . durch Reservation,
» Dispensation, Resignation, besonders in favo-
» rem tertii, dann darauf unternehmende Kolla-
» tion, all solcher Präbenden, Prälaturen, Digni-
» täten, und Offizien. welche sonst per obitum ad
» Curiam Romanam nach den Koncordaten nicht
» devolvirt werden, sondern jederzeit . . . den Erz-
» und Bischöfen auch Kapiteln, und andern Colla-
» torn heimfallen . . . in keiner Weise gehandelt
» werde.« *Noviss. capitul. Leopoldi II. l. c. Art. XIV.* §. 1.

§. 533.

Reservantur item Pontifici per Extrav. *Ad regimen* in concordatis receptam II. beneficia vacantia per obitum *Cardinalium*, aliorumque *Officialium* Curiae, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet *Vicecancellarii*, *Camerarii* etc. verosimiliter tum solum, si in curia diem obeunt supremum. *) *Legatorum* vero, *Collectorum*, et in terris Romanae Ecclesiae *Rectorum*, et *Thesaurariorum*, *ubicunque* decedentium. Eodem quoque ex fonte Pontifici reservantur III. beneficia *vacantia per obitum* 1) ad *Curiam Romanam* pro quibuscunque negotiis *venientium*, seu ad eam *accedentium*, seu *recedentium* ab eadem; **) item 2) quorumcunque Curialium ad quaevis loca secedentium, si in locis a dicta curia ultra duas diaetas legales (viginti circiter itala, aut octo germana milliaria) non distantibus

obie-

obierint; dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem.

*) De solis his, non item de aliis dicitur: Ubicunque dictos Legatos, vel collectores, seu Rectores aut Thesaurarios, antequam ad Curiam Romanam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit humanis. Quare recte infertur, ceterorum, qui heic non nominantur, Cardinalium, et aliorum Curiæ Rom. officialium extra curiam morientium beneficia non esse reservata. Neque proin necesse foret, ut Capitula illa, quorum Episcopus dignitate Cardinalitia ornatur, per indultum pontificium se, quod solent contra talem reservationem muniant, quæ, nisi Cardinalis apud Curiam obeat, locum non habet: id quod vel ipse curialista Rigantius (x) fatetur. Haud obstat etiam Alexandri VII declaratio contraria, utpote concordatis posterior, nec iis unquam prævalitura. Dein sine ejusmodi indulto post obitum Cardinalis a Capitulis Germaniæ celebratæ sunt electiones: alibi indulti, etiam sponte a Papa submissi nec in literis edictalibus, seu ad electionem citatoriis, nec in processu informativo ulla facta est mentio. (y) Ceterum per *Legati nati* obitum vacantia beneficia Pontifici haud reservari certum est.

**) *Curiæ Romanæ* nomine intelligunt a) alii urbem Romam, aut locum, ubi Papa moratur: alii b) verosimilius locum, in quo caussarum audientia, et litterarum Apostolicarum expeditio fieri solet: c) alii utrobique, ibi in capite, heic in corpore curiam existere, ac proin utroque in loco vacantia beneficia reservationi obnoxia esse volunt, quam ad rem demonstrandam quasdam Pontificum Bullas

(x) Commentar. in Regul. I. Cancellar. §. 26 sqq. vid. Barthel diss. III. de concord. c. 2 § 38.

(y) Id de Argentoratensi, et Spirensi ecclesia testatur Ditterich Primæ lineæ Jur. publ. eccl. Germ. pag. 154 Cf. v. Sartori l. c. §. 305.

las laudant. Sed enim hæ omnes concordatis posteriores, et ab uno Pontifice profectæ declarationes nil novi oneris Germanis imponere queunt. Quare solum beneficia in curia, seu in loco, ubi Apostolicæ litteræ expediri solent, vacantia in reservatis habenda. *Barthel cit. Diss. III. de concord. c. 2 n.* 8.

§. 534.

Eodem ex capite Pontifici reservantur IV. beneficia *vacantia per promotionem*, seu provisionem a Papa: ejusve auctoritate factam, sive quæ a Pontifice ad cathedralium, nec non monasteriorum regimina promoti obtinent tempore promotionum de ipsis factarum.

*) Ut beneficia in casu posito vacent, et Papæ reserventur, requiritur 1) ut promotio per Pontificem fiat, unde ab alio, e. g. ad Secoviensem, Lavantinam, Chimensem, Gurcensem Ecclesiam a Salisburgensi Archiepiscopo promoti beneficia Papæ haud reservantur: (z) requiritur 2) ut vacent beneficia per promotionem ad Episcopatus vere tales et effectivos, ut ajunt, non titulares: quare beneficia illius, qui ad episcopatum in partibus promovetur, nec vacant, nec Papæ reservantur. Requiritur 3), ut vacent per *promotionem ipsam*, et non alio modo, unde vacantia per obitum ejus, qui promotus a Papa illa ex dispensatione papali retinuit, non reservantur, (a) requiritur 4), ut actu adhuc *tempore promotionis* ea beneficia teneat promotus; hinc quæ ab electis, sed nondum confirmatis Episcopis, non obstante Regula XXVI. Cancellariæ, resignantur, haud obnoxia sunt reservationi eoquod promotio in

(z) Engel I. C. ad Decret. L. III. tit. V. §. 2. n. 16.
(a) Böckhn. ad Decret. L. III. tit. 8 n. 29 sqq.

in curia ante confirmationem nondum facta censetur. (b) Immo vero requirunt aliqui 5), ut *promotio* non sit solum facta per confirmationem electionis, sed solum et unice per Pontificis gratiam. Namque, inquit Gregel, promotio eo sensu accipienda est, quo sumebatur ab initio sec. XIV. quum hæc Extravagans conderetur. Tunc temporis vero Pontifices sibi quandoque expresse, quandoque mentaliter certas Prælaturas speciatim reservabant. Quibus de ecclesia vi hujusmodi reservationum provisum est, a Papa promoti dicebantur: talis provisio utique vera promotio, et actus gratiæ fuit, quam nullo prævio jure ex electione quæsito solus Papa largiebatur. De promotione per confirmationem nequidem cogitabatur, cum electi tum temporis a Metropolitis aut Synodis confirmarentur. » Ab omni igitur ratione » alienum est, si electus per confirmationem Pon» tificis dicitur promoveri eo sensu, quo promo» tio in Extravagante accipitur. Confirmatio enim » non est actus gratiæ, sed justitiæ, qui canonice » electo negari nequit. Quod adeo indubium est, » ut nequidem translatio prævia postulatione facta » promotionis pontificiæ nomine veniat: confir» matio igitur multo minus promotio dici potest.« *Ita Gregel comment. de jurib. Nat. Germ. ex acceptat. Decret. Basileens. quæsitis per concord. Aschaffenb.* c. 3. §. 6. Sed enim observantia legum optima interpres.

§. 535.

Porro V. vi Extravagantis *Execrabilis*, ut illa quidem in concordatis modificata est, *) Pontifici reservantur beneficia, quæ per *assecutionem quoruncunque* aliorum beneficiorum *incompatibilium* auctoritate literarum Apostolicarum immediate collatorum vacaverint. Igitur

(b) Böckhn l. cit. n. 49.

tur in concordatis reservatio per Extrav. *Execrabilis* 1) ad *beneficia quæcunque*, etiam non curata, modo sint incompatibilia, extenditur: ita tamen, ut 2) solum *primum* beneficium Papæ reservetur; modo 3) *secundum* immediate a Papa sit collatum, et 4) impetrans in hujus secundi *pacifica* et *fructifera* possessione existat.

*) Hæc Extravagans constitutio in concordatis quoad alia latius extensa, quoad alia magis restricta videtur. Et quidem 1) Extravagans ipsa de dignitatibus et beneficiis solum *curatis* meminit, contra in concordatis etiam beneficia *non curata* reservantur saltem *incompatibilia*. (Porro etsi haud ad sensum Tridentini, quod strictiorem residentiam requirit, (c) tamen secundum praxin et stylum Curiæ Romanæ illa beneficia solum *incompatibilia* censentur, quæ residentiam simplicem, et *præcisam*, non item ea, quæ *caussativam* requirunt: seu quæ residentiam non sub pœna privationis ipsius tituli et beneficii, sed sub pœna privationis fructuum exigunt.) Ex eo autem 2) Dicta extravagans per concordata limitationem accipit, quod tunc solum reservatio locum habeat, si secundum beneficium cum priore incompatibile ab *ipso Pontifice*, non vero si auctoritate ordinaria Episcopi licet præcedente Papæ indulto collatum fuerit. Porro 3) Extravagans ipsa *secundum* duntaxat beneficium Papæ videtur reservare pro eo casu, ubi quis primum una cum secundo retinere velit; (an primum, an secundum, an, quod sine ratione sufficiente quidam asserunt, utrumque reservetur, (d) nondum plane expedi-

(c) Sess. VII. c. 2 Sess. XXIV. c. 17 de reform.
(d) Cf. Engel de Præb. et dign. § 2 n. 13, Böckhn de conces. Præbend. n. 41 sqq.

tum est, in concordatis vero *primum* tantum beneficium verosimilius Papæ reservatur. (e) Nihilominus multi Germaniæ Ordinarii potius Extravaganti ipsi, quam concordatorum verbis inhærentes non *secundum* ex incompatibilibus, sed *primum* suæ collationi competere contendunt. Quam praxin antehac vigentem et post concordata retentam haud reprobat Barthel, attamen prætensæ a Curialistis beneficii utriusque reservationi tam praxin, quam concordatorum litteram repugnare asseveranter pronuntiat. Nec obstat sane Decretum concessioni secundi beneficii fors adjectum *de primo dimittendo*: nam etsi id decretum contra beneficii pluralitatem juri omni exosam valeat, certe contra concordata, ceu his posterius, atque praxi contrarium vim nullam habet. *Barthel. cit. Diss. III. de Concord. c.* 2 §. 22.

§. 536.

Reservantur demum VI. *vacantia* beneficia in *mensibus Papalibus* Januario nempe, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri. Quoniam vero generatim reservationes ceu odiosae strictius interpretandae, et in dubio favendum potius Ordinariis (§ 531....) nunquam pro reservatione standum, ubi verba ipsa concordatorum non verosimilius id exposcunt; unde ab hac merito excipiuntur plura beneficia.

*) *Excipiuntur* scilicet 1) *dignitates* præsertim *electivæ*, uti tum exempla concordatis fere cœva docent; (f) tum ex eo colligitur, quod de iis nulla

---

(e) Barthel diss. 3 de concord. c. 2. §. 21.

(f) Vid. plura in concordat, integris illustratis Tom. I. pag 358. sqq. Würdtwein Subsid. diplomat. Tom. I. pag. 165. 180. 185.

la, ubi de mensibus papalibus sermo est; in concordatis fiat mentio: *) excipiuntur 2) *dignitates majores* post pontificalem in cathedralibus, et principales in collegiatis ecclesiis, a) id quod instrumentum concordatorum sat clare innuit, quod sic habet: » De ceteris dignitatibus et beneficiis » quibuscunque secularibus et regularibus vaca- » turis ultra reservationes jam dictas majoribus » dignitatibus post pontificales in cathedralibus, » et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis; » de quibus jure ordinario provideatur per illos » inferiores, ad quos alias pertinent, idem Ss. » Dominus noster per quamcunque aliam reser- » vationem ... non impediet, quo minus de iis, » cum vacabunt, mensibus Februarii etc.: libere » disponatur per illos, ad quos dispositio perti- » nebit. « Quæ verba liquido satis rem demonstrant. Neque ab iis multum recedunt verba bullæ confirmatoriæ, in quibus, uti et in Regula IV. cancellariæ incassum (§. 531. n. 6.) Curialistæ contrariæ opinionis præsidium sibi invenisse videntur: Germanis favet b) ipsum *Bullarium Romanum*, (editioni autem Argentinensi, (g) ubi Parenthesis: *De quibus jure ordinario provideatur per illos Ordinarios* etc. omittitur, exemplaria Bullæ etiam ab iis, qui Papæ jura ultra modum extendunt, (h) editæ repugnant,) favent c) *Concordata Constantiensia*, (§. 174 not. 1.) quæ basis sunt concordatorum Germaniæ: (i) favet d) *constitutio ipsa Martini V.*, (k) qua formulam concordiæ adumbravit: (l) favent e) non solum *Canonistæ Germani*, qui rem fere demonstrarunt:

 (m)

(g) De A. 1513.
(h) E. g. Branden, et Nicolarts.
(i) Vid. Ign. Schmidt Geschichte der Deutschen. 7. B. 44. K. S. 385.
(k) A. 1418. 21. Martii.
(l) Harduin Tom. 9 pag. 877.

(m) sed consentiunt praeterea f) *Doctores* etiam *exteri*, (n) de partium studio minime suspecti: favent g) *exempla* tempori concordatorum propinqua, (o) favent: h) *factæ* a Germanis contra facta contraria *oppositiones*, et proposita *gravamina*. (p) Ita annis vix decem ab initis concordatis, quum a Pontifice Ænea Sylvio Præpositura Wormatiensis cathedralis, et collegiata Xantensis commendaretur, tres Electores ecclesiastici sese opposuere. Varius tamen est modus et observantia, quo in ecclesiis germanicis dignitates ejusmodi conferri solent: (q) cui observantiæ deferendum esse alii affirmant, (r) alii ob continuam protestationem ei oppositam præscriptioni heic locum esse posse négant. Item a reservatione papali excipiuntur. 3) *Munia specialia* e. g. concionatoris, professoris cum canonicatu connexa, licet iste reservetur: 4) *beneficia improprie* talia, com-

(m) Vid. Analytica demonstratio ex littera et mente concordator. Germ. Præposituras etc. non esse... reservatas. 1757. Schloer Diss. ad concord. de Præposituris ab alternativa exceptis. Barthel Diss. III. ad Concord. c. 4 §. 27 sqq.

(n) Natal. Alex. Hist. E. Tom. VIII. pag. 222 Jo. Chokier comment. ad Reg. 2 et 3 cancell. n. 16. Rousseaud de la Combe dans Recueil de la Jurisprud. canonique V. concord. Sect. III.

(o) Tom. I. concord. Nat. Germ. integr. illust. l. c.

(p) E. g. Illa Cleri Germ. in Diæta confluentina Friderico III. exhibita §. Acta Comiti. Wormat. de A. 1495. sub Maximiliano I. et gravamina eidem A. 1510. oblata, et gravam. Carolo V. 1522. oblata n. 19 apud Goldast. const. Imp. Tom. I. pag. 466 c. 12 et 17.

(q) Cf. Fr. Georg. Ditterich Primæ lineæ J. publ. eccl. pag. 212 sqq.

(r) Ant. Schmidt Inst. J. E. P. 2. sect. 3. §. 64.

commendæ, et *vicariæ* temporales; 5) *Vicariæ* etiam *perpetuæ* ecclesiarum parochialium dignitatibus, cathedralibus, collegiatis, et regularibus ecclesiis, aliisque piis locis unitarum, et quæ eorum, quibus subjiciuntur eæ ecclesiæ, dispositioni indefinite permittuntur: (s) 6) *ecclesiæ parochiales* ex praxi multarum dioecesium, a reservatione excipiuntur, aut saltem per concursum dignior inventus præsentandus esset Papæ, a quo collationem obtineat: 7) *beneficia* præsertim permutationis caussa *resignata*, quum ea vel in regulis cancellariæ jam a reservatione excipiantur: 8) beneficia *patronatus* præsertim *laici* aut etiam *mixti* inprimis ex fundatione, dotatione orti, aut quod ex origine laicum ad collegium ecclesiasticum est translatum, (t) ne laici a favoribus ecclesiæ præstandis deterreantur: 9) *dubia*, an mense papali vel alio vacaverint: (§. 179.) 10) vacantia Sede *papali* pariter *vacante*. (Cf. §. 530 not.)

§. 537.

Reliquis mensibus libera omnino nec ullo pacto, aut titulo impedita de beneficiis dispositio iis, ad quos pertinet, a Pontifice relinquenda est; unde nedum beneficium conferre, sed nec quovis modo beneficium minuere, novo onere deterius reddere, nec sub obtentu quocunque jus ordinarii collatoris gravare, aut impedire Papæ integrum est. *)

*) In Concordatis enim sancte promittitur: »D. Papa »per quamcunque aliam reservationem, gratiam »ex-

(s) Constit. 47 Pii V. Bull. magn. Rom. Tom. 2.
(t) Hedderich Diss. de jure patron. laico ad colleg. eccl. transeunte reservationum regulis haud obnoxio.

» exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem
» sub quacunque verborum forma . . factam aut
» faciendam non impediet, quo minus de iis di-
» gnitatibus et beneficiis, cum vacabunt, de
» mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti,
» Octobris, Decembris libere disponatur per illos,
» ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio,
» aut quævis dispositio pertinebit, reservationi-
» bus aliis, aut promissis, aut dispositionibus . . .
» factis vel faciendis non obstantibus quibuscun-
» que.« Unde 1) nec per *exspectativas*, quibus paullo post concordata a Curia Romana attentatis statim Natio Germaniæ jure sese opposuit, (u) quasque demum Tridentinum omnes abolevit; (x) nec 2) per alias constitutiones et Reservationes libera in aliis mensibus beneficiorum collatio impediri potest; ac proin Bullæ Pii V. a) *Ex Apostolatus officio*: qua lapsorum in hæresin — b) *Romanum Pontificem*: qua per simoniam confidentialem accepta — c) *In conferendis*: qua parochialia non per concursum collata — d) *Sanctissimus in Christo*: qua Sede episcopali vacante vacantia beneficia reservantur; aliorumque Pontificum constitutiones ad Germanos hac in re haud pertinent: nec 3) *jus prævention is*, seu *concursus* in Germaniæ beneficiis locum habet: immo 4) nec *pensio*, saltem quæ ad eos etiam, qui ab Ordinariis beneficia deinceps obtinent, extenderetur, beneficiis etiam reservatis imponi a Papa poterit; quum per eam beneficiorum collationem liberam perturbari, aut imminui nemo non videt. Sane in Concordatis de his nullum vestigium reperitur: et quum nec annatæ ex beneficiis Germaniæ inferioribus exigi queant, (§. 529. n. 3.) pensionis impositionem quoque excludi recte concludimus.

§. 538.

(u) Vid. Gravam. Principum Germ. ad Maximilianum I. A. 1510 delata. §. 4.

(x) Sess. 24. c. 19 de reform.

§. 538.

Ceterum hæ reservationes beneficiorum et præsertim 1) *alternativa mensium* non in quibusvis Germaniæ ecclesiis in usu sunt, sed 2) varius conferendi beneficia modus in iis obtinet: *) atque 3) jus *mensium papalium* sæpe per Pontificis *privilegium* **) aliisve *ex titulis* ***) per alios exercetur. ****)

*) Alternativam mensium Papa ipsemet liberæ Capitulorum acceptationi reliquit. Hinc aliqua Capitula, quæ *pinguiori jure* tum temporis fruebantur, eam haud receperunt. Id quod de Bambergensi et Herbipolensi ecclesia testatur Cl. Barthel. (y) Quid circa mensium alternativam, et collationem beneficiorum in singulis tum Metropoliticis, tum aliis Germaniæ ecclesiis cathedralibus obtineat, speciatim, et distincte recenset Georg Ditterich. (z)

**) Jus *mensium Papalium* 1) concedi solet Episcopis Germaniæ, ad Cardinalatus dignitatem evectis. 2) Jus idem exercent itidem tres Electores ecclesiastici vi quinquennalis privilegii papalis iisdem concedi soliti; (a) aut, quod ipsi prætendunt, vi indulti ad tempus vitæ ipsis necessario, et ex pacto concedendi. Nam id ipsis, eorumque successoribus ad tempus vitæ concedendum esse per specialem tractatum jam ante concordata promissum ajunt: quam in rem affertur epistola trium ecclesiasticorum Electorum de a. 1673 (b) in qua conqueruntur

(y) Diss. III. de concord. c. 4. §. 31.

(z) Primæ lineæ Jur eccl. Germ. publ. pag. 199.

(a) Idem indultum Archiepiscopis Salisburgensibus etiam non petentibus dari testatur Auctor libri: Nachrichten vom Zustande der Gegend, und Stadt Juvavia pag. 280.

(b) Extat. in der Mainzer Monatschrift von geistl. Sachen. A. 1787. Monath Decemb. pag. 967.

runtur, a) quod vi indultorum provisi intra sex menses provisionum confirmationem, seu novam provisionem in Dataria petere soluta taxa teneantur: b) quod indultum singulis quinquenniis, ac a quovis recens electo S. Pontifice sit petendum: quod c) dilata aliquando ejus expeditio fuerit, immo indultum ad triennium etiam restrictum, interimque minus dignis collata sint beneficia. Attamen ex hac epistola indultum perpetuum, aut ex pacto dandum probari plures negant. (c) Ceterum tres Electores ecclesiastici a) habito A. 1769. Confluentiæ conventu illa indulta ad dies vitæ concedi optant his verbis: 1) Sollen die päbstlichen Indulte wegen Ertheilung der Beneficien in den päbstlichen Monathen nicht mehr auf 5 Jahr, sondern auf die Lebenszeit der deutschen Erz- und Bischöfe ausgestellt werden: 2) Die Clausel wegen Nachsuchung einer neuen Provision bey den Datarien solle hinweg bleiben ꝛc. —. Et in Conventus Emsani punctationibus habetur puncto XV. Die päbstlichen Monate sollen niemand, dann den Erzbischöfen nach dem Indulto perpetuo überlassen, und dieses gleich mit der Bestättigungsbulle ertheilt, widrigenfalls die Präb[...]en in mensibus papalibus von den Erzbischöfen vergeben werden. (d) Quæ his hucusque opposita sint, in vulgus nota sunt.

***) Jus *mensium papalium*, seu jus nominandi ad beneficia in his mensibus vacantia ex immemoriali consuetudine, et præscriptione exercent quoque Duces Bavariæ: de quo in Concordatis Bavariæ Gene-

Item Concordatis Nat. Germ. integris illustratis, tom. 2 pag. 97.

(c) Weismann neue Bemerkungen über das Resultat des Emsercongresses, pag. 89 seqq. et quem laudat, Reinfeld 110 Seite.

(d) Cf. v. Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht der deutschen Stifter. 1. B. 1. Th. §. 151 et 166. item 2. Th. §. 527.

Generalibus (e) hæc statuuntur: »Pontificii quo- » que mensis jus non extendet Serenissimus Dux » ad ea beneficia, in quibus alteri jus patronatus » competit; et quia de paucioribus forte adhuc » disceptari contingit, inibitur utrinque talis con- » troversiæ sopiendæ commoda ratio.« Illustris in Cod. Bav. judicalem commentator jus mensium Papalium Serenissimo Electori competere affirmat partim ex *indulto Pontificio* de A. 1563 20 Maji, partim ex pacifice observata consuetudine immemoriali, uti ipsa indulti verba habent. (f) Demum circa juris hujus exercitium extant singularia quædam conventa Ducum Bavariæ cum Episcopis e. g. cum Frisingensi de A. 1718. §. 9 cum Passaviensi A. 1690 §. 23, in quo alternativa mensium in alternativam vicium commutata, item cum Ratisbonensi de A. 1789 § 3.

****) *Jus mensium papalium* etc. a) in ecclesiis *Protestanticis* per P. W. abrogatum, (g) b) a Dominis territorialibus sæpe exercetur: c) in ecclesiis mixtæ Religionis immediatis, ubi menses Papales in anno normali in usu fuerunt, quoad Canonicos catholicos deinceps obtinere jubentur Pacis W. Art. V §. 20, quod idem de ecclesiis mediatis §. 26. confirmatur.

§. 539.

Denique quod ad *adjuncta* provisionis pontificiae adtinet, notanda 1) *provisionis tempus* beneficia, quae in curia vacant, *unius*; quae vacant papalibus in mensibus, *trium mensium* intervallo conferenda sunt ita, ut jus Ordinarii reviviscat, nisi intra id temporis spatium et provisio sit facta, et simul in loco bene-

(e) De A. 1583. c. 4.
(f) Annot. in Cod. Bav. judicial. c. 1 §. 13.
(g) Art. V. §. 19.

beneficii apparuit, (neque contraria concordatorum hac in re a solo Pontifice facta (h) interpretatio (§. 177) obstare potest) 2) *Subjectum provisionis*: provisus omnibus iis: quas leges, statuta, et observantia Capitulorum requirunt, *dotibus* sit ornatus, secus jure repellendus: 3) *Forma provisionis*: rescripta provisionis alia in forma commissoria seu *dignum*, alia in forma *gratiosa* fiunt. *) 4) Provisi etiam ab indultario Episcopo debent vi styli Curiae Romanae novam Romae provisionem, seu confirmationem prioris petere (§. praec. n. 2.) **)

*) Per rescripta in *forma commissoria* datur quidem jus quoddam ad beneficium; de eo tamen non fit provisio Romæ, sed facienda, aut saltem per tituli collationem perficienda remittitur ad Ordinarium, cum mandato, ut præmisso examine idoneus inventus in beneficio instituatur: per rescripta in *forma gratiosa* Papa jam Romæ confert beneficium ceu ei, quem idoneum cognoscit, quique proin necessario erit instituendus in beneficio. Cf. §. 139 not.

**) Sede Romana vacante, quoniam jus mensium Papalium exspirat, lis est Capitulis cum Cardinalibus, vel Archiepiscopis indultariis. Et casu ejusmodi post obitum ultimi Pontificis proposito Academiæ Heidelbergensis, Trevirensis, Gœttingensis pro Capitulis pronuntiarunt. Archiepiscopis favet *Schloer diss. de alternativa mensium* 1776. *Utriusque sententiæ rationes in pugnum contractas proponit*

(h) Bullæ igitur Gregorii XIII. *Quæ in ecclesiam*: A. 1576 concordata de provisione intra trimestre Romæ facta interpretanti vim omnem negant Germani.

nit. P. Perpetuus Zangmeister Ord. S. Francisc. Reform. diss. can. publ. de jure Turni Rom. et Teutonici-pactitio Art. III. Monachi 1777.

ARTICULUS VI.

De Provisione Beneficiorum per primas preces.

§. 540.

Ad beneficia minora, maxime in Germania, perveniri quoque potest per *primas preces*, *) Est autem jus *primarum precum* facultas Imperatori saltem competens durante regimine suo semel nominandi personam quamdam idoneam ad unum beneficium in quibusdam Germaniæ ecclesiis vacans, vel vacaturum.

*) Dicuntur 1) preces *primæ*, eoquod una tantum vice ad quamvis ecclesiam dari possint, et *primaria*, ut quæ necessitatem imponunt, et reliquis commendationibus, aut provisionibus omnibus præferri debent: 2) *differt* jus precum a) a jure *patronatus*, vi cujus ad beneficium, quotiescunque *vacarit*, persona designari potest; quum jus precum semel tantum, et ad beneficium etiam *vacaturum* exerceri queat: distinguitur item b) a *literis panis* (Panisbriefen), quæ non ad beneficium ecclesiasticum, sed ad Laicorum alimenta pertinent.

§. 541.

Decantati hujus juris summa saltem capita veluti pugno comprehensuri, prolatis fere variorum de illo sententiis, indicabimus, I. Quæ sit *juris hujus*, sive quoad *tempus*, sive quoad *fundamentum* ejus, *origo*; II. quanta ad illud *indulti pontificii* sit *necessitas*; III. *quibus*

bus jus istud *competat*; IV. ad quas *ecclesias pertineat*; V. ad quæ *beneficia* se exporrigat; VI. pro quo, et qua ratione preces *dari* possint, et quo modo *insinuari* debeant; VII. quos illæ habeant *effectus*; VIII. quibusque modis *exspirent*.

§. 542.

I. *Tempus*, quo jus primarum precum ortum est, haud satis *certum*. 1) Alii jus hoc ipsi cæsareæ coronationi, ac eam consequenti privilegiorum ecclesiis concessorum confirmationi coævum, et arctissime cum illa connexum arbitrantur: (a) 2) alii jam sec. XI. immo antehac precum primarum, quantum quidem sola fere certarum personarum ad beneficia ecclesiastica commendatione absolvebantur, vestigia deprehendisse sibi visi sunt: 3) aliis earum origines ad tempus initi pacti calixtini; ut vocant, (§. 170.) referre placet: (b) 4) verosimilius alii jus istud non uno quasi die natum, sed eo fere, quo reservationes pontificiæ coortæ sunt, (§. 137.) modo paullatim invaluisse existimant, natalesque earum ultra seculum XII. non differunt, (c) eoquod jam

(a) Senkenberg apud Würdtwein subsid. diplom. Tom. II. pag. 222.

(b) Spener in der deutschen Staatsrechts-Lehre 2 B. 14. K. §. 5 not. 6 Cf. Zallwein Princ. J. Eccl. Tom. III. q. 2 c. 9 §. 8.

(c) Vid. Petr. de Ickstatt diss. de cæsar. prim. precum jure § 18 Thesaur. Jur. eccl. Tom. V. pag. 235 et Aud. Brand diss. de jure cæsar. prim. prec. c. 1 §. 11. Thesaur. ibid. pag. 123 sqq.

jam sec. XIII. Rudolphus I. preces primas ex *antiqua*, et adprobata *consuetudine* obtinere affirmet (d)

*) Quare originem primarum precum ad sec. XV. et ad Friderici III. ætatem, quod eidem post concordata inita ad centum beneficia nominandi facultas data fuerat, haud recte a quodam (e) esse rejectam, liquidum est.

§. 543.

De *origine* primarum precum, quantum ad *titulum*, seu fundamentum, cui jus precum innititur, attinet, variæ, diversissimæque rursus scriptorum sunt sententiæ. 1) Alii, præsertim Protestantium e numero, jus precum ex *jure majestatico*, seu jure circa *sacra*, aut ut ipsi volunt, ex jure in *sacra* derivant: (f) quæ tamen opinio ne cum protestanticæ quidem ecclesiæ systemate, (§. 31. not. 2) nedum cum catholicorum principiis videtur satis cohærere. Quodsi enim jus hoc majestaticum sit; eccur illud non omnes, cur non semper, cur non circa beneficia omnia, cur non in singulis ecclesiis exercuere Principes? Quare ipsi Cæsares hac in re ad unam fere antiquam provocant consuetudinem? Cur Protestantes in omnibus, præterquam in iis, in quibus jus idem per observantiam, aut pos-

---

(d) Vid. Diplom. prec. prim. apud Würdtwein subsid. diplom Tom. II. pag. 1

(e) P. Schwartz colleg. histor. P. VIII. q. 6 §. 12.

(f) Fritsch de Jur. prim. prec. c. 5. n. 10. Vitriar. Instit. Juri publ. L. 3 Tit. 2 n. 9. Cf. Brand Diss. cit. c. 4. Thesaur. J. E. tom. V. pag. 172.

possessionem firmatum erat, ecclesiis, jus precum sublatum (g) voluere? 2) Alii jus precum; quasi jus *patronatus* supremi, *ex dotatione*, et *fundatione ecclesiarum*, aut ex eorum, queis ecclesia fruitur, privilegiorum concessione, confirmationeque deducunt. (§. præc.) At vero etiam in ecclesiis a Cæsare nec dotatis, nec fundatis hoc jure utitur Cæsar. Neque beneficio quotiescunque vacante, ut patroni solent, sed semel tantum toto regiminis tempore, et ad unum beneficium nominat. Dein Cæsares antiquiores, qui privilegia concessere, nec eo jure sunt usi, nec ex privilegiorum concessione id juris sibi acquirere voluisse declararunt. 3) Alii ex *dignitate canonicali*, qua in quibusdam ecclesiis Cæsares ornati olim erant, *) jus illud descendere arbitrati sunt. Sed enim id juris nec in *omnibus*, ubi olim in Canonicos recepti sunt, nec in iis *solis* ecclesiis exercent Cæsares. Aut cui Cæsarum in mentem venit hoc juris exinde sibi quærere, vel deducere? 4) Alii ex *coronatione imperatoris*, jus illud dimanare credunt. Atqui jus precum coronationi nec per se adnexum, nec aliunde alligatum noscitur: et licet Imperatores pauci coronationis meminerint in precum formulis, tamen alios simul hujus juris fontes indicarunt. Unde coronationem commemorando tempus dumtaxat, quo exerceri jus istud consuevit, signare

re

(g) Instr. Pac. Westph. Art. V. §. 18. et 26.

re voluisse censendi sunt. 5) Aliis ex *advocatia* ecclesiarum *suprema* jus hoc scaturire visum est. (h) Verum jus precum advocatiæ ecclesiasticæ nec natura sua est conjunctum, neque ad eam Cæsares in suis precum literis provocarunt. Dein nec omni tempore, nec in omnibus ecclesiis; licet advocati officio functi Cæsares hoc jus sibi sumsere. Proin advocatiæ munus vix recte unum, aut proximum hujus juris fontem dixeris: quare 6) alii jus precum ex solo *indulto* Pontificis deducendum esse putarunt; a) eoquod consuetudo preces dandi dicatur *adprobata*, id quod de adprobatione ecclesiæ, vel Pontificis explicant: b) quod saltem a tempore Friderici III. plerique Cæsares, indultum istud petierint: et Pontifices saepius se illud ex liberalitate concedere sint professi: c) quod ecclesiae absque illo indulto preces admittere non raro detrectarint, (i) addunt, quod alioqui absque summae sedis facultate ad beneficium nondum vacans nemo quemdam nominare, proin nec quisquam preces sine *illo* exercere possit, etc.. (k) Attamen jam diu ante Fridericum III. qui

(h) Schweder Introduc. in jus publ. part. spec. sect. 1 c. 5 n. 15. Pfeffinger ad Vitriarii Instit. J. publ. L. 3 tit. 2 n. 9.

(i) Exempla ejus rei profert. Würdtwein subsid. diplom. Tom. II. pag. 288. 294.

(k) Cf. Binnen Diss. de primis precibus in apparatu erudit. ad Jurisp. P. VI. ad finem, §. 4 n. 20. seqq.

qui primus indultum petiisse creditur, **) a Caesaribus jus primarum precum exercitum est. Dein indulti ejus nulla in formulis precum antiquioribus, neque item in recentioribus plerisque fit mentio; sed Caesares fere omnes, atque in his primus, ut ajunt, vel inter primos Rudolphus I. ad solam consuetudinem adpellant. ***) Quare potius 7) multi jus precum ex *consuetudine solum* derivant. Demum verosimilius 8) alii partim ex *indulto*, partim ex *consuetudine*, aliisve titulis jus precum, sed varia ratione profluere autumant. ****)

*) Non Principes, Regesque solum alios, sed Cæsares ipsos in pluribus Italiæ præsertim, Germaniæque ecclesiis fuisse in numerum Canonicorum olim adlectos indubitatis monumentis testatum habetur. (l) Inde, quos Cæsar sui loco sors substituerat, dicti sunt die Korkunig, et præbenda ipsa die Korkunigspfründe adpellabatur. De his præbendatis regiis, et de aliis præbendis, Königspfründer, quarum collatio ad Cæsares ceu earum præbendarum Fundatores, atque adeo patronos pertinebat, vid. *Cl. Dürr. disquis. can. de capitulis clausis etc.* §. 29 *Thesaur. J. Eccl. Tom. III. pag.* 212 *sqq. Cf. Hæberlein hist. tom.* 8. *pag.* 364.

**) Equidem *Durandus*, speculator dictus, qui sec. XIII. exeunte vixit, scribit: (m) »Imperator habet privilegium, quod ego vidi *bullatum*, quod »in qualibet ecclesia Alemaniæ possit facere unum »recipi.« Unde inferunt quidam, jam diu ante Fride-

(l) Cf. Cl. Neller Diss. de Imperatoribus Præbendatis regiis, ac canonicis nonnullorum Capitulorum, etc. Thesaur. J. Eccl. Tom. V. pag. 101. sqq. Cf. Brand Diss. cit. c. 4 §. ibid. pag. 175.

(m) In spec. lib. 3. art. 3. apud Binner Apparat. Eruditio: P. VI. pag. 250.

Fridericum III., qui medio sec. XV. imperabat, pontificium indultum esse petitum. At bullatum hoc privilegium, quum nec de tempore, quo prodierit, nec de Pontifice, qui id dederit, fidem faciat Durandus, nec aliud extet de illo testimonium, inter figmenta refertur a R. R *Würdtwein subsid. dipl Tom II. pag.* 3 *aliisque.*

***) Primum, in quo ad *consuetudinem* primæ preces referuntur, diploma vulgo assignant illud, quod Rudolphus I a 1273 electus anno regni sui primo dedit. (n) Verum ad consuetudinem jam provocat diploma antiquius; quod *Richardus* a. 1257 die 15 Jan. Francofoiti electus Romanorum Rex, et 15 May a Conrado Coloniensi Archiepiscopo coronatus, anno eodem ad Capitulum Passaviense misit in hanc sententiam: » Richardus Dei gratia » Romanorum Rex semper Augustus. Dilectis in » Christo Decano totique Capitulo majoris ecclesiæ » Passaviensis gratiam suam, et omne bonum. Præ» decessorum nostrorum Regum, ac Imperatorum » Romanorum *vestigiis* inhærentes, qui in qualibet » sui regni ecclesia collegiata super unius *provisio-» nem persone petere consueverunt*, et cum omni » promitudine exaudiri, universitati vestræ pro » Ludovico, dilecti Principis nostri Ducis Bavariæ » illustris, notario primicias precum nostrarum » duximus porrigendas. *Regia mandantes auctori-» tate*. Quatinus ipsum ob sacri imperii et nostram » reverentiam in Canonicum recipientes et in fra» trem, de prebenda provideatis eidem, quam pri» mum ad id obtulerit se facultas. Taliter id facien» tes ut exinde devotionem nostram teneamur meri» to commendare Datum fer. II post Pentecosten.« Indictione XV. (o) Videmus has preces non com-

 men-

(n) Vid. apud Würdtwein subsid. diplom. tom. 2. pag. 1 sqq.

(o) Extat in Monumentorum Boicorum volum. XI. inter monumenta Nideraltacensia pag. 231.

mendationem solum personæ, sed *mandata* etiam de conferendo beneficio, quæ serius adhibita fuisse putat, comprehendere. Dein observat quidem Würdtwein (p) in Rudolphi I. quod ipse recitat, precum diplomate nulla contineri mandata, nullas minas, pœnas nullas, sed verba: *precum nostrarum primarias, rogamus* etc.; fuisse ergo literas Imperatoris veras preces. At vero aliud, quod præ manibus habeo, ejusdem Rudolphi I. diploma precum, quas A. 1274. 3. Kald. Martii ad Abbatem Nideraltacensem dedit, (q) ita habet: » Devocionem tuam attencius exhortantes, ac regia *tibi auctoritate mandantes*, quatenus Sifrido » de March clerico de beneficio ecclesiastico ad » tuam collationem spectante, siquod vacat in » presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, cures liberaliter providere etc. «

****) Nempe ex variorum Sententia jus precum, vel 1) primo vi indulti forte est exercitum, deinceps ex consuetudine retentum: vel potius 2) est ex variis advocatiæ, protectionis, concessorum privilegiorum etc. titulus a Cæsaribus per modum commendationis cœptum, deinceps per consuetudinem firmatum, demumque accedente Pontificis indulto contra renuentium conatus roboratum: vel 3) ex *consuetudine* quidem provenit, quæ tamen taciæ minimum ecclesiæ approbationi, atque Papæ consensui vim suam debeat, aut etiam conditionem petendi indulti includat; propter quod fere semper jus precum consuetudo *approbata* in diplomatis appelletur: vel 4) ex consuetudine *quoad substantiam* quidem oritur, plenam tamen efficaciam non nisi per Pontificis indultum sortitur, tum a) quod executores ecclesiastici, qui censuris etiam refractarios compellant, sine isthoc indulto constitui nequeant, tum b) quod absque

eo

(p) L. cit. pag. 2.
(q) Extat in Monum. Boicis, ibid. pag. 249 sqq.

eo in beneficiis nondum vacantibus, aut saltem per concordata Pontificii reservatis preces effectum haud essent habituræ. Demum 5) alii dicunt, usque ad Fridericum III. et inita Concordata Germaniæ (§. 174.) jus precum ex consuetudine ab Imperatoribus fuisse exercitum; per concordata vero aut penitus sublatum, aut saltem dubium redditum, et quoad beneficia Papæ reservata fuisse restrictum. (r) Hinc ajunt, ex eo tempore ab Imperatoribus quoad beneficia saltem in *mensibus papalibus vacantia*, aliaque Pontifici reservata jus precum vi indulti fuisse exercitum; quoad beneficia vero in *mensibus Ordinariorum* collatorum vacantia Cæsari jus precum competere ex antiqua adhuc, nec in concordatis sublata consuetudine, vel ex consensu collatorum saltem tacito concordata subsequente, et consuetudine deinceps rursus introducta, vi cujus jam tempore P. W jus primarum precum in ecclesiis Catholicorum tanquam indubium agnoscebatur: et in Protestantium ecclesiis etiam, ubi id obtinuit, per Pacem W. est confirmatum. *Cf. de his Schultheis Diss. de jur. prim. precum Mogunt.* 1745. *Brand cit. Diss. c.* 4 *de Ickstadt diss. cit* §. 20. *seqq. Thesaur. J. Eccl. Tom. V pag.* 172. *sqq. et* 236 *sqq. aliosque.*

§. 544.

II. Atque ex his jam per se patet, quo sensu ad precum primarium exercitium ex variorum opinione sit aut non sit *necessarium* pontificium *indultum*, cujus et *requirendi*, et *concedendi*, et in precibus *exprimendi* modus non semper idem servatus est.

(r) Vid. inprimis Brand, de jure cæsar. prim. precum c. 2 et Ickstadt cit. Diss. §. 31. Thesaur. J. Eccl. pag. 149 sqq. et 240 sqq.

* 1) Quoniam indulti pontificii mentio nulla occurrit in diplomatibus precum a Rudolpho I. usque ad Fridericum III: hic imperator, quum Episcopi, et Capitula post concordata acceptare preces recusarent, pontificum indultum primus petiisse creditur. 2) Fit indulti hujus mentio in formulis precum Friderici III. et successorum ejus usque ad pacem Westphalicam. Et preces Ferdinandi III. quidem ante P. W. datæ indulti meminerunt, sed post eam pacem saltem ad Protestantium ecclesias exaratæ preces de indulto altum silent. (s) 3) Ferdinandi III. Successor Leopoldus I. indulto pontificio, eoquod obedientiæ, ut vocant, legatos mittere distulit, nondum recepto, jus tamen precum, sed parce admodum et effectu aliquando non secuto exercuit. (t) Quod idem ne petito quidem indulto quum faceret Josephus I., graves inde exortæ sunt lites primum post mortem ejus Pontificem inter, et Carolum VI. Imp. compositæ. (u) Unde 4) Josephi I. successoribus indultum, aut petentibus rursus datum, aut aliquando, ut fertur, etiam ultro oblatum. Attamen et in Caroli VI. et in Francisci I et in Josephi II. precibus altum de indulto isto est silentium: soliusque Caroli VII. Imp. preces de eo meminere his verbis: » Quum nobis ad Præ» decessorum nostrorum imitationem ex inveterata » consuetudine etiam apostolica auctoritate a sancta » sede, et a SS. in Christo Patre Domino Benedicto » XIV.... roborata jus competat preces prima» rias ad omnes, et singulos beneficiorum eccle» siasticorum collatores, et collatrices porrigendi, » dandi, concedendi, decernendi pro personis ido» neis

(s) Würdtwein Subsid. diplom. P. II. pag. 284.

(t) Uti patet ex precibus, quas recitat idem ibid. pag. 289.

(u) Vid. Clementis XI. literas A. 1714. 3. Martii datas apud Würdtwein l. cit. pag. 305.

» neis, et nobis gratis etc. « (w) Ceterum 5) quum Francisco I. Romanorum Rege electo Benedictus XIV. per literas A. 1746. 28. Nov. datas Germaniæ Capitulis, ut Cæsaris preces admitterent, præciperet, hisque Pontificis literis ad Capitula missis Nuntius Coloniensis hæc adjiceret verba: *Placuit Pontifici concedere Imperatori preces, quas vocant primarias etc.*: haud leves inde orti sunt motus: et Franciscus Imp. id juris *absque alia concessione* sibi esse proprium asserens, vetuit Nuntii literas agnosci, iisve responderi. (x) Verum Benedictus XIV. altero anno datis ad Nuntium coloniensem literis jus precum a pontificiæ auctoritatis fonte manare multis argumentis probare connisus est. *Extant ea literæ in Oper. ejus Tom. XV. fol.* 86. *Cf.* Mosers Tractat von Kaiserlichen Regierungsrechten, und Pflichten 2. Th. 1773 pag. 483 sqq et neuestes Reichs-Staats-Handbuch 1 Th. 2 B. 2 K.

§. 545.

III. Jus primarum precum 1) *Imperatori* ive per se, sive per alios exercendum *competere* apud omnes quidem in confesso est: 2) *mperatrici* autem jus istud alii in ecclesiis mnibus, alii plures in ecclesiis duntaxat sexui emineo destinatis, idque rursus alii ceu *prorium*, alii velut *cessum*, nec nisi nomine mperatoris exercendum tribuunt. *) 3) *Regi omanorum*, cujus vivente Imperatore suspena potestas est, hoc jus plerique tantum impediti Imperatoris loco, aut ex ejus forte ces-

(w) Würdtwein ibid. pag. 314.

(x) Vid literas Francisci I. Imp. ad Archiep. Mogunt. ea de re datas apud Würdtwein l. cit. pag. 322.

cessione competere asserunt: alii etiam ceu *proprium* vindicant, ut quod Maximilianus I. statim post electionem, et Josephus II. tanquam Romanorum Rex post impetratum apostolicum indultum exercuerint. Quidquid de his sit, iis saltem in ecclesiis, in quibus Rex Romanorum primas preces jam exercuit, eadem factus posthæc Imperator repetere nequit. (y) 4) *S. Rom. Imperii Vicariis* jus precum itidem vindicant haud pauci vel generatim, vel intuitu earum solum ecclesiarum, ad quas Imperator preces nondum misit Quam in rem exempla precum a S R I. Vicariis e. g. Georgio II. Saxoniæ Electore datarum, itemque auctoritatem Aureæ Bullæ c. V. proferunt, et datam S R. I. Vicariis *potestatem ad beneficia ecclesiastica præsentandi*, etiam de jure primarum precum intelligunt. (z) Contra alii hunc Aureæ Bullæ locum de jure solum præsentandi ad beneficia *patronata*, seu in quibus Imperator jus patronatus obtinet, interpretantur; et datas a Vicariis preces effectum habuisse, jusque precum, ut quod dumtaxat honorificum sit, nec in majestate contineatur, nec ad Imperii administrationem pertineat, S. R. I. Vicariis competere negant. (a) Demum

(y) Vid. Ickstatt. Diss. de cæsar. præcum prim. jure §. 41 Thesaur. J. Eccl. Tom. V. pag 246.

(z) *Gribner* Diss. de precibus prim. Vicarior. Imp. §. 13 edit. secund. A. 1790. Neger de Vicariis Imp.

(a) Vid. Ickstatt cit. diss. §. 42. Thesaur. J. E. Tom. V. pag. 247 sqq.

mum 5) *Dominis territorialibus* jus precum a pluribus Protestantibus aut vi juris territorialis, aut ceu ei juri adnexum attribuitur; **) immo ad eorum etiam uxores extenditur: sed alii (b) cum catholicis heic verosimilius ad unam maxime observantiam esse respiciendum existimant. ***)

*) Jus precum proprium *Imperatricibus* attribuentes proferunt diplomata precum, quas 2) *Eleonora* Friderici III. conjux A. 1459 ad Collegium Buchau; A. 1463 ad Senatum Argentoratensem, et A 1464 ad civitatem Nordlingensem dedit: item quas 2) *Blanca Maria* uxor Maximiliani I. A. 1494 ad collegiatam Canonicorum ecclesiam Onolindam S. Humperti et A. 1495 ad civitatem Nordlingam nulla cessionis a marito factæ mentione misit; (c) demum quas jam ante 3) *Anna* Caroli IV. conjux ad Magistrum Ordinis Johannitici direxisse ex diplomate quodam (d) colligitur. Sed alii Imperatricibus jus precum aut omnino negant, aut tantum a conjuge *cessum*, aut per consuetudinem ex cessione tacita sensim natam competens admittunt; atque a secunda saltem Imperatoris conjuge jus precum in iis; ubi prima conjux eo jam usa est, ecclesiis exerceri posse inficiantur. Vid. *Ayrer comment. jus prim. prec. ex genuinis fontibus deductum c.* 5. §. 3. *pag.* 177. *sqq. Cf. de Ickstadt cit. diss.* §. 39. *Thesaur. Jur. Eccl. Tom. V. pag.* 244 *et pag.* 270. *Item Lenlein de jure prim. precum Imperatrici competente Altorffi* 1743. *Jenichen* diplomatische, und

(b) Vid. Mosers Tractat von der Landeshoheit in Geistl. pag. 147 sqq.

(c) Vid. Corp. Jur publ. et eccles. Germ. pag. 90 sqq.

(d) Vid. Menckenii scriptor. rerum Germ. ex diplomatar. Caroli IV.

rechtl. Abhandlung von dem Recht der ersten Bitte einer Röm. Kaiserinn, Giessen 1757.

**) Sunt, qui jus precum primarum, ceu jus territoriali adnexum, *Dominis territorialibus* in qualibet sui territorii ecclesia, in qua ei juri derogatum esse non constat, competere; atque heinc ab *uxoribus* eorum jus idem per expressam tacitamve cessionem exerceri posse contendunt; quam rem exemplis demonstrare conantur: quod e. g. uxores Ducum Austriæ aliquoties primi puerperii tempore preces primas dederint; Borussiæque Reginæ, qua Electrices Brandenburgicæ idem jus exercere soleant. (e) Sed enim quum jus precum nec per se, nec per communem observantiam, quam allata exempla haud probans, juri territoriali nectatur; necDominis territorialibus quidem nedum eorum uxoribus generatim est asserendum.

***) Jus primarum precum Duces Bavariæ in ecclesia ad S. Andream Frisingæ ad præbendam in mense capitulari vacantem ex immemoriali tempore exercent. Qui iidem in ecclesiis quoque collegiatis in Bavaria sitis præbendas omnes, decanias, et præposituras conferunt. *Vid. L. B. de Kreittmayr Annot. in cod. civ. Bav. P. V. c. 19 §. 23 n. 2 et in cod. judic. c. 1 §. 13 lit. a de jure mensis pontificii supra* (§ 538.) *jam dictum. De jure primarum precum, quo Reges Galliæ in plerisque Galliæ, et Alsatiæ ecclesiis utuntur; vid. Ditterich prim. Lineæ Jur. publ. Eccl. pag.* 230.

§. 546.

Jus primarum precum cæsareum IV. ad cathedrales et collegiatas *ecclesias* **1)** *catholicas*

S.

(e) Ita Frid. Hummitzsch Diss. J. publ. de jure primarum precum uxoribus ordinum Imp. competente. §. 4 Præside Aug. Frid. Schott, Lipsiæ 1770.

S. R. Imperii omnes regulariter se exporrigit: * 2) in ecclesiis Protestantium *immediatis*, ubi Cæsar jus precum primariarum ante Pacem Westphalicam exercuit, id vi Pacis W. exercere poterit etiam in posterum: 3) in *mediatis* vero, si A. 1624. primo die Januarii illud *exercuit*, id exercere etiamnum licebit, ea tamen lege, ut ad ecclesias *Protestanticas* nisi Augustanæ Confessioni addictus nequeat præsentari, et in ecclesiis ex utraque religione *mixtis* præsentatus primaria prece non gaudeat, nisi beneficium vacans Religionis consors possederit **) (f)

*) Nec desunt tamen catholicæ etiam ecclesiæ, quæ a primis, precibus se exemtas volunt, et reapse eximuntur, vel 1) quia exemtionis gaudent privilegio, quo ecclesiæ collegiatæ in Ducatibus Cliviensi, et Juliacensi; Flandriæ, et Leodienses etc. fruuntur, (g) vel 2) quia per contrariam consuetudinem jus illud extinctum est: (h) vel 3) quia jus illud per consuetudinem, ad quam ipsi Cæsares id referunt, nunquam fuit introductum. Hinc ut ecclesia in. Rom. Imperio sita a precibus exemta censeatur: ipsa vel privilegium exemtionis, aut contrariam pro se consuetudinem stare, vel saltem nullam pro Imperatore militare possessionem, probare debet. Vid. *Ickstadt de cæsareo prim. precum jure* § 45. *Thesaur Jur. Eccl. Tom. V. pag.* 249 *sqq.*

**) Verba Pacis W. Art. V. §. 26: » In quibus» cunque fundationibus mediatis A 1624. die prima Januarii Sacra cæsarea majestas primas pre-

» ces

(f) Instr. Pacis W. Art. V. §. 18. et 26.
(g) Pfeffinger ad Vitriar. Tom. III. pag. 88.
(h) Idem ibid.

»ces *exercuit*, exerceat eas imposterum:« varii varie interpretantur: alii 1) per ly *exercuit* preces ea die datas intelligunt, et tum solum cæsareo precum juri locum esse volunt, si eodem ipso die *exercitum* est, alii 2) tum jus istud obtinere credunt, si precista seu antehac per preces præsentatus saltem eo die adhuc fuit in ecclesia superstes: contra 3) alii ad jus hoc cæsareum sufficere putant solam preces dandi facultatem; seu modo nemo fuerit ante eum diem in possessione jus precum prohibendi: etiamsi Cæsar jus illud non sciatur exercuisse: 4) alii facultatem jus precum exercendi; sed cum facto quodam, seu cum precibus antehac datis, junctam, nec contradictione, cui Cæsar acquieverit, elisam requirunt. Porro prima opinio, nisi præter verba nihil Cæsari datum velis, ne vero quidem est similis; hinc tanquam a gravitate, et mente paciscentium abhorrens cordatioribus etiam Protestantibus improbabilis videtur. Secunda Selchovii (i) sententia in Pace W. firmum fundamentum habere non noscitur. Multo autem graviora pro tertia quartaque sententia pugnant argumenta; *Cf. Brand Diss. de Jur. cæs. prim. precum c.* 3 §. 10 *sqq. Thesaur. J. Eccl. Tom. V. pag.* 166 *sqq. De Ickstadt Diss. de Cæsar. prim. prec. jure* §. 50. *Thesaur. J. Eccl. Tom. V. pag.* 251 *sqq. Item Henniges medit. specim.* 3 *ad cit.* §. 26. *P. W. Art. V. etc. Ayrer comment. de jure primar. precum c.* 2 §. 11.

§. 547.

Videndum porro V. ad quænam tandem *beneficia* jus precum cæsareum se exporrigat. Si formulas precum saltem recentiores inspicias, *cujuscunque generis beneficia*, secularia, regularia

---

(i) Element. Jur. publ. tom. 1 pag. 351.

laria, curata; majora, electiva etc. quomodo et quandocunque vacantia vel vacatura precibus primis subjiciuntur: Excipiuntur tamen plura beneficia, tum consuetudine ipsa, cui hac in re pondus maximum inest, tum aliis titulis; et eximuntur quidem 1) *dignitates episcopales* uni electioni ex concordatis et observantia obnoxiæ: 2) *dignitates* in ecclesiis cathedralibus post- episcopalem *majores*, in collegiatis *principales* per praxin notoriam; 3) beneficia *curata*, ut plebi alio modo melius prospiciatur; beneficia tamen curata, quæ canonicalibus præbendis unita sunt, juri precum obnoxia esse feruntur: eximuntur 4) *regularia*, saltem ex natura sua talia, per antiquam consuetudinem; 5) *incorporata* ecclesiis, ut quæ ob perennitatem ecclesiarum nunquam reapse vacant; 6) *manualia*, quæ vera beneficia non sunt; 7) beneficia *patronatus laici*, vel *mixti* ob singularem horum favorem, 8) *monocularia* seu talia, quorum collator unum dumtaxat, aut non saltem quatuor conferre potest; idquod lex æquitatis, indultorum verba, et praxis ipsa confirmat: 9) *dignitates, personatus* officia nec perpetuo, nec per se annexa e. g. canonicatui, ad quem precista admittitur, *) 10) beneficia *litigiosa*, de quorum proprietate possessoribus mota, et nondum decisa lis est: item verosimilius 11) beneficia *permutationis* ex justis rationibus *faciendæ* ergo *vacantia*, ut quæ non proprie ad liberam collationem vacant, sed præcise permutantibus

ribus argumentis comprobat, et ab adversariorum argumentis vindicat. *Cl. Endres Diss. de insinuationis prim. precum cæsar. necessitate. Thesaur. Jur. Eccl. Tom. VII. pag.* 312 *sqq.*

§. 549.

Atque ex his VII. *precum primariarum effectus* per se satis innotescunt, scilicet quod 1) ordinarius collator precistae beneficium vacans, intra mensem petenti, conferre obligetur. 2) Ut etiam precistae statim praeter praebendam locus in choro, et capitulo adsignetur, equidem formula precum saepe jubet, atque tum Imperator, tum hodie judicium imperiale aulicum urgere solens; attamen. 3) necdum praxis Capitulorum hac in re certa, et in plerisque ecclesiis precistarum praetensioni contraria est, (n) immo alii precistas, qui se solos ab oneribus, cuique Canonicorum incipientium communibus exemtos vellent, aequitati parum congruenter acturos putant. (o).

§. 550.

Demum jus ex precibus quaesitum per se quidem perpetuum est, neque, uti nec aliae gratiae factae, morte concedentis infirmatur: Attamen VIII. *exspirat* 2) revocatione, utique non sine gravi ratione facienda, 2) morte precistae, 3) legitima cum venia Caesaris in alium abdicatione, *) 4) expressa, tacitave renun-

---

(n) Vid. Cl. Dürr Disquisit. can. de Capitulis claus. §. 29 Thesaur. Jur. Eccl. Tom. III. p. 210 sqq.

(o) Cl. Brand. l. c. c. 5 §. 10. Thesaur. J. Eccl. *Tom. V pag.* 194 sqq. et Cl. Dürr loc. cit. *§. 29. Thesaur.* Jur. Eccl. Tom. III. pag 209 sqq.

nuntiatione; atque adeo 5) matrimonio, aut alio impedimento perpetuo subsequente; 6) obtento alio beneficio incompatibili etc. Quodsi vero preces collatione beneficii effectum non fuerint sortitæ, repeti pro alio ad unum in eadem ecclesia beneficium possunt.

*) Abdicationes, seu cessiones ejusmodi haud plane, equidem cum Ss. Canonum rigore consentire videntur; quodsi tamen et in personam idoneam, et sine omni simoniæ labe nec invito Cæsare fiant nulla urgens ratio est, cur eas illicitas credamus. Idcirco preces ita legitime translatas a collatoribus, si modo tum de renuntiatione primi, tum de legitima secundi substitutione per authenticum testimonium fuerint edocti, exaudiri debere est verosimilius. *Cf. Brand cit. Diss. de Jure cæsar. prim. præc. c. 7 §. 7 sqq.*

**) Primariis precibus adfinia, pluribus tamen capitibus ab iis diversa sunt *diplomata victualitia* vulgo *Panis*-Briefe, Layen-Herren-Pfründe. (p) sive rescripta a Cæsare personis laicis concessa, ut a monasterio, quod proxime Imperio subjectum est, alimenta recipiant. Ad quæ monasteria dari possint cæsareæ panis literæ, Publicistæ examinant: (q) observantiam autem hac in re inprimis adtendendam esse satis certum esse videtur. (r) Porro id genus literas alii quoque Principes in suis territoriis, ac Bav. Duces iis duntaxat, qui ad

---

(p) Vid. Schneidt Histor. und rechtl. Abhandlung von den sogenanten Ley-Herrn-Pfründen oder Panisbriefen, apud de Cramer observ. jur. univ. Tom. V. pag. 347.

(q) Vid. Mosers Staatsrecht. Tom. 3 l. 2 c. 33 §. 5.

(r) Vid. Reichs-Hofraths-Gutachten über die Layenpfründen etc. in der Mainzer Monatschrift von geistl. Sachen. März A. 1790 pag. 259 sqq.

ad fidem Catholicam conversi, et victus sibi comparandi impotes non obscura fidei, et conversionis suæ edunt specimina, nonnunquam solent concedere Cæsareas panis literas Bavariæ Monasteria recipere nec debent nec possunt. (s) *Cf. L. B. de Kreittmayr Annot. in cod. civil. Bav. p.* 5 *c.* 19 §. 23. *n.* 6.

***) Materiam de primis precibus illustrant maxime, quas Würdtwein in subsidiis Diplom. P. II. refert, formulæ Diplomatum; unde preces diversis temporibus tam ambitu, quam modo, et effectu etc. fuisse *diversas* dispicimus. Verum enim vero num quævis facta pro jure statim sint existimanda, alii, si liceat, judicent. Sane Imperatores ad consuetudinem ipsi provocant, hæc ergo, quum ratione et temporum, et ecclesiarum haud sibi constet, hodie quoque intuitu variarum ecclesiarum esse diversa poterit. De precibus archiepiscopalibus et episcopalibus Cf. eorundem subsidiorum Diplom. Tom. III., et diversa capita.

ARTICULUS VII.

De provisione beneficiorum ex jure devolutionis.

§. 551.

Siquidem vacanti beneficio ab eo, ad quem id de jure ordinario pertinet, *canonice* non fuerit provisum, ne ecclesia detrimentum ex diutina mora patiatur, jus providendi pro ea vice ad Superiorem *devolvetur.* Atque ex his jam intelligimus, quod heic *jus devolutionis* sit translatio juris providendi in Superiorem,

(s) Per Decret. Elect. de A. 1783. 28 Juli. Vid. Georg Mayer Sammlung der Churpfalzbair. Landesverord. 4 B. pag. 795.

riorem, quod pro ea vice ob negligentiam in eligendo, conferendo, vel providendo amiserunt provisores ordinarii: Unde fluunt hæc axiomata: I. Jus devolutionis rationem sufficientem habet in salute ecclesiæ vacantis: II. præsupponit tamen provisoris ordinarii negligentiam, quam pro ea vice supplet Superior: III. quoniam tamen inter Superiores ecclesiasticos subordinatio est potestatis, jus istud secundum ordinem hierarchicum et per gradus exercendum est: IV. Et quum provisio jure devolutionis facienda in locum ordinariæ provisionis succedat, iisdem, quibus ordinaria hæc ob bonum ecclesiæ adstricta est, legibus subjacet.

§. 552.

Quum jus devolutionis I. rationem sufficientem habeat in *salute ecclesiæ*; hæc autem lædi soleat, tum si longo tempore ecclesiæ non fuerit provisum, tum si eidem inutilis præficiatur, patulum est, juri devolutionis et 1) *ob temporis lapsum* *) et 2) ob *indigni* ad beneficium designationem **) locum esse.

*) *Tempus*, intra quod necessario beneficiis providendum 1) pro electione ad episcopatus, atque ad prælaturas regulares ob majus ecclesiarum pastore destitutarum periculum constringitur ad *trimestre*, (a) 2) pro provisione libera beneficiorum, personatuum, et dignitatum minorum conceditur *semestre*, (b) 3) pro præsentatione ad beneficia patronatus laici *quadrimestre*, constituitur cum po-

 testate

(a) C. 41 de elect. c. 12 de concess. præb.
(b) C. 2 de concess. præb.

testate variandi offerendique alium: patronis vero ecclesiasticis, qui jure variandi carent, præfinitur *semestre*, uti supra (§. 460 not. et 470.) jam diximus. Quodsi duo sint patroni alter ecclesiasticus, alter laicus; hic etiam sex mensium tempus ad præsentandum habebit, fruetur que etiam compatroni privilegio: ne hoc inutile evadat. (§. 513) Imo jus ecclesiæ, aut monasterio, cui facta est a laico juris patronatus collatio, sex itidem mensium tempus concessum est. (c). Hoc, quod a die notæ in beneficii loco vacationis computatur, (d) tempore elapso ita potestas providendi ad Superiorem devolvitur, ut postea facta provisio ordinarie, nisi eam Superior ultro acceptet, non valeat. (e) Solent tamen præsertim patroni illustres elapso tempore, antequam Superior provideat, decenter moneri. (*Cf.* §. 513.)

Vid. Van Espen J. Can. P. II. Tit. 21. c. 5.

**) Quodsi igitur 1) totum Capitulum scienter indignum, aut jure prohibitum eligat, 2) indignum aut impostulabilem scienter postulet, item 3) si patronus ecclesiasticus, qui variare nequit, ineptum præsentet, etc. jure devolutionis providebit Superior.

§. 553.

Quoniam tamen absque culpa nemo jure suo privandus est, II. jus devolutionis quamdam in provisore ordinario *negligentiam*, atque adeo a) *scientiam* vacationis, b) *absentiam justi* impedimenti, aut c) cognitionem canonici in persona designata defectus supponit. At quum nec insuperabile impedimentum, nec ignorantia

---

(c) C. 27 de jure patron. c. unc. eod. tit. in 6.
(d) Cap. 3 de supplend. neglig. Prælat. c. 5 de concess. præb. et clement. unic. eod. tit.
(e) C. 4 et 5 de suppl. negl. c. 41 de elect.

rantia vulgo supponatur, et ex ipsa vacationis notitia in loco beneficii itidem ejus cognitio in collatore regulariter præsumatur: ignoratio defectus canonici in promoto indigno, aut ignorantia vacationis, vel impedimentum; quo minus promotio fieri potuit, probari debet, ut deinceps ordinariæ provisioni locus adhuc relinquatur. (f) Quodsi Capitulares etiam plures se innocuos demonstrare nequeant; ad partem eorum innocentem pro ea vice provisio, seu electio pertinebit.

§. 554.

Item jus devolutionis III. secundum ordinem *hierarchicum* et salvo jure Superiorum immediatorum ad canonum normam exercendum. Unde 1) si collator aut patronus sui juris negligens, sit persona Episcopo inferior, jus providendi regulariter, *) ad loci illius, in quo beneficium situm est, Ordinarium, et ab hoc gradatim ad Metropolitam, Primatem, Pontificem devolvitur, 2) beneficia autem electiva *exemta* ad Papam vel ejus delegatum, (g) *non exemta* cathedralia ad Archiepiscopum, **) *inferiora* ad Episcopum pro ea vice devolventur. Excipiuntur tamen Episcopatus Germaniæ, quorum ut confirmatio, ita et in casu negligentiæ provisio ad Papam vi concordatorum pertinet. 3) Si beneficii collatio privative vel ad Episcopum, vel ad Capitulum spectet, negligentia ab uno commissa sup-

 pletur

(f) Clement. unic. de concess. præb.
(g) C. 2 et 3 de supplend. negl. Prælat. et Clem. un. eod. tit.

pletur ab altero. (h) Est porro heic singulare, a Capitulo inferiore subpleri, (forte ob intimam utriusque communionem) negligentiam Superioris Episcopi. (i) Attamen si Episcopo ex jure speciali, privilegio, delegatione etc. provisio competat, devolutio non ad Capitulum, sed ad Superiorem fit. 4) Si beneficium communiter ad Episcopum ceu Praelatum, et Capitulum simul pertineat, uno negligente, et praemonito potest provisio fieri ab altero (jure vel devolutionis intuitu Episcopi, vel jure *accrescendi* intuitu Capituli): utroque negligente illa devolvitur ad Archiepiscopum, vel Superiorem alium; (k) quod si 5) Episcopus ceu Canonicus simul cum Capitulo, ad quod beneficium pertinebat, neglexit providere, nihilominus, si modo malitiose non egerit, jure devolutionis providere (l) potest. 6) Pontifice intra tempus legitimum beneficiis sibi reservatis non providente, non jure devolutionis et quasi ad supplendam ejus negligentiam, sed jure provisionis ordinariae, quod tum nullo posito a Papa impedimento ligatur, collator aut patronus ordinarius providebit. (§. 539) Attamen 7) in beneficiis jure devoluto ad Pontificem spectantibus nullum Pontifici praefixum est tempus, intra quod

---

(h) C. 2 de concess. praeb.

(i) Id hodie non servari monet ex Rebuffo, et Choppino Van Espen J. E. P. II. tit. 21 c. 5 n. 1.

(k) C. 12 de concess. praeb. etc. 5 de suppl. negl.

(l) C. 15 de concess. praebend.

quod conferre debeat, aut quo elapso cesset devolutio. (m)

*) *Regulariter*, inquam, nempe nisi lex, pactum, aut aliud quid singulare obstet. Ita e. g. in Ducatu Juliacensi et Montensi patronis laicis negligentibus jus designandi et præsentandi ad Dominum territorialem devolvitur, quo intra bimestre non præsentante jus idem ad ordinarium pertinebit. *Cod. Maximil. Tom. I. pag.* 29.

**) Scilicet capitulum 12 de concess. præb. 1210. editum, quo provisio Episcopatuum ad Archepiscopum devolvi negatur, c. 41 de elect. seu recentiori in Concilio Lateran. 1215 edita constitutione corrigitur.

§. 555.

Quum demum IV. jus devolutionis in locum provisionis ordinariæ succedat, 1) beneficium non aliis, nisi quibus per provisionem ordinariam potuit conferri, atque iis duntaxat, qui dotibus a jure communi et locorum particulari requisitis ornati sunt, conferendum est; 2) quodsi quacunque ex caussa provisio jure devolutionis facta non subsistat, jus providendi redit ad ordinarios collatores, quippe qui pro una tantum vice eo jure sunt privati. (n)

§. 556.

Demum quod ad *Protestantium* in Germania *ecclesias* attinet, quemadmodum jurisdictio ecclesiastica in *Protestantes* Dominis territorialibus, atque Imperatori competit, (§. 85. sqq.) ita enim intuitu ecclesiarum protestantium

(m) Van Espen l. c. tit. 23 c. 3 n. 10.
(n) Arg. ex. c. 41 42 de elect.

tium jus devolutionis, ceu jurisdictionis ecclesiasticæ effectus ad eosdem pertinet.

*) Et quoad ecclesias quidem Protestantium immediatas, immediata ad Cæsarem devolutio locum habet. (o) Neque obstat sane, quod Protestantium quidam, qui jus devolutionis dominis suis territorialibus non negant, (p) illud ipsum tamen jus tum mediatum, tum immediatum Cæsari haud permittendum putent ex eo, quod jus istud devolutionis cum juribus *collegialibus* ad dominos territoriales solos, non item ad Cæsarem sit translatum. (q) Etenim hac in re nequaquam ex illo recens excogitato collegiali systemate, sed potius ad mentem paciscentium, qui illud jus tempore Pacis W. jurisdictioni territoriali unacum jurisdictione ecclesiastica alligatum volebant, pronuntiandum esse nemo æquus negaverit, sæpiusque jam (§. 288 not. et §. 383 seq.) monuimus. *Cf. Schrodt Institut. Jur. can. l.* I *tit.* 10 §. 422 *seqq.*

ARTICULUS VIII.

De juribus et Obligationibus ex beneficio obtento ortis: de officio, residentia, dominio beneficiatorum, etc.

§. 557.

In beneficio legitime obtento institutus *Jus perfectum* tam ratione spiritualium, quam tem-

---

(o) Vid. Rescriptum Cæsar. de A. 1708. 30 Maji in Fabers Staatscanzley pag. 559.

(p) Carpzov. jurispr. Eccl. L. I tit. 15.

(q) Vid. Aug. Frid. Schotts unpart. Critik über die neue Jurist. Schriften. 13 St. pag. 207 et God. Dan. Hoffmann Diss de jure devolutionis maxime *in Capitulis* Evangelicorum immediatis, sect. III.

temporalium nanciscitur, quo exui porro, nisi ob caussas canonicas nequit. *) Juribus istis pro ratione beneficii variis variæ itidem *obligationes* respondent.

*) Beneficium, etsi primo cum titulo tantum colorato, at bona fide, et secluso simoniæ vitio aditum, per præscriptionis, seu triennalis possessionis viam acquiri est verosimillimum. (a) Id porro in Germania satis certum est vi Decreti a Concilio Basileensi Sess. XXI. facti, et a Germanis solemniter acceptati, (§. 174 not. 3. 4.) quod sic habet: » Quicunque non violentus sed coloratum » titulum habens pacifice et sine lite Prælaturam, » dignitatem, beneficium, vel officium triennio » proximo hactenus possedit, aut in futurum pos» sidebit, non possit postea in petitorio vel pos» sessorio a quoquam, etiam ratione juris noviter » impetrati, molestari « Idem quoad rem ipsam Regula cancellariæ de triennali beneficii possessore videtur confirmare. (Cf. supra §. 519.)

§. 558.

Quum beneficium sit jus perpetuum percipiendi fructus propter *sacrum ministerium*; (§. 446.) consequitur 1) generatim quemlibet, qui beneficium tenet, ad *officium*, seu sacrum ministerium esse adstrictum: et quum istud, nisi ab eo, qui in loco beneficii præsens adsit, peragi vulgo nequeat, ex ipso nexu medii ad finem consequens itidem est, quemque 2) ad residendum in loco beneficii sui esse *obligatum*.

*) Neque huc, ubi de opera et obligatione *personali* agitur, recte trahitur notum istud axioma: *per se*

(a) Vid. Plac. Böcklin com. in L. Decr. Lit. III. Tit. V. n. 35 sqq.

se facere censetur, quod quis facit per alium: id siquidem in persolvendis *realibus*, non vero *personalibus* obligationibus locum habet: et alioqui fructus officium sacrum peragentibus destinatos voluere fundatores, voluit semper, vultque hodie ecclesia.

§. 559.

Heic igitur agendum nobis I. de beneficiatorum *officio*, et II. *residentia*; III. de variis, quæ residentiæ, et officii functionibus respondent, *fructibus*; IV. de fructuum istorum *dominio*, *rectoque usu*.

§. 560.

Officium sacrum a beneficiato peragendum pro natura beneficii est varium scilicet 1) cura animarum, et regimen ecclesiasticum pro foro in- vel externo, aut utroque simul; aut 2) curæ pastoralis certa pars e. g. officium verbi divini prædicandi etc., aut 3) onus certas missas legendi, in divinis officiis ministrandi etc.; aut 4) obligatio horas canonicas aut persolvendi in choro; aut 5) saltem horas canonicas, a quo nemo beneficiatorum eximius est, indies privatim recitandi. (§. 447. not.)

*) In officiis, quæ beneficia obtinentibus incumbunt, illud primo loco memorandum, quod: » Provisi » de beneficiis quibuscunque curam animarum ha» bentibus teneantur a die adeptæ possessionis ad » minus intra duos menses in manibus ipsius Epis» copi, aut eo impedito, coram generali ejus Vi» cario seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam » facere professionem ... Provisi autem de Cano» nicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus » non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali,

» sed

„sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: „alioquin prædicti omnes provisi fructus non fa- „ciant suos, nec illis possessio suffragetur.“ *Concil. Trid. Sess.* 24 c. 12 *de Reform.*

**) Officia 1) *Episcoporum*, (§. 257.), *Prælatorum regularium* (§. 323.), *Parochorum*, aliorumque curam animarum habentium (§. 307 sqq.), item *Canonicorum* (§. 299 sqq.) strictim jam recensuimus. 2) Ad onus certas *missas legendi* quod attinet, Parochi, omnesque, queis cura animarum commissa est, jure divino pro ovibus suis, ut ait Concilium Trid. (b) *sacrificium* offerre tenentur; et quidem, ut sæpius declaratum est, (c) si tenues proventus habeant, saltem *festivis*, si vero pingues, singulis, quibus celebrant, diebus: exceptis illis missis, quas parochus ex officio suo, vel onere parochiæ adnexo pro aliis offerre debet. Verum Benedictus XIV. data ad Italiæ Episcopos constitutione (d) parochos etiam pinguioribus reditibus præditos ab obligatione singulis diebus adplicandi missam, dummodo non aliter in fundatione beneficii cautum sit, absolvit, et decernit: a) Non Parochos solum, sed alios curam animarum habentes, Vicarios etiam amovibiles et temporarios, ac Regulares, etsi *congruis præfinitis reditibus destitutos*, quacunque consuetudine etiam immemoriali non obstante, teneri ad applicationem missæ pro populo dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto, iis etiam comprehensis, quibus populus missam audire tenetur, *licet permissum sit opera servilia exercere*: b) eosdem, si ipsi sint impediti, per alios debere satisfacere: c) posse tamen Episcopum parochis pauperibus in-

(b) Sess. 23 c. 1 de reform.

(c) Congreg. concil. et Innocentii XII. constit. quæ incip. *Nuper* 1697. 23 Dec.

(d) Constit. *cum semper* A. 1744. 19 Aug. Bullar. Tom. I. n. 103.

indulgere, ut diebus festis celebrent pro aliis, modo infra hebdomadem eas missas pro populo suppleant: d) Ceterum in quibusvis ecclesiis cathedralibus et collegiatis in dies unam missam conventualem pro benefactoribus in genere adplicandam esse, non item secundam et tertiam, nisi aliter usu sit receptum. Capellanus, cui incumbit onus missas » quotidie celebrandi per se ipsum, » si ex diuturna infirmitate excedente quindecim » dies impediatur eas celebrare, tenetur satisfa» cere per alium. « (e) 3) De stricta eorum, qui ad chorum, tenentur, per *se ipsas psallendi* obligatione jam (§. 229 not. 1) diximus. 4) *De horarum canonicarum* origine et modo olim usitato, eruditissime more suo agit Thomasin; (f) de obligatione easque persolvendi ratione doctores christianæ moralis passim tractant; atque utinam omnes secundum spiritum Conciliorum, et Patrum. Cetera heic notasse juvat: omnes beneficio præditos, etsi nondum in sacris constitutos, ad horas canonicas in dies persolvendas ex justitia teneri, et si eas neglexerint, ad fructus pro rata omissionis restituendos, seu causis piis adplicandos etiam ante omnem sententiam judicis obligari: a qua obligatione nemo propter eleemosynas antea datas absolvitur. (g) Porro omnes horas omittens fructus omnes ei diei respondentes, omittens matutinum, vel hoc recitato, horas negligens dimidiam fructuum partem, pro hora minori omissa partem sextam restituere obligatur. Id vero intuitu eorum, qui alia præter horas canonicas officia peragunt,

---

(e) Decret. Congr. Concil. in Romana celebr. miss. 4 Jun. 1689 et 17 Nov. 1695.

(f) Part. 1. L. 2 c. 71 sqq. Bingham Orig. Eccl. L. 7 c. 3 L. 13 c. 9.

(g) Concil. Later. V. Sess. 9 et constit. Pii V. *Ex proximo* 1571. Item Proposit. damn. ab Alex. VII. n. 20 et 33.

gunt, solum de fructibus recitationi horarum respondentibus, non de omnibus intelligendum videtur.

§. 561.

Officium beneficio adnexum beneficiatus quivis explere jure naturali obligatur. Sane jure naturali tenetur quisque præstare id, ad quod pacto expresso aut tacito se obligavit; idque eo magis, siquidem sub conditione illud præstandi commoda percipit non modica. Porro quis nescit fundatores, quorum mentem ecclesia mutare nec voluit, nec nisi ex caussis certissimis, et gravissimis potuit, reditus beneficiorum nonnisi sub conditione explendi officii, et hoc reapse peragentibus adsignasse; quorum proin percipiendorum jus nemo nanciscitur, quin se ad officium præstandum pacto seu promisso expresso vel tacito saltem obliget; quod ut exsolvatur, jus naturæ jubet. Liquet itaque propositum.

§. 562.

Porro Episcoporum curatorumque cuilibet, ut ne vaga confusaque redderetur jurisdictio; et ut certo gregi adhærentes eidem curatius invigilarent, certus adsignatus est grex; aliis item beneficiatis certus, ubi officio suo defungi debeant, locus est determinatus. Igitur quum officia beneficio adnexa plerumque expleri nisi a Clericis in loco beneficii *residentibus* nequeant; indubium est, beneficiorum possessorum eodem, quo ad officia tenentur, (§. 558.) jure obstrictos quoque esse ad *residentiam*. *Residentiæ* nomine heic intelligitur as-

sidua

sidua seu moraliter continua in loco beneficii commoratio, servitii, seu officii personaliter præstandi causa. *) Erat sane hac in re primævæ ecclesiæ summus rigor. Nam 1) Clerici, qui vulgo omnes nonnisi ad certæ ecclesiæ servitium ordinabantur, ita suis titulis seu ecclesiis veluti cardinibus erant adfixi, ac quasi *incardinati*, ut nemini eorum absque proprii Episcopi venia et literis commendatitiis ab ecclesia sua abesse licuerit. (h) 2) Episcopus ipse sine Metropolitani venia nec ad aulam etiam potuit (i) proficisci, nec unquam ultra trimestre ibidem morari. Imo 3) Episcoporum quivis a collegis per diœcesim suam iter facientibus causas itineris sciscitari tenebatur ut sciret, num salvis eorum conductibus, literis formatis, posset subscribere (k). Episcopis quippe absque Metropolitæ facultate scripto data, seu *literis formatis*, ut vocant, diœcesi sua egredi regulariter erat vetitum. (l)

*) *Residentia* sensu latiori sumta, seu continuata in muniis ecclesiasticis occupatio, hæc assiduitas continetur in ipsa officii pastoralis natura, *jurisque absoluti* est. Atque hanc residentiæ speciem etiam Apostoli orbem terrarum peragrando servarunt.

Localis

(h) C. 16 Concil. Nicæn. I. c. 30 Concil. Antioch. c. 20 Concil. Chalced. Cf. Thomassin P. II l. 3 c. 30 sqq. Cf. can. 36 dist. 5 de consecr. c. 2 dist. 70.

(i) Concil. Antioch. c. 11.

(k) Concil. Sardicens. c. 9—12.

(l) Can. 28 Concil. Carthag. II. S. Gregor. M. L. 7. Epist. 8 Bingham origines Eccl. L. 2 c. 16 §. 19.

Localis vera *residentia juris* est *hypothetici*, quatenus pastori cuivis certus ad sacra curanda grex, locusque peragrandi S. officii est adsignatus. *Cf. Schrodt Instit. J. c. L. III. tit.* 4 §. 65 *et Rupprecht Not. in J. C. Lib. erud. n.* 1 *sqq.*

§. 563.

Non tenuit tamen sequentibus usque seculis eadem residendi disciplina; neque deerant *caussæ*, *) tum quæ reapse absentiam excusabant, tum quæ deinceps largiori sensu acceptæ, et in abusum versæ arctiori in hac re disciplinæ a seculo VIII. præsertim relaxandæ ansam præbuere.

*) Tales maxime erant 1) legationes, 2) iter ad Concilia generalia, vel particularia, 3) evocatio ad regni comitia, ad aulam, vel commoratio in ea ob negotia ecclesiæ: 4) iter Romanum, et Hierosolymitanum: deinceps 5) expeditiones cruciatæ etc. 6) commoratio in *academiis* docendi vel discendi gratia, 7) profectio ad *curiam* Rom. litium aut obtinendi beneficii caussa: 8) pluralitas beneficiorum. Cf. *Thomassin de v. et nov. discip. P.* 2 *L.* 3 *c.* 3 *sqq. Rupprecht in Not. ad jus can. L.* 3 *tit.* 4 *n.* 10.

§. 564.

Invalescenti in residendo negligentiæ et effrenatæ quorumdam in hac re licentiæ semper Concilia tum generalia, tum particularia constitutis in reos pœnis sese obposuere: variaque etiam circa tempus causasque absentiæ a beneficio edidere decreta; (m) quæ a Concilio Trid. sunt innovata, et præsentibus ecclesiæ rationibus

(m) Cf. Rupprecht Not. hist. in J. C. l. 3 tit. 4 n. 7. 8. 11. Schrodt Inst. J. c. L. III. tit. 4 §. 70 sqq.

nibus adtemperata. (n) Capitula ipsa varias, queis Canonicos ad residendum allicerent adigerentque, rationes viasque sæpe prorsus singulares *) inierunt.

*) Ita alicubi a) fructibus annuis diminutis distributiones quotidianæ, seu fructus in choro præsentibus destinati, admodum augebantur: b) residentia certo anni tempori alligata: imo c) portio canonicalis ulpiam per quosdam constitutos viros certis, quos canonici ignorabant, diebus adfixa: aut saltem d) horæ *residentiales*, item festa *suspendentia* invecta, quibus, qui ab ecclesia abessent, a residentiæ commodis, a Turno, a capiendo fors vacatu) o capitulari loco forent pro illo anno exclusi. Vid. *Neller Lucubr. de varietate Resident. canonic.* §. 28. *Thesaur. J. E, tom.* 6 *pag.* 277.

§. 565.

Unde observanda axiomata: I. Residentia exigitur ratione *officii* personaliter præstandi; II. est *stricte præcepta*. III. *Indoli* tamen beneficii accommodata; IV. et tum *fini* suo (§. 562) congruere, tum *sublimiori* et communi ecclesiæ *bono* subordinata esse debet: generatim V. hac in re, ni speciale quid obstet, servandæ sunt *tridentinæ leges*, et VI. pœnarum *sanctiones*.

§. 566.

Quum residentia I. *officii personaliter explendi caussa exigatur*, patet 1) residendi obligationi non fieri satis per residentiam mere localem, et otiosam; (o) 2) neque satis facere eos,

(n) Sess. VI. c. 1 Sess. XXIII. c. 1 Sess. XXIV *c. 12 de reform.*

(o) *C. 4 de Cler.* non resid.

eos, qui per vicarios constitutos (horum usus impeditis solum suffragatur, sed non excusat negligentes) officium peragi sinunt: 3) residentiam, quum plerisque vulgo beneficiis vel animarum cura, vel obligatio officii publice aut certo loco peragendi adnectatur, in omnibus passim beneficiis requiri, atque adeo 4) residentiam perpetuam *) *regulæ*, temporariam *exceptionis*, quæ in legitima absentiæ caussa, aut speciali instituto fundatur, vim obtinere.

*) Residentia perpetua in antiquis monumentis *ligia* nonnunquam dicitur; et in re feudali *ligius*, sive *legius* idem ac residens denotabat, uti *videre est apud Du Fresne Glossar. voce: Residens Cf. Neller lucubrat. de varietate præbend. canonic.* §. 25 *Thesaur. J. Eccl. tom.* 17 *pag.* 276. *item pag.* 279 *ibid.*

§. 567.

Est vero *residentia* II. beneficia possidentibus vulgo omnibus *stricte*, et verius ipso *jure naturali præcepta.* Enimvero officium beneficio adnexum implere omnes beneficium habentes stricte, et jure naturali obligantur: (§. 561.) Officium porro sine residentia vulgo expleri nequit: (§. 562, et præc.) obligati ad unum ex eodem jure obligantur ad alterum necessario cum illo connexum. Quare quemadmodum ad fungendum officio, ita et ad residendum beneficiatos vulgo omnes jure naturali esse obligatos consequitur.

*) Atque inde colliges 1) canones residentiam præcipientes aut urgentes legem naturalem solum decla-

rare, inculcare; 2) iis, quantum jure naturali fundantur, nec per consuetudinem posse derogari; 3) nec in iis dispensari, sed solum declarari, tales adesse determinationes, in quibus jus naturale ad residendum non obligat.

§. 568.

Residendi tamen obligatio III. *indoli* beneficii est *adcommodata*: scilicet 1) officium beneficio adnexum rite et personaliter adimplendum jam strictiorem, jam minus strictam præsentiam requirit: unde residendi modus in diversis beneficiis non idem est. 2) Quoniam ex non residentia in beneficiis simplicibus tanta animarum, aut ecclesiarum damna, quæ intuitu beneficiorum curatorum solent, haud eveniunt, et officium facilius ab aliis etiam expleri potest: minus graves rationes in simplicibus, quam in curatis beneficiis a residendo excusare possunt: contra 3) in curatis, quæ ex natura sua, et non solum ex pacto accidentali residentiam exigunt, caussæ non nisi gravissimæ * a residendo absolvunt.

*) Qui se ob quamcunque dispensationem coram Deo excusatos opinantur, illud, quod supra de beneficiorum pluralitate (§. 451 not. 2) diximus, cum animo suo reputent.

§. 569.

Quum IV. residentia cum *fine* suo consentire, et *altiori* ecclesiæ *bono* subordinata esse debeat: colligimus, causas quasdam a residendo excusare posse. Excusant autem 1) christiana charitas, 2) urgens necessitas: 3) debita obedientia, ac 4) evidens ecclesiæ, vel 5) reipu-

blicæ

blicæ utilitas, (p) modo rectus in collisione officiorum servetur ordo, illudque ceteris præferatur, ex quo *majus* bonum consequitur, quodque strictius obligat. Unde *generalis regula* hæc erit: *quotiescunque, et quamdiu eæ adsunt determinationes, ut residentia non nisi cum omissione strictioris officii, aut neglectu majoris boni, cui procurando alius præsto haud est, posset servari, toties, et tamdiu quis a residendo excusatur.*

*) Quum residentiæ *finis* sit majus proprii gregis, et ecclesiæ bonum: hoc ipso 1) residentia tunc, quando majori huic bono obstat, urgeri nequit. Dein 2) quamvis fundatores generatim voluerint, velitque ecclesia a beneficiatis ipsis præsentibus officium peragi; (§. 561) ea tamen illorum mens esse non potuit, ut id etiam fieret tum, quum *gravior publicave* caussa absentiam beneficiati postulat, si modo per alium rite interim ejus expleretur officium. 3) Ne tamen amor proprius momentum caussæ fingat, aut iniquitas mentiatur sibi, Concil. Trid. caussas legitimæ absentiæ Episcoporum a Papa, aut Metropolitano, vel eo absente a Comprovinciali suffraganeo Episcopo antiquiore residente, qui idem absentiam Metropolitani probare debebit, in scriptis adprobandas decernit; nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicæ officium episcopatibus adjunctum, cujus caussæ sint notoriæ. Idem de inferioribus quoque curatis, uti statim dicemus, Tridentina Synodus (q) constituit.

**) Cæterum inter eas, quibus Canonici a residendo excusantur, caussas præcipuæ censentur a) obsequium, et auxilium Episcopo præstandum, et b) com-

(p) Concil. Trident. Sess. XXIII. c. 1.
(q) Trident. Sess. XXIII. c. 1 de reform.

commoratio in scholis publicis. Conceditur nempe 1) Episcopo, ut duos sibi *Canonicos a latere* dictos adjungat, quorum consilio operaque in suæ ecclesiæ regimine utatur, qui idcirco eo, quo Episcopo qua tali serviunt, tempore pro *residentibus* habentur. (r) Dein 2) qui cum venia Episcopi aut Capituli in scholis publicis Theologiæ jurive ecclesiastico navant operam, a residendo excusantur. Item tum S. Scripturam docentes, tum scholares privilegiis de perceptione fructuum in jure communi concessis frui queant. (s) Attamen hæ aliæque caussæ vulgo solum ad annuos seu grossos fructus percipiendos, non item ad distributiones quotidianas capiendas sufficiunt. *Van Espen J. Eccl. univ. L. I. Tit. VII. c.* 10. *Barthel annot. in Engel J. Can. L.* 3 *tit.* 4 *et Pl. Bœckhn. l. eod. n.* 44.

§. 570.

Denique V. ad *Concil. Trid.* circa residentiam *leges*, quod attinet, S. synodus decernit, 1) intuitu *Episcoporum*, absentiæ spatium, »singulis annis sive continuum sive interruptum »extra prædictas (§. præc.) caussas nullo pacto »debere duos aut ad summum tres menses ex»cedere, et haberi rationem, ut id æqua ex »caussa fiat, et absque ullo gregis detrimento; »eosdem interim admonet et in domino hor»tatur S. synodus, ne dominicis adventus, »quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis »Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi »diebus, quibus refici maxime et in Domino »gaudere pastoris præsentia oves debeant, »ab ecclesia sua cathedrali absint, nisi episco-

»palia

(r) *C.* 7 *et* 15 de Clericis non residentib.
(s) *Trident. Sess.* V. c. 1 de reform.

»palia munia in sua diœcesi eos alio vocent.«. 2) *Parochi* et curati caussa prius per Episcopum cognita et probata *) discedendi licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi caussa non obtineant; constituto interim vicario idoneo per ipsum Ordinarium adprobando (t). 3) *Canonicis* et omnibus » obtinentibus in ecclesiis cathedra»libus aut collegiatis dignitates, canonicatus, »præbendas, aut portiones, non liceat vigore »cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra »tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno »abesse: salvis nihilominus earum ecclesiarum »constitutionibus, quæ longius servitii tem»pus requirunt.« (u) **)

*) Ut Parochus aliquot solum, constituto tamen vicario, diebus abesse possit, justa caussa et consensus Vicarii foranei seu Decani sufficit vi consuetudinis, quæ tamen ubique eadem non est. In repentina absentiæ longioris necessitate Episcopus, a quo antea discendendi venia peti non potuit, de absentiæ caussa certior est reddendus, utque redeundi tempus determinet, rogandus.

**) Tempus, ultra quod abesse haud liceat, non eo consilio determinavit Tridentinum, ut hoc saltem tempore abesse sine omni etiam caussa liceat: nam verius, ut notat Fagnanus, heic Synodus nil permisit, sed solum *prohibuit*, ne saltem longiori tempore impunis abesse quis possit. Certe hoc decreto spiritum antiquorum canonum sublatum haud voluit. Qui se igitur petita etiam et obtenta ea caussis obviis dispensatione, aut quavis consuetudine seu potius abusu, immo aliis levis-

 simis

(t) Sess. XXIII. c. 1 de reform.
(u) *Trident. Sess.* XXIV. c. 12 de reform.

simis obtentibus a lege Tridentini excusatos habent, ipsi viderint. (Cf. §. 451 not. 2)

***) Vidimus tamen in Germania Præbendas quasdam esse a residendo plane *liberas*, quæ propterea Freypräbände dicuntur; quales sunt alicubi Præbendæ *Præpositorum*, eoquod olim bonis ecclesiasticis administrandis præessent; dein b) Præbendæ *Professorum* actu in Academia docentium: item c) Præbendæ *Jubilæorum* et *Jubilariorum*, qui e. g. per quadraginta vel plures pro ecclesiarum more annos in frequentando choro solertes, deinceps tanquam emeriti declarantur. Porro in quibusdam ecclesiis præbendas liberas potest conferre Episcopus; quæ res inde videtur orta, quod Episcopus ex Canonicis adsumere poterat quosdam, qui ei in regimine perpetuo adessent, atque ita tanquam in majorem ecclesiæ utilitatem occupati a residendo excusarentur. Unde nisi hi omnes, exceptis forte emeritis, revera in ecclesiæ bonum sint occupati, quo quidem justo titulo pinguibus beneficii proventibus possint perfrui, haud adparet. Profecto ex Canonistis etiam maxime liberales consuetudinem, qua Canonici ab omni residentia, nempe sine justissima caussa eximerentur, rationabilem esse posse negant, quippe quæ fundatorum et ecclesiæ menti, immo et juri naturali non possit non esse contraria. *De Præb. liberis vid. D. Ant. Schmidt diss. de Varietate Præb. in eccl. Germ. c. 4 §. 3. Thesaur. J. Eccl. Tom. III. pag. 243 sqq.*

§. 571.

VI. Pœnales *sanctiones*, queis Tridentina sinodus residendi legem violantes coercet, sunt hujusmodi: Residendi legem (§. præc.) transgressi 1) *Episcopi* præter reatum peccati mortalis pro rata temporis absentiæ fructus facere *suos nequeant*, et fabricæ ecclesiæ aut pauperi-

bus

bus loci adplicare tenebuntur; deinceps si moniti se non emendent, Pontifici denuntientur: 2) *Parochi*, et curati eidem pœnæ cum Episcopis subjaceant, et per eam non emendati per censuras, subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem ad residendum compellantur; (x) 3) *Canonicorum* unusquisque primo anno privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos: iterato negligens privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus est, crescente vero contumacia contra eos juxta SS. canonum constitutiones procedatur. (y)

*) Porro 1) hi contra non residentes procedendi gradus a Tridentino præscripti sub nullitatis vitio servandi, nec potest ad privationem beneficii ante *personalem*, aut saltem, si, ubi moretur, nesciatur, ante *edictalem*, beneficiati citationem procedi. 2) Quum pœna actionem iniquam, seu actionis præceptæ omissionem præcessisse ponat, is vero, qui legitimis justisque ex caussis non residet, inique non faciat; eo ipso nec pœna amittendorum fructuum mulctari potest. 3) Quoniam tamen jus percipiendi fructus in officii beneficio adnexi præstatione fundatur, justis ex caussis absentes, ut fructus percipere possint, fictione juris pro præsentibus, et officium præstantibus quandoque haberi solent. Inde residentiam in *veram* et *fictam* (z) dividunt. 4) Stilus curiæ residentiam quoque aliam vocat *præcisam*; quæ sub ip-

 sius

(x) Sess. VI. c. 1 et Sess. XXIII. c. 1.
(y) Trid. Sess. 24 c. 12 de reform. Cf. c. final. de Cler. non resid. et c. 32 de Præb.
(z) *Vid.* c. unic. de Clericis non residentib. in 6.

sius beneficii amissione aliam *caussativam*, quæ sub fructuum solum admittendorum pœna præcipitur. Item residentiam prout ad normam Tridentini, aut statutorum particularium servatur, *Tridentinam*, dicunt, aut *statutariam*, eritque vel *simplex* vel *captiosa* seu ad summum rigorem, et ad scrupulum certis conditionibus adstricta: qua non expleta in quibusdam Capitulis Canonici juniores, si *Domicellares* sint, a sede Capituli, si *Capitulares*, a jure dandi suffragii præcluduntur. Strictissime plerumque servari solet, idcirco *stricta* dicta, anni primi (*claustralem* vocant) residentia. Ceterum uspiam licet alioqui satis relaxata residendi disciplina, residentiam strictiorem saltem exigi certis diebus, quos *criticos*, festis, quæ *suspendentia*, horis canonicis, quas *residentiales* vocant, supra (Cf. §. 229 et 564) jam diximus.

§. 572.

Residentiæ, et officii clericalis functionibus varii respondent *fructus* et *bona*. Porro 1) antiquitas nulla alia agnovit clericorum bona, quam a) *patrimonialia*, vel quasi *patrimonialia*, quæ hæreditate, aut alio profano titulo nullo ad clericatum vel ad ecclesiam habito respectu veluti *cives* possidebant, aut acquirebant: et b) *clericalia*, quæ intuitu ecclesiæ, aut functionum ecclesiasticarum, quomodocunque *qua clerici* receperunt. (a) Hodie 2) Bona clericorum, qua talium, dividunt in bona a) *beneficialia* proprie dicta, vel b) *clericalia* in specie, seu industrialia, ut vocant, prout ex beneficio, aut aliunde ratione functionum

(a) Cf. *Thomassin* de v. et nov. discip. Part. III. *L. 3 c. 4 sqq.*

tionum clericalium percipiuntur. Ad *beneficialia* decimæ, reditus ex beneficii fundis, item fructus annui, seu grossi pertinent: ad *industrialia* referunt, quæ ex functionibus spiritualibus, missarum stipendiis, concionibus, sacramentorum administratione, seu ex juribus stolæ acquiruntur. Quorsum etiam quidam distributiones quotidianas revocant, quas alii beneficialibus accensent. Utraque tum *beneficialia*, tum *clericalia* insuper, prout ad honestam beneficiati, sive clerici sustentationem vel necessaria sunt, vel superfluunt, a) *necessaria*, vel b) *superflua* vocantur: item, quæ ex necessariis parcius, quam liceret, vivendo clericus detrahit, c) *parsimonialia* adpellantur.

*) *Clericalia* in specie dicta, itemque *parsimonialia* plures hodie *quasi patrimonialibus* accensent; item aliam beneficialium, aliam industrialium esse indolem adstruunt. Atvero opinionem hanc novitiam jure rejiciunt alii. Neque enim illa, quæ ex functionibus sacris acquiruntur, bona mercedis proprie rationem habent: neque sola clericalia in specie dicta, sed et beneficialia in numero industrialium reponenda sunt· quum beneficium seu jus percipiendi fructus utique ob præstitum maxime officium detur.

§. 573.

Ceterum fructuum alii, maxime intuitu Canonicorum vocantur 1) *fructus grossi*, annui, residentiæ per annum debiti, fructus præbendæ, alii 2) *distributiones* quotidianæ (præsentiæ, victualia, manualia, consolationes,

 fer-

fercula) seu portiones pecuniæ, vini, vel frumenti etc. ultra annuam præbendam iis, qui officiis divinis præsentes adsunt, distribui solitæ, et tum ad negligentiam puniendam, tum ad acuendam in frequentandis divinis officiis Canonicorum industriam *) inventæ, quas idcirco etiam Tridentinum probavit, et augeri voluit. (b) De utrisque hæc notanda axiomata: I. Fructus *grossi*, annui non solum vere, sed et ficte præsentibus, seu iis, qui justis et probatis ex caussis absentes sunt, vulgo conceduntur. (§. 569 not 2.) II. *Distributiones quotidianæ* contra iis solum, qui reapse divinis officiis intersunt, debentur: et regulariter ad eas lucrandas nec justa absentiæ caussa sufficit, nisi juris dispositio, aut statutum legitimum ecclesiæ hunc effectum eidem tribuerit. **) III. Jus reprobat omnem consuetudinem (c) distributiones quotidianas concedentem aliis, quam iis, qui vel actu divinis officiis intersunt, vel quos saltem a) infirmitas seu b) justa corporalis necessitas, aut c) evidens ecclesiæ utilitas a divinis officiis frequentandis reapse impedit, et excusat. ***)

*) Etsi Concilium Trident. distributiones quotidianas ex adducta caussa probarit, per hoc certe mercenariam intentionem, si Canonici earundem lucrandarum caussa inprimis ad divina accederent, probare nec voluit, nec potuit. Hinc distributiones istæ vel absque symoniæ aut saltem mercenarii affectus labe pro primario frequentandi divini officii motivo haberi nequeunt. *Vid. in*

rem

(b) *Sess. 21 c.* 3 et Sess. XXII. c. 3 de reform.
(c) *C. unic. de Clericis* non resid. in 6.

rem præsentem inprimis Van Espen Jur. Eccl. univers. P. I. Tit. VII. c. 8.

**) Ita etiam legitime absentes e. g. qui 1) studiorum caussa in Academia morantur, (d) item 2) *Canonici a latere* Episcopo inservientes: (e) aut 3) qui pro instruendo electionis negotio ad apostolicam sedem accedit: (f) etsi in utilitatem ecclesiæ absint, *distributiones* tamen *quotidianas* non lucrantur, nisi forte reditus præbendæ omnes constarent solis distributionibus; quo casu duas distributionum partes possent consequi. Contra nil obstat, quominus ii etiam, qui fructibus grossis nondum gaudent, e g. Domicellares, distributiones quotidianas, siquidem divinis intersint, percipere queant. Cæterum Tridentinum Concilium decernit, 1) ut, nisi aliud specialis ecclesiæ consuetudo ferat, Canonicus adnexam Canonicatui suo curam animarum exercens, tanquam præsens esset, ac divinis interesset, habeatur: (g) ut 2) Pœnitentiarius cathedralis, dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur. (h) Item distributiones lucrantur 3) Canonici, qui Episcopo pontificaliter celebranti inserviunt; 4) Canonicus deputatus ab Episcopo ad audiendas confessiones loco Pœnitentiarii: 5) absentes occasione exercitiorum spiritualium peragendorum in æde aliqua Regularium extra tempus tamen quadragesimæ, adventus et festorum solemnium: 6) Canonicus *Theologus* ea die, qua legit. (i) Demum 7) Canonicus, modo in civitate præsens, ab iis horis

(d) C. 32 de Præbend.
(e) C. 7 de Clericis non residentib. in 6.
(f) C. 30 de Electione in 6.
(g) Trid. sess. 22. c. 3 de ref.
(h) Ibid. Sess. XXIV, c. 8 de ref.
(i) Vid. Decret. Congr. Concil. relat. a Benedicto *XIV. Inst. 107.*

horis, quas sanus adire consuevit, per infirmitatem, aut rationabilem corporis necessitatem impeditus, distributiones in plerisque ecclesiis lucratur. *Cf. Van Espen J. Eccl. univ. P. I. Tit. VII. c. 11.*

***) Igitur Canonicus, qui choro præsens non fuit, nec ex caussis dictis distributiones exigendi jure potitur, has, etsi eas capiat, nullo modo facit suas, easque sine omni alia declaratione restituere tenetur. (k) Imo nec 2) illæ eidem condonari; aut remitti a præsentibus possunt. (l) Hinc 3) distributiones, si portiones absentium, si generatim omnibus præsentibus portio inter eos dividenda sit adsignata, cedunt præsentibus; sin cuilibet præsenti sit definita portio adscripta, absentium portiones fabricæ ecclesiæ, alterive loco pio arbitrio Ordinarii adplicandi sunt, aut, si illæ ex massa communi pro distributionibus destinata desumuntur, in hac massa remaneant, *Cf. Cl. Böckhn Lib. III. tit. 4 n. 56 sqq. Van Espen J. Eccl. univ. P. I. Tit. VII. c. 11.*

§. 574.

Quum fructus dentur ob officium; etiam defuncto, qui servitia præstitit, fructus officio peracto respondentes denegandi non sunt, ad animæ ejus solatium aut decedentis mentem pie impendendi. Inde ortum est *deserviti*, seu quo Canonicus sua officia præstitit, *anni* nomen, *) a quo probe distinguendus *annus gratiæ*, **) in quibusdam Germaniæ Capitulis obtinens, seu tempus, quo etiam post obitum fructus anni proximi hæredibus defuncti aut massæ ab eo relictæ cedunt.

*) *An-*

(k) C unic. de Clericis non resid. in 6 Trid. Sess. *XXII. c. 3 de reform.*

(l) *Trident. Sess.* XXIV. c. 12 de reform.

*) *Anni deserviti* nomine heic intelligunt (m) commodo promerita, quatenus dies eorum cessit, et beneficiato pro rata officii præstiti, vel ad normam statuti jus perfectum in ea quæsitum est. Igitur 1) fructus quicunque anni *deserviti* pro rata temporis, et præstiti officii sunt solvendi: et quidem si secundum ecclesiæ illius morem integra anni residentia impleta est, integri: quodsi autem 2) currente anno obiit beneficiatus, tum, ubi nihil per statuta specialia determinatum est, æquitas suadet, ut fructus pro *rata temporis* inter defuncti hæredes et ejus successorem dividantur; (n) nisi forte ob *annum gratiæ* fructus a tempore obitus defuncti massæ ejus hæreditariæ cedant. 3) *Dies* ita dicti *critici*, seu terminus, a quo annus residentiæ destinatus inchoatur, et quo revoluto finitur, per statuta Capitulorum determinantur. Germanicarum ecclesiarum hac in re consuetudines recenset. *Cl. Dürr in Diss. de Annis Gratiæ Canonicorum ecclesiar. cathedr. et collegiat. in Germ. §. 3. Thesaur. Jur. Eccl. Tom. VI. pag. 178 sqq.*

**) Si *annus gratiæ* in ecclesiis quibusdam invectus sit quasi in compensationem anni *carentiæ*, vi cujus capitularis Canonicus, etsi officia divina frequentet, primo anno fructibus carere debet; tum quidem annus gratiæ vim *anni deserviti* habere videtur. (o) Vulgo tamen 1) *annus gratiæ* nititur mera gratia, et singulari ecclesiarum statuto, atque 1) eo inprimis videtur fine esse *introductus*, ut Canonici forte obærati sua debita expungere, aut quidquam in animæ suæ subsidium disponere queant,

---

(m) Cl. Dürr Diss. de Annis Gratiæ Canonic. in Germ. §. 2. Thesaur. J. Eccl. Tom VI pag. 173.

(n) Bœhmer Diss. de Anno deservito seu salario promerito, c. 1 § 9 vid. Dürr loc. cit.

(o) Vid. Cl. Dürr cit. Diss. §. 9. Contradicit Anton *Schmidt Instit. J. Eccl. Tom. II. c. 1 §. 44.*

queant, regulariter 3) initium a die obitus ducit et eodem die post elapsum annum recurrente finitur, 4) nec conceditur nisi Canonico, qui superstes fructus potuisset percipere. Attamen 5) etiam ei, qui in favorem, vel in manus Ordinarii resignavit, aut ordinem religiosum est professus; indulgendus videtur. 6) Annus gratiæ verosimilius distributiones quotidianas, quippe quæ actu præsentibus solum debentur, non comprehendit: num ad alia, quæ e. g. ex *Archidiaconatibus*, *Obedientiis*, *Oblegiisve* proveniunt, item, utrum ad usum fructuum *Curiæ*, ut vocant, *canonicalis*, et *claustralis* se extendat, pluraque alia, ex statutis particularibus dijudicandum est. *Lectu dignissima in rem præsentem est Diss. Cl. Durr. mox citata.*

§. 575.

Superest de *domino rectoque bonorum beneficialium* clericaliumque usu vexatissima, et multis de nomine litibus involuta quæstio; queis ne implicemur, aut præter propositum longiores simus: siquis *dominium* Clericis etiam in bona *superflua* tribuere velit, id pace aget nostra. Atvero hoc qualecunque *dominium* conjunctum esse cum onere quæcunque bona intuitu ecclesiæ acquisita, quæ ad congruam sustentationem non impenduntur, alias in caussas pias etiam *ex justitia* *) impendendi, id est, quod adfirmandum suadet tum 1) *officii clericalis* ex ipsa Christi institutione *ratio*, 2) tum *fundatorum mens*, et 3) *ecclesiæ* constans *sententia*.

*) Esse obligationem hæc bona ad pias caussas adplicandi, facile omnes concedunt; num vero illa obligatio ex virtute religionis, aut ex charitate, aut præcepto ecclesiastico, aut ex justitia descendat, a se dissentiunt. Equidem vanum putant

aliqui

aliqui, unde illud gravis obligationis vinculum proveniat, inquirere: quam in rem notum illud Cardinalis Bellarmini dictum proferunt: »Parum » refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, » quia peccavit contra justitiam, an, quia pec- » cavit contra charitatem non bene distribuendo » facultates suas.« Atvero, quum peccatum, quod contra justitiam, non item illud, quod contra charitatem, religionemve admissum est, ad *restitutionem* obliget; sæpius interest, scire, undenam illa promanet obligatio. Pauperibus profecto non perinde est, num bona ecclesiastica penes ditissimos clericorum nepotes remaneant, an ad miseriam ipsorum sublevandam debeant impendi. Porro ex justitia descendere eam obligationem graves persuadent rationes. *Cf. inprimis Cæsarii Mar. Squarin Ord. Serv. B V. tractat. beneficior. quæs. IV extat ad finem edit. Venet. Ludov. Thomass. de n. et v. disciplina.. Rupprecht Not. in J. Can. L. III. tit. 25.*

§. 576.

Enimvero *officium clericale* ex natura sua, et Christi institutione *mercenarium*, et *lucratorium* esse repugnat, et ad solam congruam sustentationem ministro jus præbet. Nam 1) Christus *gratis* præstari sacrum ministerium voluit, suisque ministris præter cibum, seu decentem sustentationem addixit nihil; (p) 2) Apostolus quoque iisdem solum concedit de Evangelio et altari *vivere*, (q) ita tamen, ut qui bene praesunt, *duplici honore*, seu largiori sustentandae vitae subsidio digni habeantur: (r) Dein 3) per se utique nefas est, *mercede*

(p) Matth. X. 8. Luc. X. 7.
(q) 1. Cor. IX.
(r) 1 Tim. V. 17.

cede proprie sumta Evangelii, aut altaris labores æstimare, aut quasi vendere velle. Quo ergo titulo plenum absolutumque in alia, quæ ad decentem sustentationem non pertinent, bona dominium sibi arrogabunt Clerici? Quo titulo bona superflua ad usus plerumque sibi placitos expendendi jus sibi absque injustitia tribuent, *invitis* præsertim, qui hæc bona contulere, *fundatoribus*?

§. 577.

Fundatorum certe, et quorumque fidelium bona sua Deo in ecclesiæ ministrorumque ejus usum conferentium mens alia non erat, quam opus pium, Deo gratum, et merito plenum facere. Atque hanc eorum mentem tum res ipsa, tum, quotquot ad nos pervenere, fundationum, et donationum formulae contestatam reddunt, in quibus se sua in *Dei honorem*, in animae suae remedium, in cultus divini augmentum, in pauperum eleemosynam, in *Ministrorum*, et servorum Dei *alimoniam* donare constanter profitentur. (s) Igitur ea solum *conditione*, eo *fine*, bona saepe abundantia donarunt, ut, quae ex reditibus congruae sustentationi superessent, in pias alias caussas impenderentur. Quis etenim pium putet, bona sua donare in mere profanos usus, ad cumulandos divitiis clericorum haeredes etc.?

(s) Cf. Behlen Diss. de caussis secularisat. illegit. et legit. §. 12 sqq. Thesaur. Jur. Eccl. Tom. VI. 89 sqq. et P. Gufl. Vindic. Jur. Eccl. Tom. I. sect. 2 c. 1 §. 2.

etc.? Jam vero eum, cui quid sub *certa conditione* et *modo* est datum, ad eam conditionem implendam ex *pacto* saltem tacito, et *justitia* obligari nemo ambigit. (t) Quodsi quandoque conceptis verbis mentem suam non declararunt pii fundatores, certe sua secundum ecclesiae morem pie expendenda donarunt. Jam vero ea bona in alios quam pios usus impendi severe semper vetuit ecclesia; quae Episcopos aut clericos nunquam ceu absolutos dominos, sed solum tanquam pios, fideles que horum bonorum dispensatores (u) *) declaravit.

*) Constantem hunc ecclesiæ sensum ex Conciliis, ex SS. Patribus, ex legibus civilibus aliisque monumentis per omnia ad nos secula demonstrat *Francis. Carol. Mainone in Lucubr. Sensus Ecclesiæ de juribus, et offic. clericor. intuitu bonorum eccl. August. Vind.* 1789.

§. 578.

Atque hanc suam sententiam, ac piam hanc fundatorum intentionem *ecclesia* tantum abest, ut unquam immutarit, ut potius semper integram servari et bona illa in pias, ad quas destinatae sunt, caussas impendi jusserit, et institerit. (x) Neque vero nisi ex certissimis, gravissimisque rationibus aliud statuere ecclesia

(t) Leg. 1. 2. 3. Cod. de Donat, quæ sub modo etc.
(u) Vid. c. 1. et 4. causs. XII. q. 5. Item c. 3. causs. XVI. q. 2 c. 1. 2. 3. 9. de Pecul. Clericorum, Thomassin. P. 3 L. 2 c. 46.
(x) Cf. Carol. Mainone Diss. cit.

sia poterat. Aut quandonam, ubi, queis ex rationibus hac in re quidpiam mutavit? Equidem ecclesia bona ecclesiastica jam Episcopi unius arbitrio in caussas pias impendenda reliquit, jam in partes quatuor dividi voluit, jam eorum massam quasi commixtam clericorum manibus consignavit: (§. 448.) *) neque tamen horum bonorum ideo naturam mutavit, sed negotium illa bona in caussas pias impendendi prius uni commissum, jam pluribus, jam tot clericis, quot sunt beneficiati, concredidit; et Canonici singuli subire cœperunt vicem ipsius ecclesiæ vel collegii ecclesiastici, quod, donec in commune vivebatur, residua tenebatur pie, et religiose adplicare, **) Quemadmodum ergo ecclesia hæc bona a fundatoribus sub *conditione*, ut piis caussis impenderentur, atque adeo sub obligatione *justitiæ* accepit, ita eodem onere gravata ad beneficiatos transmisit. ***) Clericos itaque, queis hæc bona sive fideles ipsi, seu ecclesia *hac sub conditione* tradidit, ad bona superflua in pias caussas expendenda *ex justitia* esse obligatos, rite inferimus.

* 1) Erectis beneficiorum titulis bona ecclesiastica alia quidem cathedralibus ecclesiis reservata, alia parochiis adnexa sunt: 2) Neque tamen vulgo sua Ministris, sua fabricæ, sua pauperibus adtributa bona: sed omnia in hos usus prudenter administranda expendendaque relinquebantur Parochis. 3) Quodsi vero reapse hæc bona partitus fors esset Episcopus; partem tamen *immodicam* fuisse Parocho adsignatam deinceps adpareret: profecto hæc partitio, utpote fundatorum menti contraria, jus liberi dominii in id, quod superfluum esset,

esset, haud tribueret Parocho. Nam hoc casu recte creditur, quod, quum vulgo definiri haud facile posset, quid Parocho ad sustentationem sufficeret, Parochis relicta sit pinguior portio eo pacto, ut superflua in dictos usus ceu fidelis administrator impenderet. Dein uti Episcopus non potuit bona ecclesiastica in caussas profanas ipsius impendere, ita nec per eam divisionem potuit jus simile quid faciendi tribuere beneficiato. Nam 4) *partes divisæ* servant naturam totius, quod divisum est; unde si totum ex obligatione justitiæ impendi ad pias caussas debuit, et partes debebunt. 5) Certe eodem modo Canones, et SS. Patres facta divisione bonorum, de hisce bonis, ut ante, loquuntur. (y) Etiam facta jam divisione bona clericorum omnia præter patrimonialia ecclesiæ relinqui jubentur; (z) in caussas profana impendi prohibentur, et aliter impensa pauperibus, et ecclesiæ per *furtum* subrepta dicuntur. (a)

**) Partes pauperum et ecclesiæ esse clericorum bonis commixtas, colligimus ex eo, quod sæpe perpingues clericorum reditus sint certe ad eorum sustentationem superflui; contra de parte, de bonis fundisque pauperum, immo ecclesiarum raro quidpiam exstet: aut quorsum horum partes devenere tandem?

***) Neque proficiunt 1) qui dicunt ecclesiam aut fideles tantum ex *motivo religionis, charitatis*, aut *pietatis* voluisse, ut superflua cederent pauperibus; unde nec beneficiatos nisi ex charitate aut pietate obligari: nam exemplum esto, te Petro donare summam pecuniæ fundumve, et simul pietate, mi-

(y) Cf. Rupprecht Not. in J. Can. L. 3. Tit. 26. n. 6. 7.

(z) Ibid. Tit. 26 n. 4. 5. item Thomassin P. 3. L. 2 c. 38 sqq.

(a) Thomassin ibid. et Trid. sess. 25 c. 1 de reform.

sericordia, aut religione motum adjicere *conditionem*, ut fratribus tuis, pauperibus, ecclesiæ quotannis certam ex ea ejusve proventibus partem tribuat: quis nihilominus ad hanc implendam conditionem Petrum ex *justitia* teneri ausit inficiari? 2) Neque etiam Concilium Tridentinum, (b) quum dicit residentem in beneficii loco fructus facere *suos*, absolutum fructuum dominium beneficiato addicit. Beneficiati enim eo duntaxat sensu fructus faciunt *suos*, quod iis ad suam sustentationem libere uti possint, qui, si non residerent, ex patrimonialibus deberent vivere. Absolutum autem fructuum horum dominium manifeste rejicit idem Concilium, (c) dum clericis expresse graviterque vetat ex iis bonis, quæ *res Dei* sunt, consanguineos ditare. Demum 3) etsi quis clericos bonorum ecclesiasticorum *dominos* dixerit, haud tamen sequitur, eos ab obligatione justitiæ exsolvi; quemadmodum sane nec hæres, quanquam totius hæreditatis sit dominus, a justitiæ obligatione legata hæreditati imposita aut defuncti debita solvendi immunis est...

§. 579.

Atque ex his jam *colligimus* 1) Clericos jure naturali hypothetico ad superflua in pias caussas expendenda obligari, *) 2) proin neque inter vivos neque mortis caussa de his bonis ad caussas mere profanas posse juste disponere, **) atque si disposuerint, 3) virtute justitiæ ex aliis, si quæ habeant, vel siquæ parcius vivendo sibi subtrahere possunt, bonis ad restitutionem teneri: 4) eandem restitutionis obligationem incumbere etiam illis, ad quos bona

(b) *Trid.* *Sess.* XX. c. 12 de reform.
(c) *Trident.* *Sess.* XXV. c. 1 de reform.

na illa male devenerunt. 5) Huic obligationi utpote juris naturalis nec per consuetudinem contrariam posse derogari; 6) bona beneficialia caute quidem, et prudenter, ne fundatoribus, pauperibus et ecclesiæ injuria fiat; neque tamen nimis sordide, parce, et avare esse administranda, et expendenda, ne honori status clericalis avaritiæ inuratur macula: sed pro gradu, statu, dignitate, laboribus clerici decor, honestas, liberalitas, hospitalitas etc. serventur: (d) quæ omnia prudenti judicio secundum probatum piorum ejus conditionis hominum morem, et ad regulam a Tridentino (e) traditam æstimanda sunt: consequitur postremo 7) non solos beneficiis præditos, sed quoscunque bona ecclesiastica habentes; atque adeo Regulares quoque eadem lege, immo hos paupertatem professos arctius obstringi. Hinc isti, inquit vir cordatus, (f) minus excusandi sunt, si magnificis palatiis, musicorum choris, famulorum frequentia luxum et pompam secularium imitantur. Profecto non hos in usus bona sæpe satis ampla adsignarunt fundatores, sed ea tacita conditione et fiducia, ut, quod ex congruente Regularium sustentatione superesset, in pios ac maxime pauperum usus expenderetur. Id profecto ex ipsis fundationum literis plerumque satis elucet.

(d) Vid. Plac. Böckhn Comm. in J. can. l. 3 tit. 25 n. 14 et Engel eod. tit. n. 9 sqq.
(e) Trident Sess. XXV. c. 1.
(f) *Barthel* Annot. in P. Engel J. Can. L. 3 tit. 25.

*) Quum bona ecclesiastica vulgo in commodum certarum ecclesiarum et communitatum donata sint, itidemque reditus beneficiales sæpe ex decimis parochianorum proveniant; oportet sane, ut clericus de superfluis disponendo inprimis ei, cui servit, ecclesiæ ejusdemque loci pauperibus superflua impendat. Decet item, ut ne hoc officium præsertim in pauperes usque ad mortem differat Nam, siquidem bonis abundans clericus vel modicum ipse caussis piis pauperibusve impendat, vel illud tempus, ubi etiam invitus universa relinquere debet, exspectet, et boni exempli, et majoris meriti, et suorum erga se amoris ac confidentiæ jacturam facit, imo avaritiæ etiam, vitii clericis maxime detestandi, notam sibi inurit.

**) Ceterum 1) testari de bonis ecclesiæ etiam ad caussas pias olim generatim clericis erat prohibitum, (g) subin ad solas caussas pias concessum, atque merito id quidem; nam quod vir præclarus advertit, (h) si a) per actus inter vivos bona beneficialia dispensare clericis integrum sit, eccur idem per actus mortis caussa, ut quibus actibus jus utrumque magis favet, quique a clericis, dum mortem ob oculos habent, consideratius religiosiusque fieri recte sperantur, non sit integrum? Dein b) hæc testandi libertas corruptelam *spoliorum* (§. 172.) tollit: c) intestabilitas contra œconomiæ studium intercludit, d) clerique respectum minuit, e) tenuioris conditionis parentes,

(g) Thomassin P. 3 L. 2 c. 38 sqq. Rupprecht in Not. ad J. C. L. 3 tit. 26. Vid. Ant. Dürr Diss. de Manufidelibus in specie Ecclesiasticorum etc. c. 2 §. 2 sqq. Thesau. J. Eccl. Tom. VI. p. 339 sqq.

(h) Cl. Neller Diss. de Cleric. sæcularium testamenti factione activa §. 19 Thesau. J. Eccl. Tom. VI. *p. 417 Cf.* Dürr cit. Diss. c. 2. §. 6. Thesau. *J. Eccl. l. c. pag.* 346 sqq.

tes, ne filios suos ad statum clericalem promoveant, proclive est, ut absterreat. At vero hodie 2) clericorum testamenta fere quæcunque in *foro externo* tolerari solent ob odium litium, eoquod bona intuitu ecclesiæ et aliunde comparata discernere sæpe impossibile; et etiam, num facta dispositio caussæ piæ rationem habeat, vel non habeat haud raro dubium sit. Etenim; ut idem observat, (i) non quodvis, quod ad caussas profanas factum videtur, testamentum statim certoque profanum censeri potest; quum sæpe occultas familiarum necessitates pernoscat clericus, aut aliunde debita fors solvat. 3) Quodsi vero reapse testamenta ad caussas profanas ex bonis ecclesiæ fiant, ea quidem, etsi in foro externo tolerentur, pro foro interno esse illicita, invalidaque ex dictis abunde patet. Quam in rem idem vir eruditissimus ait: » effrenata libertas testandi ex bonis per » ecclesiam acquisitis ad *quoscunque usus* etiam » vere, ac coram Deo, et mundo profanos, pro » ditandis consanguineis, est prorsus *irrationabilis*, » animabus clericorum sic forte testantium, atque » hæredum *periculosa*, contra propositum *clericalis* » *vitæ*, contra *gratitudinem*, contra *invariatam* in- » dolem bonorum ecclesiasticorum, ministris eccle- » siæ præbitorum; nec habet usque modo pro se » *consuetudinem* etiam facti dumtaxat cum suis » requisitis.« In fine addit: » qui hactenus dictis » contrarii volunt esse, ab his postulo, ut super » tot animarum periculo non disputent mecum » *superficialiter* nec *contentiose*, sed cum *profunda* » *indagine*, et *timore* Domini etc.: quo plus au- » tem legent adversarii mei « (non in qualibuscumque libris Canonistarum, seu etiam Moralistarum recentioribus: sed in Canonibus, SS. Patribus, zelosis Episcopis et authoribus,) » ut me confu- » tent, eo magis vincet eos veritas, ne posthac

 » sua

(i) *Neller ibid. pag. 419.*

» sua doctrina carnalibus desideriis adulatorie de-
» serviant. « (k) Testamenta Episcoporum de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis sine venia Pontificis, vel ubi statuta singularia id poscunt, sine assensu Capituli cathedralis haud valent. Ceterum observantiam circa testamenta Episcoporum Germaniæ vid. in v. Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht der deutschen Stifter. 1 B. 2 Th. 20. Kap. §. 589. De executione testamenti clericali videnda *Nelleri cit. Diss. de Manufidelibus* c. 3. *Thesaur. J. E. Tom. VI. pag.* 348 *sqq.*

***) In Bavaria quæ circa testamenta et bona clericorum decedentium obtineant, discimus ex *Concordatis* Bavariæ generalibus (l) et specialibus: (m) inprimis autem ex normali quodam speciali, (n) quod his fere constat punctis: a) Post obitum beneficiati cumulative a Commissariis electorali et episcopali obsignatur, b) reseratur, c) in ædificiis reparanda æstimantur (Baufällschätzung) d) testamentum publicatur, e) eoque agnito inventarium executori executionis gratia traditur, f) ratiocinia cum verificationibus cedunt Commissariis, quæ ab his una cum Originali protocolli, ut vocant, et expensario, duplicatis actorum episcopali Commissario petenti datis ad Consilium ecclesiasticum electorale ad ratificandum mittuntur: g) nullo executore constituto inventarium a Commissariis conficitur, ceterisque cum actorum tabulis

---

(k) Ita Neller Diss. de Cleric. secul. testamenti factione n. 20. 23. Thesaur. J. E. Tom. VI. pag. 418 et 441. Cf. Diss. ejusdem de testamenti fact. Episcoporum ibid. pag. 382 sqq.

(l) Concord. gener. A. 1783. n. 6.

(m) Vid. Kreittmayr Annot. in Cod. Bav. civ. P. 3 c. 1 §. 17. n. 8. sqq. §. 18 n. 16. sqq. Cf. Ordinat. Consilii Elect. Eccl. A. 1779 n. 17 et A. 1783 n. 6.

(n) Decret. elector. 1784. 2 Decembr.

tabulis eodem transmittitur, et secuta inde sententia seu resolutione, ut ajunt, hæreditas deductis deducendis hæredi traditur: h) re ad subhastationem, si communi Commissariorum consilio impediri nequierit, deveniente cumulativa tractatio cessat, et a judicibus ordinariis salva adpellatione de valore testamenti aliisque litibus deciditur: i) de portione canonica et confirmatione supra (§. 255 not. 3) dictum. . Atque hæc norma intuitu omnium Diœcesium, nisi ubi specialia pacta obstiterint, erit servanda. Judicatio de litigioso clericorum testamento in *instantia prima* ad Commissarios utrosque cumulative, in *secunda instantia* ad judicium delegatum mixtum, nempe Consiliarium electoralem et episcopalem, in *instantia tertia* ad Revisorium electorale remota omni ulteriori provocatione pertinere constituitur.

ARTICULUS IX.

De renuntiatione, et resignatione beneficiorum.

§. 580.

Quemadmodum Clericus beneficio rite obtento invitus nisi ex caussis canonicis privari non potest; (§. 557.) ita et sine legitimis caussis atque citra Superioris consensum eodem se abdicare nequit. Unde *resignatio beneficii* est voluntaria ex caussis sufficientibus facta, et a Superiore admissa beneficii abdicatio, *) Est porro *resignatio* alia 1) *expressa*, quæ fit scripto vel verbis expressis, alia *tacita*, quam actus quidam beneficiati, sive ex natura sua, sive ex juris dispositione inducit, e. g. professio religiosa, contractum matrimonium, al-

terius beneficii incompatibilis pacifica possessio, revocatio donationis, quam beneficiatus ecclesiæ suæ fecerat, (a) transitus ad aliam Religionem in Germania vi reservati ecclesiastici. (§ 182 not. 1 n. 6) Rursum resignatio 2) expressa vel *pura*, et simplex est, vel *conditionata*, e. g. permutationis caussa, in favorem tertii, cum reservatione pensionis, aut reservatione *accessus*, *ingressus*, *regressus*, id est, siquis beneficio vel solum *oblato*, vel jam *collato*, vel jam *possesso* renuntiat ea conditione, ut suo tempore ad illud *accedere*, ad istud *ingredi*, ad hoc *regredi* possit. **)

*) Notandum, quod olim resignatio, et renuntiatio pro synonimis habebantur: ex stylo curiæ romanæ hodierno *resignatio* conditionatam et in favorem factam, et *renuntiatio* puram beneficii dimissionem denotat. Nos iis vocibus promiscue utemur. Cf. Van Espen Jur. Eccl. univ. P. II. tit. 27 c. 1 sqq.

**) De resignationibus heic quædam generatim notasse juvat: 1) resignationes quæcunque ob arctum clericorum cum ecclesia sua nexum olim perraro et ægerrime admissæ: (b) 2) Episcoporum inprimis resignationes difficilius, nec nisi gravitate caussæ in synodo provinciali rite examinata indultæ: (c) inprimis sæpe eam ob rem ad romanam sedem recursum: demumque 3) omnes Episcoporum resignationes paullatim uni Rom. Pontifici ceu caussæ majores sunt reservatæ. (d) 4) Resignationes beneficiorum minorum equi-

(a) C. 3 de Renuntiat.

(b) Vid. Schloer Diss. de Reservat. benefic. ex qualitate vacationis per resignat. §. 1 sqq.

(c) Can. 17. et 18. Concil. Antioch.

(d) Vid. Thomassin de V. et N. disc. P. II. L. 2 c. 57.

equidem a sec. XI. frequentius, haud levibus tamen ex caussis permittebantur: (e) deinceps vero multiplicatis beneficiis clericisque multo facilius concessæ: 5) cupiebant quidem admittendarum resignationum facilitatem modis variis arctare Romani Pontifices, sibique reservare; (f) sed haud ubique eorum receptæ constitutiones: quocirca 6) hodieque in Germania resignationes absolutas et permutationis caussa factas Episcopi pro arbitrio recipiunt. (g) 7) Resignationes in favorem certæ personæ factas ignoravit antiquitas, nec in Gratiani decreto ullum eorum extat vestigium; imo plures eas sec. XVI, summum seculo XV invectas credunt: (h) alii contra jam in Gregorii IX. decretalibus (i) earum quædam vestigia inveniri, et a Joanne XXII., qui ab A. 1310 usque ad A. 1328 sedit, eas passim admittendi morem initium habuisse autumant: (k) tandem omnes in favorem factæ resignationes ad Pontificem sensim devolutæ, sæpiusque contradicentibus Germanis admissæ.

§. 581.

Porro *de resignatione* hæc tenenda *axiomata:* I. resignatio ultro sponteque, II. ex justa et suf-

(e) Schloer L. c. §. 3. Rupprecht Not. h. in J. C. L. I. tit. 9 n. 3 Cf. c. 10 de Renunt.

(f) Pii V. Constitut. *Officium creditæ* 1567. et Constitut. *quanta ecclesiæ* 1568. Vid. apud Neller Diss. de statu resignat. in favorem §. 15 sqq. Thesaur. J. E. Tom. VI. pag. 292 sqq.

(g) Neller loc. cit. §. 21 sqq. et Schloer cit. Diss. §. 6.

(h) Cf. Van Espen J. E. un. P. 2 tit. 27 c. 1. Rupprecht in Not. ad J. can. L. 1 tit. 9. n. 5. pag. 124

(i) C. 12 de offic. et potest. Judic. delegat.

(k) Neller cit. Diss. §. 5 Thesaur. J. E. tom. VI pag. 283.

sufficiente caussa salvoque jure tertii, et III. cum auctoritate Superioris fieri debet: IV. legitime admissa illud, quod inter resignantem, et ecclesiam intercesserat, vinculum solvit.

§. 582.

Quoniam I. resignatio *sponte ultroque* fieri debet, intelligimus, quod 1. resignatio distinguatur a *privatione* beneficii, quæ fit *invito* clerico; 2) quod vi metuque injusto aut fraude, resignationi caussam dante, extorta invalida sit; (l) 3) quod non possit fieri a rationis impote aut impubere sine auctoritate tutoris; (m) 4) cur fieri nequeat nisi a beneficiato ipso, aut per procuratorem speciali mandato instructum; (n) 5) cur a Novitio ob professionis libertatem, fieri nisi duobus ante professionem, per quam primum effectum sortitur, mensibus prohibeatur. (o)

§. 583.

Quandoquidem II. resignatio justis et *sufficientibus ex caussis salvoque jure tertii* fieri debet, perspicuum est, 1) quod pro beneficii et adjunctorum ratione caussa nunc gravior quidem, nunc minus gravis sufficere queat; quod 2) beneficia quæcunque nonnisi præmissa caussæ cognitione, et aliis, quorum interest, prius auditis; quod 3) *litigiosa* non nisi in favorem de

---

(l) C. 2. 4 de his, quæ vi metusve caussa fiunt.
(m) C. 5 de Renunt. c. 2 de ætat. et qual. ordinand.
(n) Clem. unic. de Renunt.
(o) Trident. Sess. XXV. c. 16 de reform.

de eo litigantis; (p) quod nec 4) *Patronata* saltem conditionate aut in favorem sine consensu Patroni, nec 5) *Electiva* aut *unita* ecclesiæ sine consensu Capituli et ecclesiæ; nec 6) ea, ad quorum titulum quis est ordinatus, nisi facta expressa hujus tituli mentione; (q) nec demum resignari queant 7) beneficia ab iis, qui jam in sacris ordinibus positi sunt, et alio honestæ sustentationis remedio destituuntur; ne scilicet cum status clericalis dedecore res illis ad manticam redeat.

*) *Caussa resignandi* generatim est utilitas vel necessitas ecclesiæ; speciales Episcopatum resignandi caussæ in jure (r) recensentur a) debilitas magna corporis, b) defectus scientiæ, c) crimen grave, d) irregularitas non facile dispensari solita, e) obstinatum gregis odium, f) grave scandalum, et quidquid officii episcopalis executionem magnopere impedire potest Cetera beneficia ex caussis quidem minus gravibus, non tamen ex levibus, et quasi nullis resignari queunt. Constit. Pii V. 58. *Quanta ecclesiæ* etc.; quæ tamen non quoad omnia in Germania recepta. *Vid. Neller Diss. de statu resignationum in favorem* §. 15. *Thesaur. J. E. tom.* 6 *pag.* 292.

§. 584.

Quum resignationes beneficiorum III. cum *legitima Superioris auctoritate* fieri debeant, colligitur, 1) quod eæ negato Superioris consensu invalidæ sint; 2) quod ante admissionem Superioris resignatio perfecta non sit, nec beneficii vacationem inducat, et resignans possit

---

(p) C. 2. ut lite pendent. in 6.
(q) Trid. Sess. XXI. c. 2.
(r) C. 10 de renuntiat.

sit pœnitere; 3) quod faciendæ sint in manus Superioris, ad quem conferendi, confirmandi, instituendive spectat potestas; proinque 4) de jure hodierno sicut confirmationes, ita et renuntiationes Episcoporum et Prælatorum sedi romanæ proxime subjectorum Pontifici sint reservatæ; quod 5) resignationes beneficiorum inferiorum et mediatorum omnes jure ordinario ab Episcopis, jure speciali ab aliis Prælatis, vel Collegiis ecclesiasticis admitti possint; exceptis solum iis, quæ speciatim prohibentur, aut Pontifici reservantur. *)

*) Porro 1) resignationes tum absolutas, tum permutationis caussa factas a) Episcopi, b) Capitulum sede vacante, c) Prælati plenissime cum clero et populo exemti, et alii d) speciatim privilegiati admittere possunt (§. 522) At 2) Concil. Tridentinum, ne *accessus*, aut *regressus* ad quodcunque beneficium etiam cum consensu concedatur, prohibuit, (s) qua lege itidem resignationes *in favorem* tacite vetitas, indeque effectum esse quidam credidere, ut resignationes in favorem jam antequam Pius V. (t) eas coram Episcopis fieri vetuerat, per usum ipsum Pontifici reservatæ haberentur. Ceterum 3) reservationis hujus *caussas* varii varias adsignant, e. g. a) quod de gravitate caussæ judicare debeat Papa, b) quod symoniæ quædam species, c) designatio successoris, aut quasi hæreditaria successio graviter per se prohibita, d) læsio ordinariæ potestatis in resignationibus his occurrant: quod e) hæc resignatio in favorem fiat contra naturam veræ resignationis, ut quæ per actum legitimum et absolutum,

(s) Trident. Sess. XXV. c. 7.
(t) *Constit. Quanta ecclesia* etc. A. 1568.

lutum, atque saltem expressa sub conditione, qualis heic occurrit, (u) fieri haud possit.

**) Equidem stylo curiæ romanæ hodierno non amplius dicuntur, aut inscribuntur resignationes in favorem, sed *resignationes simplices*, aut *resignationes cum provisione.* At enim eo ipso, quod in eadem supplicationis ad Papam pagina resignatio unius præeat, sequaturque supplicatio alterius, abunde exprimitur *conditionata* supplicantis voluntas. (x) Imo Galli Germanique adhuc in Instrumento Notariali resignationis clausulam: *nec aliter*, *nec alias*, *nec alio modo*, exprimunt. Verum has resignationes ceu Concordatis contrarias plerique hodie Germani rejiciunt. (§. 532. not. 2) Alii autem eas resignationes *in favorem* vel cum adhibitione illius cautelæ, seu styli curiæ romanæ, vel simpliciter a Germaniæ Episcopis admitti posse docent. (y)

***) Resignationes 1) cum conditione et reservatione pensionis seu certæ portionis ex reditibus beneficii admitti quidem ab Episcopo possunt; 2) factæ autem cum pacto pensionem cassandi per anticipandas solutiones annullantur; 3) cassationesque, ac abolitiones pensionum per anticipatas solutiones obtentæ intra sex menses a capta possessione beneficii irritantur; insuper tam resignans, quam resignatarius ipso facto, et absque alia declaratione privantur beneficio, et declarantur inhabiles ad alia assequenda per constitutionem Bened.

(u) Vid. Neller cit. Diss. de statu resignationum ad favorem etc. §. 7. — 14. Thesaur. J. Eccl. Tom. VI. pag. 286 sqq.

(x) Ibid §. 3 not. pag. 281. Van Espen J. E. P. II. Tit. 27 c. 1 n 7 sqq.

(y) Carl Frid. Dieterich systema elem. jurisp. cath. priv. sect. 4. c. 3 tit. 8. §. 714. pag. 381. Hedderich Elem. Jur. can. P. 2 §. 54 pag. 51.

Bened. XIV. *In sublimi* 1741. 29 Aug. et Constitut. *Ecclesiastica* 1746. 15 Junii.

§. 585.

Quum resignatio III. a Superiore admissa *) et rite publicata **) illud, quod inter *resignantem et ecclesiam* intercesserat, *vinculum* solvat: intelligimus, cur 1) post admissam legitime resignationem ecclesia illa vacet, aliique conferri possit: cur 2) resignans omne, quod ad beneficium ejusve fructus habuit, jus amittat, nec 3) nisi vi novæ provisionis, (z) aut in integrum restitutionis regredi in beneficium possit.

*) Attamen 1) resignatio in favorem et ad conditionem restricta tum solum, si resignatario detur beneficium, vel conditio acceptetur, (a) ex *parte resignantis* sortitur effectum: Item ut 2) resignatio infirmi in favorem tertii *resignatario* prosit, et per obitum vacare censeatur, resignans dies viginti completos resignationi superstes sit oportet. (b) Quodsi autem 3) mors intra dies viginti resignationem *a sano* factam sequatur, beneficium haud per obitum, sed per resignationem vacare a plerisque creditur. (c)

**) Nempe 1) » resignationes extra curiam rom. fac» tæ etiam ex caussa permutationis admitti, vel re» jici debent intra mensem; et sic provisi tenentur » eas *publicare* et beneficii possessionem capere in» tra *tres menses* a die factæ provisionis sub pœna » vaca-

---

(z) C. 2 et 3 de Renunt.

(a) Clement. unic. de rer. permut.

(b) Per Regulam Cancell. XIX. de viginti.

(c) Vid. Schmodt Inst. J. can. L. 1. tit. 9 §. 393. C. Frid. Dieterich system. Elem. J. priv. §. 718 Van Espen J. E. un. P. II. tit. 27. c. 5. n. 6. seqq.

» vacationis ipso facto promotionis, et beneficii.
» 2) Provisi autem per resignationes et permutationes factas in manibus Papæ tenentur sub eadem pœna ad *dictam publicationem* et possessionem intra *sex menses* citra montes, in (Italia) ultra, intra *novem* a data concessionis gratia, non a die præstiti consensus numerandos.« (d) Porro 3) hæc *publicatio* in loco beneficii fieri jubetur ad præcavendas fraudes eorum, qui, ut regulam *de viginti* eluderent, sani quidem sua beneficia resignabant in favorem tertii, attamen resignationis acta usque ad mortem occultabant. 4) Hæc publicatio inprimis quoad resignationes in manus Ordinariorum factas haud ubique, nec etiam in Germania recepta dicitur. Item regulariter satis *publicata* censetur resignatio, quando palam innotescit, aut quum resignatarius publice in beneficii possessionem missus est, omnibusque beneficii reditibus fruitur. (e)

ARTICULUS X.

De Innovatione Beneficiorum, de diminutione, dismembratione, unione, divisione eorundem.

§. 586.

Quidquid statum primævum beneficiorum, seu officia, jura, reditus eorum immutat, generatim *Innovatio beneficiorum* dicitur. Quum vero beneficium a) per se sit jus *perpetuum*, (§. 449.)

(d) Constitut. Pii V. *Sanctissimus* etc. Gregorii XIII. *Humano* etc. Benedicti XIV. *Ecclesiastica*.

(e) Schrodt Inst. J. can. L. I. tit. 9 §. 396. Van Espen l. c. 6 n. 6 sqq.

(§. 449) b) ad fundatoris justam voluntatem a potestate ecclesiastica, et quidem in sustentationem eorum, qui officio sacro perfunguntur, constitutum: quum c) *integrum*, et sine *diminutione* conferri jubeatur, nec reservari de ejus fructibus quidquam possit: (a) apparet, 1) omnem *innovationem* vulgo odiosam, et juri communi contrariam esse, nec 2) nisi a) ex justa urgenteque caussa, b) per legitimi Superioris auctoritatem, c) salvo jure tertii, et d) cum consensu eorum, quorum speciatim interest, faciendam esse.

§. 587.

Contingit porro *Innovatio* inprimis I. per *Diminutionem*, seu novi oneris impositionem, et II. *Dismembrationem*, III. per *Unionem*, IV. *Divisionem*, V. *Suppressionem*, VI. *Extinctionem*, et VII. *Alterationem*, de quibus jam breviter exponendum.

§. 588.

Innovatio beneficiorum fit I. per *diminutionem*: 1) *diminui* autem dicitur beneficium, quando eidem, aut beneficiato nova *onera* imponuntur. *) 2) *Onera* hæc prout vel in obsequio personali, aut in parte quadam fructuum, vel pecuniæ summa præstanda continentur, a) *personalia*, aut b) *realia*, et pro ratione durationis c) *temporaria* audiunt, vel

d)

(a) C. unic. ut beneficia eccl. sine diminut. conferantur, et c. 9 de Offic. Ordinarii in 6. Trident. Sess. XXIV. c. 25 de reform.

d) *perpetua*. Ad *onera* realia maxime *census* **) et *pensiones* ***) pertinent.

*) *Onus* imponi dicitur *beneficiato*, quod cum ejus vita cessat, *beneficio*, quod ad successores perpetuo transmittitur.

**) 1) *Census* nomine generatim quæcunque annua præstatio denotatur; heic autem *census* est portio quædam fructuum, aut pecuniæ summa ex proventibus ecclesiasticis in signum subjectionis, concessæ exemtionis, aut alterius juris solvenda. (b) Porro 2) *Census* adpellatur *antiquus*, qui in ipsa fundatione beneficii, *novus*, qui deinceps imponitur. 3) Species quædam census antiqui habetur *cathedraticum*, (§ 255.) 4) Ad censum novum refertur a quibusdam a) *subsidium charitativum*, (§. 255.) et *pensio*; attamen quum illud inter extraordinarias exactiones, hæc vero strictius sumta nec in subjectionis, nec alterius juris signum solvatur; rectius forsan utrumque a censu proprie dicto distinguitur. Ceterum

***) 1) Pensio heic est portio quædam ex proventibus ecclesiasticis, aut ex beneficio auctoritate Superioris justis ex caussis detracta, et clerico vel alteri adsignata: 2) triplex enim pensionis genus distingui solet: a) *laica* appellatur, quæ ob temporale obsequium cuicunque clerico, aut laico, b) *clericalis*, quæ propter spirituale obsequium clerico, c) *mixta* demum, quæ vulgo per modum eleemosynæ ad clericum sustentandum constituitur. 3) Pensiones ob necessitatem clerici, simulque in bonum pacis constitutas jam novit probavitque antiqua ecclesia. Jam in Concilio Chalcedonensi (c) tria pensionum exempla occurrunt, et alia in S. Gregorii M. et Pelagii

P 2 R.

(b) C. 8 de Privileg. c. 10 eod. tit. in 6.

(c) Concil. Chalced. Act. 10. 12. 14. Vid. Van Espen J. E. u. P. II. tit. 28 c. 1 n. 6 sqq.

R. P. literis (d) memorantur: atque ita deinceps ab Episcopis plures pensiones constitutæ sunt. At a sec. XII. ingentes circa pensiones increbuere abusus. Earum quippe sub obtentu proventus ecclesiastici beneficiatis subtracti, aliisque non indigentibus, sæpe etiam hominibus nec tunc nec ante ecclesiæ servientibus, imo profanis etiam sine discrimine, sine modo addicti, aut ab Episcopis sibi ipsis reservati sunt. (e) Quod malum tempore schismatis avenionensis, dum Cardinales ex beneficiis plurimis resignatis pensiones sibi reservabant, multo latius grassabatur. Unde 4) frequenter de abrogandis temperandisve pensionibus agitata sunt consilia: (f) et Tridentinum, saltem ecclesias *cathedrales*, quarum reditus summam ducatorum mille, et *parochiales*, quæ summam ducatorum *centum* secundum verum annum valorem non excederent, pensionibus gravari vetuit. (g) Ceterum 5) pensiones, præsertim quæ non indigentibus cedunt, non modo juri communi repugnare, sed summe odiosas et animarum saluti sæpius periculosas esse vel inde patet, quod per eas contra naturam bonorum ecclesiasticorum et fundatorum mentem a) ministris ecclesiæ portio ipsis adsignata eripiatur, b) proventus ecclesiæ hominibus ecclesiæ non servientibus cedant, c) fabrica ecclesiæ, et pauperes defraudentur, d) clericis pauperibus aditus ad beneficia præcludatur, et c) nonnunquam symoniæ locus aperiri videatur. Quam in rem multa lectu

(d) L. 1 Epist. 43 L II. Epist. 7. Joan Diac. in vita S. Greg. L. 3 c. 16 L. 4 c. 39. Vid. item Can. 30 caus. XVIII. q. 2.

(e) Vid. Thomassin P. III. L. 7 c. 31. Fleury Institut. J. E. P. II. c. 25 §. 2.

(f) Vid. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 28 c. 1. n. 1 sqq.

(g) *Sess. XXIV. c.* 13 de Reform.

lectu dignissima adfert *Van Espen J. E. Univ. P. II. tit.* 28 *c.* 3 *et tractat. de Simonia et Pensionibus.*

§. 589.

Quum omnis innovatio beneficiorum ex gravibus duntaxat caussis, et per auctoritatem Superioris legitimi, atque cum consensu eorum, quorum interest, fieri possit; (§. 586.) id quoque in impositione oneris, aut *census novi* (antiquus ad innovationem haud spectat) *) et *pensionis* servandum esse nemo non intelligit. Porro I. *Onera spiritualia* ob necessitatem, et, ni specialis ratio obstet, ob ecclesiæ utilitatem imponi ab Episcopo possunt, quum per illa cultus divini numinis augeatur, et fundatoris intentio non solum non frustretur, sed et excellentius promoveatur. II. *Censum* 1) *novum* et *perpetuum*, item *pensionem perpetuam* solus Pontifex (h) imponit, nisi pacta specialia obstent, uti in Germania, ubi nequit beneficiis etiam in mense papali vacantibus pensiones imponere *perpetuas*, seu quæ ad successorem beneficii, dum in mense ordinarii collatoris vacat, essent transituræ: (§. 537.) 2) *novum* et *temporaneum censum pensionemque personalem* **) Episcopus potest constituere; censum autem perpetuum, seu annuam pensionem sibi solvendam exigere in recognitionem prioris subjectionis, vel datæ gratiæ ex iis solum ecclesiis Episcopus potest, quas forte a jurisdictione sua ipse eximit, aut Re-

 gula-

(b) C. 2 de Præb. in 6. et Bulla Pauli IV.

gularibus recens concedit. (i) Ceterum III. census, et pensio inprimis perpetua nunquam, nisi ecclesiæ necessitate aut evidente utilitate id exigente, et iis, quorum interest, auditis, exquisitoque Patronorum, aliorumque secundum locorum observantiam consensu imponi beneficiis possunt. Pensiones *temporariœ* vulgo quidem vel a) ob bonum *pacis*, si beneficium sit litigiosum, vel b) caussa *resignationis*, aut c) *permutationis*, ne permutantes nimium patiantur dispendium, solent imponi. Hæ ipsæ tamen caussæ, nisi forte de clerico egeno, et bene merito sustentando agatur, raro sufficiunt, nec pensionarios, quamvis eæ pensiones a Superioribus tolerentur, et ob præcavenda majora mala concedantur, coram Deo tutos reddunt. (k) Quocirca quivis intelligit, 1) in petendis et in concedendis pensionibus multa cautione (l) opus esse; 2) jureque reprobari pensiones omnes, quæ a) ad *captandum* beneficium (m) aut b) ob *dimissionem* beneficii: (n) quæ c) per *collusionem*, (o) aut d) in proprium constituentis lucrum, (p) vel denique e) ad palliandam bene-

---

(i) C. 7 et 21 de Censibus c. 6 de religios. domib. c. 9 de his, quæ a Prælato fiunt.

(k) Pluribus id probat Van Espen J. E. univ. P. II. tit. 28 c. 3.

(l) Vid. Van Espen ibid. c. 4.

(m) C. 6 de Præbend.

(n) C. 6 de Cleric. non resident. et c. 35 de elect.

(o) C. 3 de Colsos. detegenda.

(p) C. 13 de Censib.

beneficiorum pluralitatem, aut ad eos, qui aliunde, unde vivant, habent, ditandos (q) reservantur, aut constituuntur. De vetita pensionum per anticipatas solutiones redemtione supra (§. 585.) jam diximus.

*) Census *antiquus* in ipsa fundatione et ab Episcopo, et cum hujus assensu etiam a patrono imponi beneficio posest: *c. 7 et 16 de Censib. et c. 23 de jure patronat.*

**) Ut pensio non solum ad tempus vitæ beneficiati, sed et pensionarii constituatur, æquitas et ecclesiarum utilitas nonnunquam suadet. Hinc, quum ea, quæ ad regimen suæ ecclesiæ pertinent, Episcopus possit, neque etiam id genus pensionem imponendi facultas Episcopis sit ademta; ea potestas Episcopo neganda non videtur: Nam c. 21 de Præbendis, ex quo contrarium quidam asserunt, non ordinariis, sed delegatis solum judicibus eam facultatem negat.

§. 590.

Pensionis aut census perpetui effectum fere habet, et insignem innovationem inducit II. *Dismembratio* beneficii, seu actus, quo pars redituum ecclesiastica auctoritate ab altero beneficio penes Rectorem suum ordinarium permanente aufertur, et alteri, cui alio modo provideri nequit, beneficio adplicatur. *) In hac saltem solemnitates ad omnem innovationem requisitas (§. 586) servandas esse dubium non est.

*) Quum finis fructuum beneficii princeps sit sustentatio Ministrorum Religionis; justa dismembrationis caussa tunc adest, ubi beneficium alterum quidem

(q) Vid. Van Espen tract. de Simon. et Pensionibus C. 7 §. 2.

dem abundat, alterum præsertim curatum, et ecclesiæ admodum necessarium eget.

§. 591.

Innovatio beneficiorum contingit per eorum III. *Unionem*, quæ generatim est plurium beneficiorum, aut ecclesiarum per legitimam Superioris ecclesiastici auctoritatem facta conjunctio. *Unio* hæc 1) fieri potest vel quoad reditus *temporales* solum, vel simul quoad *spiritualia*, vel quoad ipsam etiam jurisdictionem quasi episcopalem; inde Unio alia a) *minus pleno*, alia b) *pleno*, aut c) *plenissimo jure* facta appellatur. *) Item 2) Unio, pro eo, atque vel ad tempus fit, vel in perpetuum, a) *temporalis*, aut *perpetua* vocatur. Rursus 3) Unio fieri dicitur a) per *confusionem*, dum beneficia plura in unum quoddam tertium conflantur, b) per *æqualem coadunationem*, *exæquationem*, aut æqualitatem etc., ubi salvis utriusque beneficii, aut ecclesiæ juribus et indole uni Rectori subjiciuntur: c) per *accessionem*, *subjectionemve*, dum minor ecclesia majori adjicitur, variisque modis subjicitur, adeoque adjecta alteri seu principali seu tanquam *filia matri* subordinatur, etc.

*) Scilicet sæpius beneficia curata uniuntur *incorporanturve* Collegiis, Capitulis, Monasteriis, Dignitatibus etc. 1) vel quoad *temporalia* solum, 2) vel etiam simul quoad *spiritualia*, vel 3) demum quoad *jurisdictionem* insuper *quasi episcopalem* in clerum et populum ecclesiæ incorporatæ: priorem vocant hodie *unionem minus pleno*, alteram *pleno*, tertiam *plenissimo jure factam*. Attamen harum vocum non idem apud omnes scriptores, aut in diplomatibus omnibus sensus est;

ex

ex adjunctis proin aliis eruendus. Certe 1) olim sæpius dicebatur *pleno jure* ac Collegium vel Monasterium pertinere ecclesia, quæ reapse plenissimo jure unita erat. Quo sensu eæ voces c. 3 de Privilegiis §. 2 in *Ecclesiis vero*, usurpantur. Hinc nescio sane, num pro regula *infallibili* venditari potuerit hæc: »Termini *pleno jure*, »*plenarie* unionem semper infimam, et temporalem tantum quoad reditus, sic et non aliter »important; donec aliud aliunde et ex appositis »*clare* doceatur.« (r) Rursus 2) hæc similiaque verba, »damus *ecclesiam* ad usus fratrum, in »sustentationem fratribus, in victum, ad necessitates et angarias sublevandas, unimus *ecclesiam* »mensæ Abbatis aut Monasterii etc.« unionem tantum quoad temporalia significant. *Ecclesiæ* enim nomen olim crebrius solo reditus, *altare* vero administrationem *sacrorum* designabat. Attamen sæpe alia adjunguntur, ex quibus unio simul quoad spiritualia facta intelligitur. Plures formulas examinat *Neller Diss. de genuina Idea et signif. Paroch. primitiv. etc.* c. 2 §. 5 *sqq. Thesau. J. E. tom.* 6 *pag.* 452 *sqq.*

**) Qualis sit *unio*, ex unionis instrumento colligi potest. Hæc verba: *Ecclesiam A. unimus, incorporamus ecclesiæ B.*, unionem per *accessionem*: et verba ista, *ecclesiam A et B. inter se unimus*, unionem *per exequationem* denotare plures statuunt. At hanc regulam pluresque alias rejicit *Cl. Neller Diss. cit.* c. 2 §. 16 *sqq. Thesaur. J. E. tom.* 6 *pag.* 457 *sqq.*

§. 592.

His præstructis I. generales de unione regulas statuimus, dein II. a quo, III. et queis

 cum

(r) Schloer de Parochialium Ecclesiarum secularitate etc. c. 3 §. 10. Thesau. J. E. Tom. VI. pag. 541.

cum solennitatibus, IV. quæ beneficia uniri queant, V. quosque effectus unio habeat, indicabimus.

§. 593.

Generatim I. *omnis unio*, quippe quæ vel alienationis rationem habet, vel cultum divinum, aut reditus diminuere solet, vulgo quidem odiosa est, adeoque 1) stricte interpretanda, 2) facta jam unio examini potest subjici, et secundum Martini V. Bullam (s) et Synodi Tridentinæ decretum revocari. *) 3) Uniones beneficiorum nisi ob insignem ecclesiæ utilitatem, aut necessitatem justæ haud sunt: (t) proin 4) caussarum veritate et gravitate diligenter examinata ponderataque demum uniones per solemnia decreta expediendæ sunt. Hinc 5) *gratiosæ*, ut ajunt, uniones seu absque debitis solennitatibus per gratiam et dispensationem factæ rejiciuntur. (u) Præterea 6) *unio temporaria* ad palliandam beneficiorum pluralitatem inventa, canonibus maxime *odiosa* et plane *reprobanda* est. (w) Demum 7) Unio nunquam nisi salva beneficiati congrua sustentatione fieri potest. (x)

*) Scilicet 1) per Bullam Martini uniones omnes ab obitu Gregorii IX. etiam per sedis rom. auctoritatem factæ jubentur ad instantiam eorum, qui

(s) In Concil. Constantiens. sess 43 Art. 2.
(t) C. 33 de præbend.
(u) Vid. c. 1 ne sede vacante etc.
(w) Trident. Sess. VII. c. 4 et Sess. XXIV. c. 17 *de Ref.*
(x) *C. 33 de præbend.*

qui eas uniones non ipsi impetrarunt, easque sibi incommodas credunt, examinari, et si haud justis ex caussis factæ inveniantur, revocari. 2) Tridentinum autem decernit, ut a) uniones a quadraginta circiter annis factæ ab Ordinariis tanquam sedis apostolicæ delegatis, examinari possint, et quæ per subreptionem aut obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur: ut b) deinceps factæ uniones nisi ex legitimis caussis, coram loci Ordinariis, vocatis quorum interest, verificandis factas constiterit, ob — vel subreptitiæ præsumantur, et nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. *C. VI. Sessio VII. de reform.*

§. 594.

II. *Unire* 1) *Episcopatus* inter Pontificis reservata censetur, (§. 213. 2) alias ecclesias, modo non exemtas unire potest a) *Episcopus*, (y) aut jurisdictione episcopali præditus, (z) immo nisi forte alienationis rationem unio habeat, b) vacante sede episcopali *Capitulum* ob necessitatem ecclesiæ, (a) non item Vicarius generalis, neo Prælatus inferior sine speciali mandato Episcopi: (b) nisi cui per consuetudinem, vel præscriptionem (c) ea facultas competit: 3) prohibentur vero Episcopus, adeoque magis Capitulum suæ mensæ beneficium unire. (d)

§. 595.

(y) Trident. Sess. XXI. c. 5.
(z) C. 8 de Excell. Prælat.
(a) Van Espen J. E. u. P. 2 tit. 29 c. 1 n. 24.
(b) C. 8 de Excess. Prælät.
(c) C. 15 de Præscript.
(d) *Clem.* 2 de rebus eccl. non alien.

§. 595.

III. *Solemnitates* ad unionem requisitae sunt 1) expositio justae caussae, 2) sufficiens caussae hujus cognitio et discussio, 3) declaratio valoris annui seu significatio redituum annuorum utriusque, quae unienda est, ecclesiae, (e) 4) citatio aut consensus eorum, quorum praecipue interest; ut Patroni, Praelati, Advocati, aut quoad ecclesias majores Principis, aliorumque, qui in ecclesia unienda jus aliquod tenent, **) (f) item 5) consensus Capituli; eo quod unio perpetua sit quaedam alienationis species. (g)

*) Tales caussae sunt utilitas: aut necessitas ecclesiarum, e. g. si vicinae sibi sint ecclesiae, si parochiani pauci nimis, si sacrae aedes devastatae, si reditus ad sustentandum clericum non sufficiunt. *Trid. sess. XXI. c.* 5 *sq. Cf. Philipp. Slevogtii Diss. I. de unione Eccl. c.* 2.

**) Num ecclesiae ejus, cujus unio facienda est, Rector necessario vocandus audiendusque sit, dubitant Jureconsulti. Qua in re nobis eorum placet sententia, qui quidem 1) unionem cetera justam invito etiam beneficiato (h) factam, si modo ei, quoad vivit, serventur fructus, et unio aliunde ecclesiae sit utilis, validam existimant: contendunt tamen, quam maxime decere, ut Rector ecclesiae, qui tutor ejus est, statumque ejusdem optime perspectum habet, in unionis caussa vocetur, audiaturque. Parochianorum item, etsi eos audire decet, consensus saltem ad unionem necessarius haud est.

(e) Ex Reg. 21 cancellar. de Unionibus.
(f) Vid. Van Espen l. c. c. 3.
(g) Clem. final. de reb. eccl. non alien.
(h) *Trid. Sess.* XXIV. c. 13.

est. *Vid. Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 29 *c.* 3 *n.* 14 *sqq.*

§. 596.

IV. *Beneficia* porro 1) regulariter nonnisi aliis beneficiis unienda sunt, et 2) quidem simplicia potius, quam curata: atque 3) hæc non facile Collegiis, Seminariis, Dignitatibus, Abbatiis unienda; (i) 4) collativa libera, non nisi Patrono juri patronatus renuntiante, unire decet; denique nec 5) beneficia unius diœcesis cum alterius diœceseos beneficiis uniantur. (k).

§. 597.

V. *Effectus* varii *unionis* jam ex dictis quodammodo colliguntur; singillatim porro 1) *unionis per confusionem* effectus est, quod jura, et privilegia utriusque ecclesiæ mutuo confundantur, aut, si consistere simul nequeant, ceteris rejectis meliora reserventur. 2) *Unionis per exæquationem* effectus fere unus est, quod idem sit Rector sic unitarum ecclesiarum, quarum ceterum jura omnia salva, distinctaque manent. 3) *Unionis per accessionem* seu *subjectionem* effectus est, quod a) onera quidem, jura, et proventus ecclesiæ unitæ, seu filiæ perseverent; quoniam tamen hæc matri subordinatur, omnia, quæ salva unione perstare nequeunt, ecclesiæ unitæ jura et privilegia cessant, aut in eam, cui unita

---

(i) Trid. Sess. XIV. c. 9.
(k) Clement. 2 de rebus eccl. non alienand.

ta est, transeunt: quod b) salvis iis, quæ altiorem jurisdictionem respiciunt, unita ceu accessoria principalem sequatur: proindeque c) obtenta ecclesia principali eo ipso accessoria obtineatur, atque hinc d) Patronus unitæ ecclesiæ jus suum, nisi id specialiter reservarit, amittat, demumque e) utraque simul, et nonnisi per Rectoris principalis, non per vicarii mortem vacet. etc. 4) *Unionis minus plenæ* effectus est, ut ecclesia, cui alia unitur, adsignata vicario, quem præsentandi jus habet, congrua sustentatione *) reditus uniti beneficii ceteros omnes, aut determinatam pacto summam percipere possit. 5) *Unionis plenæ* effectus est, quod Prælatus, cujus ecclesiæ unio facta est, verus sit Parochus, (§. 511. not.) possitque pro administranda ecclesia unita vicarium ex religiosis quoque suis etiam ad tempus exponere: quem tamen Episcopo pro examine, et adprobatione sistere tenetur. Ceterum, ut diximus, ejusmodi vicarii seu expositi nec in beneficio institui aut investiri possunt, nec per eorum mortem beneficia vacant. etc. (§. 522. not.) 6) Effectus *unionis plenissimæ* præterea sunt, ut in unita ecclesia Prælatus præter alia in spiritualibus et temporalibus jura quasi episcopalem jurisdictionem in populum, et clerum atque adeo jus vicarium examinandi, adprobandi, visitandi, excluso Episcopo, habeat. (l) **)

*) Con-

(l) Trident. Sess. XXV. c. 11 de Regular.

*) Congrua fundatio clerici in Bavaria trecentis florenis aestimatur. Neue geistliche Rathsordnung A. 1797. n. 19.

**) Ceterum 1) uniones eadem ratione et auctoritate, qua constituuntur, dissolvi, quoque possunt: 2) Porro unio beneficiorum dissolvi potest: a) *cessante caussa*, propter quam unita sunt, (§. 595 not.) uti si populus reditusve rursum augeantur, restituantur S. aedes etc.: b) *superveniente caussa nova*, ob quam unio fiat noxia. 3) *Dissolutionis* autem *effectus* erit, quod beneficia in eum, in quo antehac erant, statum restituantur. (m) De variis unionis variae effectibus latius pertractat *Slevogt Diss. III. de unione Benef. c. 1 dissolutione unionis*, idem agit Diss. IV. de unione benef. pag. 159 sqq.

§. 598.

Unioni obponitur IV. *divisio* seu sectio *beneficii*, qua ex uno beneficio fiunt duo, plurave beneficia, ita ut divisis reditibus deinceps duo pluresve Parochi aut Beneficiati instituantur. V. *Subpressio beneficii* fit, si ecclesiae subtrahatur erecta ibi dignitas, vel praebenda, aut praebendarum numerus imminuatur. VI. *Extincto* demum *beneficii* contingere dicitur, quando ecclesia destruitur una cum reditibus, ut nullus ibi fiat cultus divinus. Demum VII. *Alteratio* beneficii habetur, dum in aliam a prima beneficii speciem mutatur: velut si Episcopatus in Archiepiscopatum, (n) Abbatia in Episcopatum, (o) Parochia in Monasterium

(m) Vid. c. fin. de Paroch. c. 1 ne sede vacante.
(n) Vid. Extrav. 5 de praebend. inter comm.
(o) Quod Fuldae contigit. 1752.

rium, (p) beneficium seculare in regulare, vel vicissim mutetur. Porro

§. 599.

Uti unio, ita 1) et *divisio*, *subpressio*, *extinctio*, *alteratio*, non nisi ex caussis gravibus, auctorate ecclesiastica, et iis quorum interest, prius auditis fieri potest, (§. 595.) atque 2) *Episcopatuum* quidem, et ecclesiarum immediatarum divisio aut alteratio soli Pontifici reservatur, nec nisi ex caussis gravissimis adhibitisque solennitatibus fieri recte potest; * 3) reliquorum beneficiorum divisio in quavis diœcesi Episcopo competit. (q) 4) Ceterum divisio beneficiorum, inprimis, si curata et ampliora sint, animarum saluti proficua, atque adeo non odiosa, sed favorabilis, et exoptanda videtur. **) 5) Beneficium subpressum sublata caussa subpressionis, uti si proventus denuo augeantur, (r) resuscitari poterit.

*) Docent id præsertim intuitu Germaniæ editi haud ita pridem libelli e. g. 1) Gründe wider die projectirte Zertheilung der alten, und Errichtung neuer Bißthümer. 2) Ueber Einschränkung der Erzbischöflichen, und Bischöflichen Diözesan Rechte in kathol. Landen 1786. 3) Vertheidigte Gerechtsame der Bischöfe in Bemerkungen über die Gerechtsame des Regenten nach Bedürfnissen des Staats eigene Landes-Bischöfe zu ernennen 1788. Item 4) literæ a Capitulo Ratisb. ad Cæsarem datæ ob Tractum Aegiensem, etc. 5) Literæ interces-

(p) C. 13 caus. XII. q. 2.
(q) Vid. Van Espen l. E. u. P. II. tit. 29 c. 4 n. 5.
(r) C. 8. 9. 12. de Constit.

cessionales Friderici Caroli Archiep. Mogunt. ad Cæsarem in caussa Aegrensi datæ, (s) quibus aliisque in scriptis Principi præsertim in S. R. Imperio negatur Episcopatus dividendi potestas: Contra pro Principum hac in re potestate perorant alii e. g. Die Gerechtsame des Regenten nach dem Bedürfnisse des Staates eigene Bischöfe zu ernennen etc. 2) Neupauers Abhandlung, ob der Kaiser das Recht habe neue Diözesen zu errichten. 3) Von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht deutscher Stifter. (t) 4) Meine Gedanken über die Entwickelung der Dispens- und Nuntiatur-Streitigkeiten 1789. Cf. Oberhauser Prælect. can. L. I. tit. 31. u. 11. etc. etc.

**) Divisionem parochiarum ampliorum dudum optarunt, et commendarunt viri, qui religionis bonum cordi habent; eandem quoque præ divisione Episcopatuum libelli mox laudati (x) auctor utilem censet. Cf. Sonnenfels Polizey §. 95.

JURIS

(s) Vid. Maynzer Monatschrift von geistl. Sachen 1789. 2. Heft pag. 183 seqq.

(t) I. Band, I. Theil §. 243. sqq.

(u) §. 4. pag. 38. sqq.

(x) Gründe wider die projectirte Zertheilung pag. 116.

JURIS ECCLESIASTICI PRIVATI.

SECTIO II.

DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM.

CAPUT I.

De Rebus Sacris.

ARTICULUS I.

De Rebus Sacris generatim.

§. 600.

Quæcunque res ecclesiæ usibus ac saluti serviunt, sensu juridico, et generali res *ecclesiasticæ* dicuntur. Unde eo nomine heic veniunt, quæcunque ad jus ecclesiasticum privatum pertinent, nec ad personas, aut judicia commode possunt referri.

§. 601.

Res ecclesiasticas varie *dividunt.* *) Placet heic res omnes, quæ ad cultum Dei, ac religionem propius pertinent, *sacras*, quæ reliquis ecclesiæ usibus serviunt, stricte *ecclesiasticas* seu bona ecclesiastica dicere.

*) Alii eas 1) in *spirituales*, *temporales*, et ex utrisque *mixtas*; alii 2) in *spirituales in se*, vel per *annexionem* tales, in *sacras*, seu benedictione, aut consecratione sacratas, et *ecclesiasticas* simpliciter; 3) alii in *spirituales*, et *temporales*, atque temporales dividunt rursum in *sacras*, *sanctas*, *ecclesiasticas*,

cas, prout vel *consecrantur*, uti calices et altaria, vel benedicuntur solum, ut imagines, cerei benedicti, campanæ etc., vel nec consecrantur, nec benedicuntur, sed sumtibus in ecclesia faciendis serviunt; et vulgo bona ecclesiastica dicuntur: 4) alii aliis modis partiuntur res ecclesiasticas. 5) Protestantes, qui benedictionem, et consecrationem ignorant, ecclesiasticas res in eas, quæ *immediate*, et quæ *mediate* duntaxat cultui divino inserviunt, distinguere solent.

§. 602.

Porro rebus *sacris* nostro sensu acceptis ipsa SS. N. L. *Sacramenta*, *ritus sacri*, verbi divini prædicandi, Sacramenta et divinum cultum externum rite administrandi ordo, et modus, seu S. *liturgia*, et ad eam pertinentia etc. accensentur. Quibus quidem in rebus, quantum á Christo nondum certi quid determinatum est, penes ecclesiæ Rectores pro rerum adjunctis determinandi potestatem residere, nullus dubio locus (a) esse potest. (§. 27. 40.)

§. 603.

Atque pro hac divinitus accepta potestate ecclesia tum universam S. liturgiam ordinavit, tum ritus quosdam alios, quos *sacramentalia* dicunt, *) adsumsit, aut pro rerum temporumque varietate variis etiam modis immutavit. **)

*) Huc refer e. g. præter ritus in Sacramentorum administratione adhiberi solitos *unctiones* Regum, altarium,

(a) Vid. Petr. de Marca de Concord. Sacerd. et Imper. L. 2. c. 6. n. 6. Zallwein Princ. I. Eccl. tom. 2. q. 1. c. 2. §. 16 sqq.

tarium, vasorum; *benedictiones* ecclesiarum, campanarum, cœmeteriorum, aquæ, salis, frugum etc. aliosque ab eccesia institutos ritus, utique piis etiam privatorum hominum inventis longe præferendos. Hos ad excitandos sublimiores de rebus divinis sensus, juvandamque internam religionem religiose adhiberi, et populo rite explicari voluit, jussitque ecclesia. (b)

**) Ritus enim externos salva fidei et ecclesiæ unitate in ecclesiis variis varios esse posse nemo ignorat. Unde ritus cujuslibet ecclesiæ, et ubi proprius deficit, Romanæ, ceu omnium ecclesiarum matris, sequendus mos est. Optandum ceterum, ut ecclesiæ etiam in his, quantum fieri potest, secum consentiant.

§. 604.

Eadem authoritate ecclesia 1) cultui divino solennius peragendo sacros seu *festos* dies indixit; * 2) ad hos religiosius celebrandos, et ad fidelium mentes felicius in Deum elevandas *vigiliarum*, aliosque *jejunii* dies ordinavit: festaque 3) ad *calendarii* ecclesiastici normam servari præcipit. **)

*) *Feriæ* 1) generatim dividuntur in *sacras* et *profanas*, prout cultui divino, aut fini politico dicantur: 2) Illas indicendi jus penes Rectores ecclesiæ, has constituendi potestas penes Principem est. Atvero 3) quum *sacræ* etiam feriæ quoad obligationem abstinendi ab servilibus operis et actibus judicialibus connexas habeant rationes status politici: patet Principem non modo qua *advocatum* ecclesiæ habere jus et munus a) festos dies *tuendi*, b) impedimenta, et abusus sanctitati et fini festorum contrarios removendi: sed et vi *juris cavendi* habere a) jus *prospiciendi*, ne reipublicæ nimius festo-

(b) *Cf.* Trid. Sess. 22. c. 8. de Sacrif. missæ Sess. 24. c. 7. de reform.

festorum numerus sit noxius, item b) jus apud potestatem ecclesiasticam *interveniendi*, ut festi dies transferantur, modificentur, abrogentur. (c) Nempe Principi politico etiam intuitu Catholicorum in his rebus protectionis, atque etiam, si forte reipublicæ saluti quid repugnans statueretur, cavendi jus nemo negat: 4) intuitu vero Protestantium subditorum multo ampliorem Principi politico potestatem competere, ex supra (§. 390 sqq.) dictis conjicere pronum est. Quum scilicet Dominis territorialibus catholicis in suos subditos protestantes jurisdictio ecclesiastica competat, jus etiam sacras ferias indicendi penes Principem est. (d) Neque conscientiæ eorum repugnat labores his diebus omittere, aut sacra suo more obire. Etenim ut id intentione e. g. Sanctum colendi faciant, haud exigit Princeps. Contra Principi protestantico jus ferias *sacras* subditis catholicis indicendi eo ipso non competit, quod Catholicis, qui jus tale uni ecclesiæ tribuunt, nil conscientiæ et Religionis eorum principiis repugnans imponi possit. De *sacramentalibus*, *Calendario*, *festis*, *jejuniis etc.* Cf. *Zech. de jure rer. eccl. Sect. II.* §. 17. *sqq.* De festis variis, fine eorum, celebrationis modo multa notatu digna profert van Espen J. E. u. P. II. tit. 17.

**) *Calendarii* correctio dudum et desiderata et tentata, tandem a Gregorio XIII, unde *Gregoriani* nomen ei inditum, A. 1581 perfecta est. Cujus Gregoriani Calendarii computum prorsus sequi diu multumque tergiversabantur Protestantes. Tandem

 vero,

(c) Vid. Philip. Jac. Huth Diss. hist. polit. de eo, quod circa ferias S. instituendas abolendasque justum est. Ingoldstad. 1770. Cf. Van Espen J. E. u P. II. tit. 17.

(d) Vid. Boeris Diss. de potestate statuum Imp. subditis suis diversæ Religionis indicendi ferias etc. *Thesaur.* J. E. Tom. VI. pag. 769.

vero, postquam ex diversa Paschatis celebratione A. 1724, et 1744 maxima enata erant incommoda, illud a corpore, ut vocant Evangelicorum, duplici concluso (e) quoad festa mobilia adoptatum est. (f)

§. 605.

Atque hæc quidem pro instituto nostro vel adtigisse satis est: cetera rerum liturgicarum tractatoribus lubenter permittimus. De Sacramentis quoque iis, quæ ad Theologiam dogmaticam, et pastoralem pertinent, ad suum forum remissis, postquam de *Ordine* ea, quæ ad institutum nostrum spectare videbantur, breviter jam (§. 412. sqq.) perstrinximus: de solo *matrimonio*, et, quæ illud præcedunt, *sponsalibus* quædam monenda supersunt.

ARTICULUS II.

Notio, Divisio, Essentialia Matrimonii.

§. 606.

Matrimonium 1) ratione *status* et *vinculi* permanentis sumtum, est societas *) maris, et feminæ ad procreandam, et rite educandam prolem (a) a mutuumque vitæ adjutorium etc. (b) inita; ** 2) ratione *actualis conventionis* (c)

(e) Die 16. Aug. et 13. Decembr.
(f) De Correctione Calendarii, Receptioneque Gregoriani. Vid. Thesaur. J. Eccl. Tom. I. pag. 460. sqq. et 490. sqq.
(a) *Ephes.* VI. 4. I. Timoth. V. 14. Tit. II. 4.
(b) *Gen.* II. 18. Eccles. IV. 9.

(c) est ille actus, quo dicta societas mutuo consensu initur; 3) ratione *Sacramenti* est idem actus inter Christianos rite celebratus conjugibus nullum impedimentum ponentibus ad se pie, casteque amandos, et ad liberos sancte educandos conferens gratiam. ***)

*) Heic 1) *societas* vera intelligitur, quæ jura obligationesque sibi proprias habeat; (§. 1 et 4) atque hoc ipso, quum ad illicitum dari jus aut obligatio nequeat, alia omnis jure divino vel humano *invalida*, vel ad illicitos actus inita conjunctio satis excluditur: 2) ceteris verbis sexus personarum diversus uni huic societati *essentialis*, item primarius saltem finis societatis indicatur; atque ita hæc ab omni alia societate satis discernitur.

**) »Matrimonium, bene inquit Leyserus (d) Pro»testantium Jureconsultorum celeberrimus, a Deo »institutum est propter tres fines, primus et præ»cipuus fuit mutuum adjutorium, secundus pro»creatio sobolis, tertius extinctio libidinis. Ego »legitimum matrimonium esse credo, etsi isti tres »fines simul non obtineantur.« Qui procreationem prolis unicum matrimonii finem dicunt, sæpius consectaria inde absurda deducunt. Vid. *Thomasius L. 3. Inst. Jurispr. div. c. 2. Cf. Diogenes Christianus* allgemeine Gedanken 2c. 1 Th. 5 *sect.* Unpartheiische Gedanken von dem Ehestande. §. 3. *sqq.*

***) Matrimonium 1) esse a) *licitum*, esse b) novæ legis *Sacramentum* etc. Theologi demonstrant: 2) num vero contractus matrimonii inter fideles sine Sacramento validus esse possit, seu utrum matrimonium in baptizatis possit valere ut contractus, quin

(c) Argutias eorum, qui matrimonium rationem veri *contractus* habere negant, refutat. Plac. Bœckhn. comm. in L. Decr. L. 4. tit. 1. P. II. n. 6—9.

(d) *In Meditat.* ad Pandect. spec. 297. med. 6.

quin tamen sit Sacramentum, disputant Canonistæ et Theologi, Affirmantium opinionem tuetur cum Soto aliisque Petrus *Collet in continuat. Tournelii tom. 14. c. 2. Art. 2. sect. 3. Institut. Theolog. moral. Tom. V. de matr. c. 2. pag. 415.*

§. 607.

Matrimonium triplici modo spectari potest: ut ordinatur vel 1) in *bonum naturæ*, et generis humani, et ita mutuum conjugum amorem, liberorum procreationem, et generis humani propagationem pro fine habet; vel 2) in *bonum communitatis*, seu *civitatis*, et sic reipublicæ, cui novos, bonosque cives subpeditat, perennitati felicitatique consulit: vel 3) in *bonum ecclesiæ et fidelium*; quatenus conjuges gratia ornat, eorum animos unit, vetitæ carnis concupiscentiæ medetur, (e) ecclesiam prole pie christianeque educata ditat. *) Unde sub triplici hac ratione pro norma habet leges divinas *naturales* et positivas, *civiles*, *ecclesiasticas*, **) »et ideo, inquit S. Thomas (f) »ex qualibet dictarum legum potest persona »effici ad matrimonium illegitima.«

*) Ex hoc patet, matrimonium non præcise: quia et quatenus *sacramentum* est, sed alio etiam intuitu auctoritati ecclesiæ subjectum esse.

**) Justam itaque reprehensionem ferunt, qui ex una lege naturali, ne divinam quidem positivam, nedum leges alias pensi habentes, de matrimoniis statuunt, et absurdissima nonnunquam consectaria admittunt. . .

§. 608.

(e) I. Cor. VII. 2. 9.

(f) Lib. 4. sent. dist. 34. A. 1 ad 4. et Lib. 4. contra gentes c. 78.

§. 608.

Matrimonium *dividunt* in 1) *legitimum*, quod inter personas lege specialiter non prohibitas initur; 2) *ratum*, quod inter Christi fideles contrahitur, vulgoque saltem rationem Sacramenti habet; 3) *consummatum*, cui corporum conjunctio ad generationem prolis ordinata et apta accessit. Alia sub ratione, et quantum ad varios effectus matrimonium aliud quidem dicitur 4) *civile*, seu *solenne* cum solennitatibus jure civili requisitis contractum; *) aliud 5) *canonicum* et *non solenne*, in quo adhibentur ea tantum, quæ jure canonico requiruntur. Huc referunt 6) matrimonium ad *morganaticam*, vel ad morgengabam, inter virum illustrem et feminam inferioris ut plurimum conditionis eo pacto initum, ut liberi, licet cetera legitimi, conditionis, aut saltem paternæ hæreditatis non sint participes, sed minori dignitate, aut certa solum portione ad sustentationem necessaria contenti esse debeant; ** 7) matrimonium *inæquale*, disparagium dictum, quod etiam sine tali pacto cum persona inæqualis omnino conditionis initur. ***)

*) Quæ solenne matrimonium contraxit, proprie *uxor* dicitur, quæ absque solennitatibus ducta est; *concubina* sæpe vocari solet (g). 2) *Conscensio thori* olim vulgo apud Germanos, ut matrimonium ratum effectus civiles haberet, erat necessaria: et etiamnum in quibusdam Germaniæ territoriis et urbibus communio bonorum, successio conjugum, portioque statutaria, communicanda cum uxore

(g) Dist. 34. c. 4 et 5.

dignitas mariti, et morgengabæ præstatio inde pendent. 3) In plerisque tamen provinciis juris canonici principia prævaluerunt, atque adeo in dubio effectus matrimonii civiles non a conscensione thori, sed a benedictione sacerdotali proficiscuntur. *De Selchow Elem. Jur. Germ. privati etc. parte spec.* §. 458.

**) Matrimonium ad *Morgengabam* cur, nisi specialibus locorum legibus prohibeatur, per se vetitum censeatur, nihil est. Qui contrarium asserunt ex ea ratione, (h) quod in illo nati a *legitima* contra jus naturale excludantur; profecto inter *legitimam juris civilis*, quod determinatam hæreditatis portionem regulariter ceu legitimam filiis addicit, et inter *legitimam juris* naturæ, quæ præcise alimenta et sustentationem liberorum a parente exigit, haud distinxisse videntur. Quodsi 2) proles ex tali matrimonio prognatæ per pactum ab hæreditate excludantur solum ratione certarum personarum e. g. filiorum ex priori matrimonio natorum, his decedentibus, illæ, si cetera successionis capaces sint, jus regressus in bona patris habent. 3) Matri vero, quum jura familiæ maternæ non amittant, alioqui in alodiis, feudisque femineis succedunt.

***) *Disparagia*, qualia quidem jure naturæ nulla dantur, per leges humanas severius sæpe, atque per antiquas quasdam Germaniæ leges intentata etiam mortis, aut certe servitutis pœna vetabantur (i) 2) Quænam porro matrimonia inter personas illustres, inæqualia censenda sint, præsertim

---

(h) Dürr. Diss. de Matrim. æqual. vel inæquali personarum illustr. in German. Sect. II. §. 9. Thes. J. eccl. Tom. VI. pag. 597.

(i) Unmaßgebige Gedanken über die Ehen nach morgenathischen Recht, apud Luning in Staats-Consiliis tom. 2 sed vid. Pfeffinger Vitriarii illust. Tom. III. pag. 1306.

tim in Germania, pluraque alia ad jus civile publicum Germaniæ inprimis spectantia exponit. Cl. Dürr (k) aliique plures.

§. 609.

Quum matrimonium *in fieri*, ut ajunt, rationem *contractus* habeat, isque juri divino naturali et positivo, humanoque subjiciatur, (§. 607) liquet 1) hunc contractum et regulis, quæ cuilibet contractui *communes* sunt, et iis quas ei *singulares* triplex jus scripsit, esse subjectum: adeoque ad essentiam contractus matrimonialis requiri, ut secundum naturalis; positivæ divinæ, et humanæ legis normam adsint a) *personæ* ad contrahendum *habiles*; b) *consensus mutuus*, (l) *verus*, non simulatus, (m) *liber* a vi, metuve gravi injusto, (n) sufficienti modo *manifestatus*: (o) demum c) *forma substantialis* jure præscripta, id est ea, qua non servata contractus invalidus nullusque redditur.

§. 610.

Quoniam vero matrimonii instituti finis præcipuus est *proles procreanda*, et educanda; (§. 606.) facile intelligitur per contractum illum conjuges dare sibi mutuum jus in corpora ad actus generationi prolis per se idoneos. Proin

§. 611.

(k) Dürr. cit. Diss. Sect. IV. seqq.
(l) C. 1. de Sponsa duorum.
(m) C. 26. de Sponsal. et matrim.
(n) C. 14 et 15. 21. 29. eod. tit. Trident. Sess. XXIV. de Reform. Matr. c. 9.
(o) C. 3. de Sponsa duorum.

§. 611.

Matrimonium *valide* non contrahitur ab iis 1) qui lege irritante contrahere prohibentur; 2) qui ad actus generationi per se idoneos inter se sunt incapaces; 3) qui modo humano consentire nequeunt, vel non consentiunt 4) qui formam substantialem negligunt. (§. 609 et. seqq.)

§. 612.

Quibus generatim præmissis jam I. de *Impedimentis* matrimonii tum *generatim*; II. tum in *specie*; subin III. de *sponsaliis*, aliisque matrimonio præviis, IV. de ipso *contractu*, *adjunctis*, et *effectibus* matrimonii, postremo V. de *judice caussarum* matrimonialium et *divortio* breviter agemus.

ARTICULUS III.

De Impedimentis Matrimonii Generatim.

§. 613.

Ex iis, quæ mox (§. 609. sqq.) diximus, in aprico est, plura esse, quæ matrimonio contrahendo obstant; quidquid vero, quo minus illud *licite valideque* contrahi possit, impedit, *impedimentum* matrimonii dicitur 1) *impediens* quod illicitum dumtaxat, 2) *dirimens*, quod invalidum quoque matrimonii contractum reddit; 3) impedimentum est vel *juris naturalis*, 4) juris *positivi divini*, *) aut 5) juris *humani*, pro eo, ac ex horum quopiam ortum habet; 6) *privatum*, quod privatorum, 7) *publicum*,

um, quod communitatis bonum respicit; 8) *perpetuum*, aut non perpetuum; 9) *antecedens*, aut subsequens matrimonium etc. **)

*) Impedimenta ejus generis Deus per Moysen promulgavit, Levit c. XVIII. quæ his exprimere verbis solent:

Nata, Soror, Neptis, Matertera, fratris et uxor,
Et Patrui conjux, Mater, Privigna, Noverca,
Uxorisque soror, Privigni nata, Nurusque,
Atque soror Patris conjungi lege vetantur.

De quibus Impedimentis, quæ secundum consanguinitatis, et affinitatis gradum non excedunt, animadvertenda quædam. 1) Non convenit inter scriptores et interpretes, num lex hæc solum ad dictas personas, an et ad alias in eodem gradu junctas se exporrigat, 2) hæc impedimenta omnia et esse juris naturæ, et plane indispensabilia Novatores (a) asseruere: ea vero omnia haud esse juris naturalis, et quædam ex iis esse dispensabilia Tridentinum (b) docet, et praxis etiam ecclesiæ ostendit; quum in eorum quibusdam dispenset, atque ita clare monstret, aliqua eorum ad leges V. T. *judiciales* pertinuisse, quibus Christiani, nisi quas forte adoptarit ecclesia, haud ligantur. Cf. *Rupprecht Not. hist. in J. can L. 4 tit. I. n.* 76.

**) Impedimentum 1) ut matrimonium dirimat, seu invalidum reddat, ante contractum matrimonium præcedere seu *antecedens* esse debet: ob Impedimentum enim superveniens matrimonium valide contractum dirimi nequit. (c) Attamen 2) matrimonium *ratum* solum, et non consummatum per Pro-

---

(a) Lutherus, Buccerus, Melanchton, Calvinus, Beza.

(b) Sess. XXIV. de Sacr. matrim. c. 3.

(c) C. 25. caus. XXXII. c. 7. et can. 14. de conversione conjugum.

Professionem dirimi dicemus deinceps. 3) Equidem ob impotentiam supervenientem dissolvi vinculum matrimonii, videtur decidere Capitulum juris can. (d) Sed istud ex aliis legibus de impotentia antecedente commode explicandum est.

§. 614.

Porro de *impedimentis* has velim notari *regulas*: I. illa potestas, quæ, et quatenus contractum matrimonialem sibi subjectum habet, ei conditiones scribere; proin et impedimenta statuere potest. II. Impedimenta illius, ex quo oriuntur, juris naturam sequuntur: atque III. ad fori cujuslibet stilum, ac normam exiguntur. Igitur

§. 615.

Quum I. ea *potestas* legislativa, *quæ et quatenus* contractum matrimonii subjectum habet, impedimenta statuere possit: is vero contractus non modo divinæ, sed et potestati legislativæ humanæ tum ecclesiasticæ, tum politicæ, illi quidem quoad rationes et effectus spirituales, huic quoad temporales subjiciatur (§. 607) consequitur utramque potestatem ecclesiasticam et civilem jure sibi proprio *impedimenta* matrimonii: et quidem, si bonum publicum spirituale, aut temporale id poscat, *dirimentia* statuere posse. Atque

§. 616.

(d) Gregorii II. vel III. Rescriptum ad Bonifacium apud Gratian. c. 18. causs XXXII. q. 7. Vid. *Van Espen J. E.* u. p. II. tit. 3. c. 1. n. 1.

§. 616.

Ecclesiam posse jure sibi *proprio* et divinitus collato ex rationibus ad salutem ecclesiæ pertinentibus statuere *impedimenta* matrimonii, non solum *impedientia*, sed et *dirimentia*, quibus tam sacramenti, quam ipsius contractus valor concidat, persuasissimum, certumque habemus: id sane 1) tum *ratio imperii ecclesiastici*, tum 2) ipsa *contractus matrimonialis indoles*; tum 3) *praxis* quoque et *auctoritas ecclesiæ* demonstrat.

§. 617.

Enimvero eam omnem Christus ecclesiæ suæ dedit potestatem, quam, et quantam *salus reipublicæ spiritualis*, et recta S. *regiminis ratio* postulat: (§. 24. sqq.) jam vero nemo æquus rerum æstimator inficias iverit, eas posse adesse rerum determinationes, quibus existentibus publicum bonum ecclesiæ exposcat non prohiberi solum; sed et irritos declarari certi generis contractus matrimoniales. *) Quin itaque in iis rerum adjunctis ecclesia irritos id genus contractus facere possit, quis sanus dubitat? Quodsi Principes ob bonum publicum *temporale* contractibus quibusque adponere conditiones vi potestatis legislativæ possint, quibus non servatis contractus sint invalidi; cur ob *spirituale* bonum publicum id nequeat potestas legislatrix ecclesiastica? **)

*) Si salvo contractus matrimonialis valore ecclesia contra bonum spirituale contrahentibus non nisi rationem Sacramenti negare posset, profecto Sacramenti gratiam flocci penderent, aut leges eccle-

siasti-

siasticas hac in re negligerent non raro furore libidinis excœcati homines. Et vero quid in matrimoniis clandestinis olim, ubi adhuc valida erant, tentarunt, quid hodieque tentant quandoque id genus homines?

**) Verum contractus matrimonialis, inquiunt, prorsus *civilis* est: si quid in eo mutari ecclesia velit, civitatis Rectores, ut id faciant, moneat. Quid? nonne contractum matrimonialem eodem jure *naturalem*, aut *ecclesiasticum* dici posse, ac civilem ex supra (§. 607) allatis patulum est! Atqui ecclesia de illo non ob rationes, et quoad effectus politicos, sed quoad ecclesiasticos statuit. Quodsi ob hos invalidum declaret matrimonium: concident quidem indirecte effectus quoque civiles. At hoc facto ecclesia in politicam potestatem involare nulla veri specie dicitur; quemadmodum sane nec Princeps usurpatæ sacræ potestatis potest incusari in sententia eorum; qui Principem ob rationes politicas matrimonium posse invalidum reddere docent, licet eo facto *indirecte* ratio quoque Sacramenti impediretur.

§. 618.

Dein *contractus matrimonialis* 1) rationem *Sacramenti* obtinet; 2) non modo procreandæ, sed inprimis *pie christianeque* educandæ prolis caussa initur; 3) ordinatur æque, ut *fideles* cælo, atque ut regno nascantur cives, 4) a matrimonio recte, aut minus recte contracto tota vitæ ratio, et sæpe *æterna fidelium salus* pendet; 5) illud per leges *naturales* et *divinas* positivas dirigitur. (§. 607.). Quis porro ausit inficiari ecclesiæ potestatem ad determinandum Sacramenta rite et suscipiendi, et conferendi modum, ad procurandam prolium et conjugum salutem, ad leges divinas natu-

rales

tales positivasque explicandas, et ad condendas etiam novas disciplinares leges sese porrigere. Quum vero leges mere prohibentes heic non semper satis habeant efficaciæ; (§. præc.) sane quidem non modo legibus duntaxat prohibentibus, sed et *irritantibus* de matrimonii contractu decernere poterit ecclesia.

§. 619.

Id insuper confirmat 1) constans *ecclesiæ praxis*, qua tum impedientia, tum dirimentia matrimonii impedimenta et jure quidem *proprio* statuit; *) certe 2) hoc jus cum imperio ecclesiæ intime conjunctum est: (§. 617) 3) illud ecclesia semper tenuit, nec a quonam Principe illud tandem sit nacta, ostendi potest. 4) Ecclesia non semel perspicue ostendit, propriam se habere in re hac potestatem, et a civili independentem, 5) quam agnovere ipsi etiam Principes, dum non raro impedimenta ecclesiastica sibi relaxari peterent. 6) Accedit definitio Concilii Trid. (g) anathema in illos evibrantis, qui eam potestatem ecclesiæ negarent. »Siquis dixerit, *ecclesiam* non potuisse »constituere impedimenta matrimonium diri»mentia, vel in iis constituendis errasse, ana»thema sit.« **)

*) Jam 1) Canon apostolicus XXV. Clericis majoribus, qui cœlibes ordinati sunt, nuptiis interdicit. 2) Synodus Eliberitana A. 305. *consanguinitatis*, et *ligaminis* aliaque impedimenta constituit, aut con-

(g) Sess. XXIV. c. 4.

confirmat, (h). 3) Concilium Neocæsareense A. 314. per *affinitatem* matrimonium fieri irritum (i) pronuntiat, et in eo manentes a communione ecclesiæ abjicit. 4) Concilium Ancyranum A. 314. impedimentum *raptus* (k) firmat. 5) S. Basilius impedimentum *ordinis*, *voti*, *raptus*, *affinitatis*, et *conditionis servilis* memorat, et cum eo contracta matrimonia adulteria vocat, atque ita junctos secundum sanctiones a *Sanctis* traditas a se recedere, et separari debere (l) asserit. 6) Siricius, qui sedem Rom. A. 384. conscendit, impedimentum *voti* (m) confirmat, et tentata cum eo connubia per *leges publicas* et *jura ecclesiastica* condemnari testatur. 7) S. Leo I. nuptias earum, quæ viris suis in servitutem abductis secundum *leges civiles* aliis jungebantur, rescindi mandat (n). 8) Concilium Agathense A. 506 nuptias affinium et consanguineorum, etiam eas, quæ *lege civili* non prohibebantur, irritas pronuntiat. (o) Quarum aliarumque Synodorum hac de re decreta, quæ etiam nulla præcedente lege civili, immo nonnunquam contra eam edebantur, *vid apud continuatorem Tournelii Theol. moral. Tom. VIII de Matrim. c. 8. Art. 1. Casp. Juvenin comment. hist. et dogm. de Sacram. Diss. V. q. 6. c. 1. Gerbesium Tract. de Imp. matr. P. I. c. 4.*

**) Porro in scirpo nodum quærunt, verba torquent, aut verius, parum reverenter Concilii auctoritatem tentant eludere, qui *ecclesiæ* nomine Principes contra

---

(h) Can. 8. 9. 15. 16. 33. 54. 61. 66. 67.

(i) Can. 2.

(k) Can. 11.

(l) Epist. 1. can. et can. 18. 22. 24. 46. Vid. loca citata apud continuat. Tournelii Theol. moral. Tom. VIII. de matr. c. 8. Art. 1.

(m) Epist. ad Himerium Tarraconens. c. 6.

(n) Epist. 29 alias 129.

(o) Can. 61.

contra omnem hominum morem intelligunt, aut hanc potestatem ecclesiæ, non nisi jus a Principibus precario concessum dicere non verentur. Cætera non negamus ecclesiam aliquando statuta a se impedimenta per leges Principum confirmari, id est, earum legum executionem promoveri postulasse, (p) imo impedimenta a Principibus prius constituta probasse, sua fecisse, adjecta pœna firmasse. Sic e. g. Lateranense Concilium l. c. 5. » Conjunctiones consanguineorum fieri prohibe» mus, inquit, quoniam has et divinæ et seculi » prohibent leges. Quis enim dubitat, leges hu» manas rationi et honestati non repugnantes eas » esse amplectendas, præsertim ubi publicæ con» sulunt honestati. Eos autem consanguineos » dicimus, quos divinæ et Imperatorum Romano» rum atque græcorum leges consanguineos ap» pellant. « Igitur uti ecclesia sibi in suo ordine propriam impedimenta statuendi potestatem semper vindicavit, ita eam alia sub ratione in Principibus videtur agnovisse. Quare

§. 620.

Verosimilius est *Principes* quoque politicos propter *salutem publicam civitatis* per se posse statuere jure sibi proprio *impedimenta* contractus matrimonialis tum *impedientia*, tum *dirimentia*, queis per accidens ratio Sacramenti impeditur; id quod suadent 1) *ratio imperii politici*, cui propter bonum publicum contractus quivis subjecti sunt. Neque Christus bono publico, aut Principum potestati derogasse scitur, dum contractui matrimoniali Sacramenti virtutem indidit: 2) *Matrimonii indoles*, ut quod rationem contractus habet, et

 ad

(p) E. g. Synodus Moguntina A. 813.

ad bonum quoque politicum ordinatur: 3) *boni, malive effectus*, qui ex bene, maleve ordinatis matrimoniis redundare in rempublicam solent; 4) *praxis* piissimorum Imperatorum, et Principum, id genus impedimenta statuentium, (q) et de impedimentis judicantium. (r). Quis porro eos usurpatæ potestatis ausit accusare? Certe id ecclesia adeo nunquam fecit, ut eorum hac in re decreta probaret etiam et adoptaret, (§. præced.) *) sæpiusque ad eas leges provocaret. (s) **)

*) Huic opinioni, cui S *Thomas* favere videtur, (Cf. §. 607.) plures adsentiunt viri cordati probeque Catholici: *Sanchez* de Matr. L. 7. disp. 3. n. 2. Petrus *Soto* de matr. Sect. IV. B. *Gerbesius* de potest. eccl. et Princip, super Imped. matr. Petrus *Collet* continuat. Tournelii Theol. moral. Tom. VIII. de matr. c. 8. Art. 2. et Instit. Theol. Tom. V. pag. 562. *Billuart* Tom. XIX. pag. 419. *Rupprecht* Not. hist. in J. c. L. 4. tit. 1. §. 5. n. 78. sqq. Paul de *Riegger* Inst. J. Eccl. Tom. I. §. 81. sqq. *Schrodt* syst. J. publ. P. 2. §. 34. pag. 223. *Van Espen* J. Eccl. u. P. 2. tit. 13. c. *pluresque Canonistæ recentiores.*

**) Quid-

(q) Usum hunc manifeste faciunt Titul. juris civ. e. g. de ritu nuptiarum, de jure dotium etc. Digest. L. XXIII tit. 2. 3. 4. Item Codic. Lib. 5. tit. 4. sqq. de Nuptiis, de incestis, et inutilibus nuptiis etc. Item L. 6. Cod. de Judæis, L. un. Cod. de raptu virg.

(r) Plura exempla recitat Amort. vindic. jurisd. eccl. P. V. pag. 463. sqq.

(s) E. g. S. Augustin. de civ. Dei L. XV. c. 16. S. Ambrosius Epist. 84 alias 66. ad Paternum. S. Leo Epist. ad Rusticum Narbonens. Nicol. I. *Respons. ad Bulgaros.* c. 2.

**) Quidvero si impedimentum statueret alterutra (civilis ecclesiasticave) potestas, quod altera tanquam societati sibi commissæ noxium tolli, aut in casu singulari relaxari velit; tum quidem ea, quæ alias suggessimus (§. 344. sqq.) principia sequenda fore existimamus. Ceterum multis seculis, si quasdam hujus ævi excipias leges, potestas impedimenta dirimentia statuendi relaxandive uni ecclesiæ relicta est. Nempe

§. 621.

Quoniam ratio Sacramenti in matrimonio dignior est, atque etiam bonum civitatis publicum satis promoveri vulgo potest per leges civiles, quæ non ipsum contractum, attamen effectus temporales perimunt: dudum potestas impedimenta statuendi ipsum matrimonii contractum dirimentia soli ecclesiæ est relicta vel saltem non exercita amplius *) a Principibus, qui suas circa Christianorum matrimonium constitutiones salvo contractus valore ad solos effectus civiles restringere solent.

*) »Hoc constat, inquit Van Espen (t) ecclesiam »jam a pluribus seculis, et quidem privative et »cum exclusione Principum secularium impedi»menta dirimentia inter Catholicos ordinasse, ea»que pro temporum et locorum circumstantiis »nonnunquam extendisse vel limitasse aut etiam »relaxasse.« 2) Petrus Soto jam a seculo VI. circa impedimenta solam ecclesiam judicasse putat. 3) Petrus Collet (u) Reges Francorum e. g. Childebertum A. 595. Carolomannum 743. Carolum Magnum, et Carolum Calvum unius ecclesiæ judicio matrimonia reliquisse ex argumentis quibus-

(t) Jur. Eccl. univ. P. II. tit. 13. c. 1. n. 16.
(u) Contin. Theol. Moralis Tournelii Tom. VIII. de *Matr.* c. 8. Art. II. pag. m. 516.

dam allatis asserit. Contra 4) Rupprecht (x) eam disciplinam, vi cujus nihil Principes jam circa vinculum matrimonii decernebant, Sec. XII. stabilitam credit. . . 5) Alii nullum certum moris hujus tempus adsignant. *P. Riegger Inst. J. Eccl. Tom.* 4. *Cf. Benedict. XIV. de Synodo Diœces. L.* 9. c. 2. §. 5.

§. 622.

Ex eo, quod II. impedimenta *ejus*, a quo *oriuntur*: *juris* naturam sequuntur, (§. 614.) intelligimus 1) cur impedimentum*) *juris naturalis*, et divini positivi, ut ipsum jus naturæ, omnes omnino homines obligent, et ab humana potestate equidem explicari, non tamen per dispensationem propriam possint relaxari: 2) cur impedimenta *juris humani*, a) uti jus et leges aliæ humanæ ab ea, a qua profectæ sunt, potestate vel omnino tolli, vel solum intuitu aliquorum relaxari queant: 3) cur b) eadem per consuetudinem induci et abrogari possint: cur c) cessante, ob quam statuta sunt, caussa: aut si communitati inutilia, aut noxia fiant, vi obligandi excidere deberent: cur d) in iis statuendis, relaxandis, tollendis, bonum publicum necessario spectandum, rectusque intuitu salutis publicæ temporalis, ac spiritualis ordo (§. 330) servandus sit.

*) Inde patulum est, non quidem homines necdum baptizatos, ac omnes alios, etiam Principes, ceu ecclesiæ membra impedimentis ecclesiasticis ligari. Iis item per se obstringi omnes Acatholicos vulgatissima quidem multorum est sententia: nihilominus Protestantes Germaniæ impedimentis mere eccle-

---

(x) *Not. hist.* in jur. can. L. 4. tit. 1. n. 86.

ecclesiasticis solutos esse magni nominis viri jure existimant: Etenim 1) iis servandis sæpe magna obstat difficultas, non raro moralis etiam impossibilitas; 2) ea per diuturnam consuetudinem contrariam abrogata videntur: 3) nec ullo cum bono, sed magnis cum incommodis atque adeo vix prudenter urgeri possunt; proinde 4) aut quoad Protestantes, qui specialem formant ecclesiam, ipsa sua inutilitate cessant, aut 5) saltem abroganda dudum erant, imo pro abrogatis jure merito habentur, (y) sane 6) jam totum S. R. Imperium, Gallia itidem et fœderatum Belgium, (z) matrimonia cum iis impedimentis a Protestantibus contracta pro legitimis habet: imo ipsæ ecclesiæ germanicæ ea valida esse haud obscure significant, dum 7) ad catholica Sacra conversos in id genus matrimoniis absque dispensatione relinquunt, et filios ex his matrimoniis procreatos, si ad Sacra catholica accesserint, absque ulla dispensatione ad S. Ordines dignitatesque ecclesiasticas admittunt. Et vero 8) ut id genus matrimonia valida habeantur, exigit necessaria S. R. I. quies, mutuumque commercium, exigit et bonum animarum: certe 9) contraria opinio gravissimum Acatholicorum ad Sacra nostra conversioni ponit impedimentum. (a) Denique 10) matrimonia contracta eo usque firma validaque habenda esse jus canonicum (b) jubet, donec ea irrita esse certissime constet. Neque vero 11) ea invalida esse ostendunt quædam nuptiarum propter impedimenta ista, ut ferunt, per apostolicam sedem dissolutarum exempla; neque 12)

 itidem

(y) Ita quoad Belgium Cardinales et S. Pœnitentiaria Episcopo Castoriensi A. 1671 responderunt teste Martin de Svvæn Diss. de spons. duorum apud Van Espen J. E. univ. P. II. tit. 12. c. 5. n. 33.

(z) Idem Svvæn apud Van Espen L. c. n. 32.

(a) Van Espen ibidem.

(b) Ex reg. jur. c. final. de sent. et re judic. c. 47 de testibus, et attestationib.

itidem id evincunt contrariæ quædam, quas proferunt, Congr. Cardinalium declarationes. Etenim praeterquam, quod caussæ, ob quas illæ nuptiæ dissolutæ dicuntur, haud satis cognitæ sint; Cardinalibus vel de contraria consuetudine, vel de rerum situ non semper constare potuit. Quid? quod dictæ decisiones ne semper quidem sibi consenserint; quum nunc pro validitate, nunc pro nullitate talium matrimoniorum pronuntiarint. *Zallwein Princ. J. E. Tom. 2. q. 3. c. 7. §. 6 et Benedict. XIV. Declaratio super matrim. inter Protest. et Cathol. et relationes Antist. Belgii. Item Diss. Do. Cavalchini Archiep. Philip. colon. 1746.*

§. 623.

Ex eadem regula discimus porro, quod 1) jus statuendi impedimenta ecclesiæ proprium cum jurisdictione ecclesiastica connectatur; et proinde a quovis Episcopo exerceri per se queat. 2) Consuetudine tamen restricta hac in re jurisdictio Episcoporum est, jusque impedimenta dirimentia statuendi, ceu caussa major Conciliis generalibus, et Papæ reservatur, 3) Episcopis solum jus impedientia constituendi salvum manet.

§. 624.

Quum legis gratiam is facere possit, a quo profecta lex est, intelligimus 1) quod ecclesiasticus civilisque magistratus quivis solum in impedimentis a se, non ab altero, constitutis possit dispensare, * 2) quod impedimenta dirimentia uti constitui, ita et relaxari regulariter solum a Pontifice, aut œcumenico Concilio queant: ** 3) in impedimentis au-

tem impedientibus dispensare possit Episcopus. Excipiendum vero votum castitatis perpetuæ et ingrediendi religionem Papæ reservatum; item impedimentum sponsalium, ut quod jure naturali obligat. 4) Quoniam tamen reservatio pontificia ecclesiæ bono subordinata esse decet; Episcoporum in relaxandis impedimentis potestas, quatenus hæc cuique ad regimen suæ ecclesiæ necessaria est, coarctari nequit. ***) Denique 5) reservatio pontificia, eoquod *ordinariam* Episcoporum potestatem restringat, in dubio contra reservantem et strictius interpretanda est. (c) Quocirca, etsi Pontifex relaxationem voti perpetuæ castitatis sibi reservarit, Episcopus tamen potest in voto S. ordines suscipiendi, vel non nubendi dispensare.

*) Unde etiam me non monente quivis intelligit, Catholicos, ut impedimentorum ab *ecclesia statutorum* dispensationem a Domino territoriali protestantico petant, vel validam habeant, cogi non posse; iis enim nihil, quod conscientiæ, et religioni ipsorum contrarium sit, injungi posse jam alibi monstravimus. (§. 380. n 4.) *Vid. Cl. Dürr. Diss. de Domino territoriali protestantico suis subditis catholicis in impedimentis matr. jure ecclesiastico dirimentibus nulliter dispensante. Thesaur. J. E. Tom. VI. pag.* 638. *sqq.* Argumenta contraria dissoluta lege pag, 663. sqq. Imperatores in impedimentis a se inductis dispensarunt: ita nuptiæ inter pupillam et tutorem ejusve filium jure civili vetitæ, tamen ex *dispensatione* Principis iniri poterant. *L. 7. Cod. de interdicto matrimonio inter tutorem etc.*

(c) *Barthel* Annot. in Engel J. c. L. 4. tit. 16.

Cf. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 14. c. 1. n. 2.

**) Quemadmodum Episcopi et Concilia particularia olim propria auctoritate impedimenta constituerunt: (§. 619. not.) ita in iis dispensare quoque poterant: et, licet 2) olim uti in aliis, ita et in hoc disciplinae articulo raro admodum (d) legis facta gratia est; quaedam tamen 3) dispensationis ab Episcopis concessae exempla occurrunt: insigne quoddam nobis exhibet Concilium Triburiense A. 895 quod viro permisit, defuncti fratris viduam, cum qua ante jam peccarat, uxorem ducere. 4) Qua quidem potestate usque ad sec. XI. vel XII. usos fuisse Episcopos viri graves (e) testantur. 5) Nec deinceps ea potestas ullo canone universali ademta Episcopis est: (f) sed paullatim, dum a sec. XII. Episcopi saepius anxii ea in re ad Pontificem recurrerent, ipsa in impedimentis dispensandi facultas per usum ad Pontificem devoluta creditur. (g) » Nempe cum consuetudini universali eandem vim tribuant interpretes, atque in aliquibus impedimentis hactenus solus Papa dispensaverit, in his usu limitata censetur potestas Episcoporum.« (h) 6) crescente porro dispensationum frequentia et facilitate Tridentinum (i) decrevit: » ut in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex caussa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob pu-

(d) Vid. Van Espen. J. E. un. P. II. tit. 14. c. 1. n. 4.

(e) Thomassin de V. et N. disc. L. III. c. 27. n. 5 et c. 29. n. 10. Barthel l. cit.

(f) Ita testantur Gibert de eccl. t. 7. de Praelat. Barthel, et Van Espen l. cit.

(g) Barthel loc. cit.

(h) Verba sunt Hedderich element. J. c. L. 3. §. 407.

(i) Trid. Sess. XXIV. c. 5. de Reformat.

»publicam caussam.« . . . Videmus nihilominus frequentes et Romae et alibi hac in re dispensationes concedi.

***) Cessat itaque reservatio, et dispensare potest Episcopus, ubi dispensationem sine damno ecclesiæ suæ, aut animarum periculo omittere nequit: Idcirco possunt, solentque Episcopi dispensare 1) *post matrimonium* cum impedimento dirimente publice et bona fide saltem unius contractum, si sic conjuncti separari sine gravi damno, aut scandalo nequeant, nec accedi facile Pontifex queat; 2) *ante matrimonium* contractum, ubi periculum in mora est. 3) *Vi quinquennalis privilegii* a Papa concessi Episcopi Germaniæ in pluribus impedimentis dispensant c. g. a) in tertio, quartove *consanguinitatis* et *affinitatis* gradu, qui secundum non attingat; b) in gradu etiam tertio secundum attingente, si matrimonium jam sit bona fide contractum; immo etiam circa matrimonium contrahendum in *forma pauperum*; c) cum *hæreticis conversis* in gradu secundo; d) in cognatione spirituali præter levantem, et levatum; e) in impedimento publicæ honestatis et sponsalibus, f) in impedimento criminis neutro tamen conjugum machinante etc., quam facultatem etiam aliis idoneis sacerdotibus delegare Episcopi possunt. Denique Episcopi Germaniæ etiam gravibus ex caussis dispensant in impedimentis inter partem alteram catholicam, et alteram protestantem; etsi enim Papa ex ratione status, ne unquam pacto Religioni præjudicioso consentire videatur, aut omnino non, aut non nisi cum hæc clausula: *abjurata prius hæresi* dispenset: Episcopi tamen Germaniæ ad normam status et systematis imperii, ob præcavenda mala majora jure se accommodant Barthel annot. ad Engel J. C. l. 4. tit. 16. Cf. Van Espen J. Eccl. un. P. II. tit. 14. c. 1.

§. 625.

Ceterum III. ad fori ecclesiastici *stilum*, *modum* item et *solemnitates* in dispensationibus impedimentorum petendis et exequendis quod adtinet; 1) dispensatio petenda est vel Romæ a *Dataria*, aut a *Pœnitentiaria*, vel ab Episcopo proprio, * 2) *caussæ* semper legitimæ allegandæ, ** 3) ea, quæ stilus curiarum requirit, rite exprimenda sunt: *** 4) pro varia dispensationis forma varius ejus *exequendæ* modus exacte servandus. ****)

*) Porro I. *Pænitentiaria* ad quam petitio Cardinali ejus Præsidi inscripta non vero, sed ficto solum oratorum, seu supplicantium nomine expresso dirigenda est 1) *gratis*, 2) pro *foro* duntaxat *interno*, et 3) solum in *occultis* impedimentis et ad forum contentiosum non deductis dispensat. Excipe tamen impedimenta consanguinitatis, et affinitatis ex copula *licita*, cognationis item spiritualis, in quibus quantumcunque occultis nunquam ad contrahendum, aliquando tamen ad permanendum in contracto dispensat: in ceteris præter primum et secundum: consanguinitatis vel affinitatis gradibus, modo occulti sint, id est aliis plane incogniti, vel paucis duntaxat personis ita cogniti, ut eorum porro divulgandorum periculum absit. Potestatem hujus tribunalis certis ea in re limitibus determinavit Benedictus XIV. constit. *Pastor bonus* A. 1744. II. *Dataria* contra, ad quam directa petitio ipsi Papæ inscribenda oratorum nomen verum, cognomen, Diœcesin contineat, necesse est, 1) *pro foro* præcipue *externo*, 2) in impedimentis *publicis* et gravioribus etiam, atque maxime, pro matrimonio contrahendo dispensat, 3) *taxamque* exigit *majorem* quidem, si in *forma pro nobilibus* ex rationibus non adeo gravibus; *minorem*, si in *forma pauperum* dispenset, in

qua

qua tamen nisi ob copulam inter oratores habitam, aut infamiam mulieris ex suspecta conversatione ortam dispensatio dari non solet. *Pauperes* hic dicuntur, qui actu non tantum bonorum possident, ut ex iis vivere juxta statum queant, nisi labore manuum vel industria alia, aut assumto officio politico simul sibi congruam sustentationem compararent. (k) Veritas paupertatis per authenticum Ordinarii testimonium petitioni adjectum comprobanda est. *Taxam* item *minorem* Dataria exigit, si dispensationem elargiatur *in forma communi*, seu ubi adsunt caussæ vulgo sufficientes. Porro **) *Caussæ dispensationis* heic sunt 1) ætas oratricis superadulta 24. annorum, 2) dos minus competens: 3) difficultas obtinendi virum conditione parem ob loci, in qua femina habitat, angustiam: item 4) oratricis imprægnatio, aut 5) suspicio copulæ habitæ, seu infamia ob suspectam conversationem cum oratore: quæ, quominus alium sponsum facile invenire queat femina, itidem impedit: 6) periculum hæresis ob viciniam cum Acatholicis: 7) evitatio litium, scandalorum, inimicitiarum: 8) conversatio bonorum in familia, 9) excellentia meritorum versus ecclesiam: 10) dignitas personarum etc. Ob enumeratas caussas regulariter in remotis duntaxat gradibus dispensatur; in secundo autem gradu æquali, vel in mixto, nisi ob caussam, quarto, quinto, sexto loco memoratam, haud solet dispensari. Immo ob caussam sextam, seu hæreseos periculum avertendum non raro in gradibus etiam maxime propinquis, et quidem a Congregatione S. Officii dispensatio conceditur. (l) Porro circa has, aliasque dispensationis caussas, et objecta, semper ea, quæ stilus curiæ exprimi jubet, curate exponenda sunt: Nempe

***) Ge-

(k) Barthel Annot. ad J. C. P. Engel l. 4 tit. 16.
(l) Idem ibid.

***) Generatim ubi agitur I. de *matrimonio contrahendo* 1) impedimentum rite in sua specie, gradu, linea, origine ex uno vel pluribus fontibus etc., et quidem 2) si duplex adsit publicum et occultum: in Dataria illud, utrumque in Pœnitentiaria declarandum. 3) Si copula inter oratores intercesserit, exprimendum curate, an ea fors habita, aut ejus habitæ suspicio fors excitata sit, dispensationis facilius obtinendæ caussa: item num una, num utraque pars, quam inter copula intercessit, impedimentum cognitum habuerit. Quæ quidem declarare adeo necessarium creditur, ut si e. g. gradus remotior loco proximioris, aut impedimentum etiam minus, sed alterius speciei, quamvis ignoranter fuerit expressum, dispensationis literæ prorsus invalidæ habeantur. (m) II. *Matrimonio jam contracto* declarandum, 1) an bona unius, vel utriusque fide, 2) an spe dispensationis facilius obtinendæ, 3) an publice, vel omissis denuntiationibus contractum, an consummatum. Denique III. *petitio, ne* rejiciatur, stilo plano, es simplici exaranda est.

****) Porro 1) id genus dispensationes olim in *forma gratiosa* ut plurimum concedebantur: hodie autem dispensationes extra curiam in *forma commissoria*, ut ajunt, (Cf. §. 139.) dirigi solent ad commissarios, qui caussis in partibus rite examinatis demum auctoritate apostolica dispensant. 2) Committit autem *Dataria* dispensationes suas Ordinario, quo nomine heic non Episcopus solum, sed ejus etiam Vicarius, seu Officialis venit. Defertur porro hæc delegatio non his duobus simul, sed alterutri: item non personæ eorum, sed dignitati aut officio, ut proinde eas nec alter alterius loco, nec Capitulum sede vacante loco Episcopi exequi queat; contra successor tum Episcopi, tum Officialis sine nova delegatione illas executioni dare possit. 3) Quodsi contrahere volentes sint Diœceseos

(m) Vid. Van Espen J. E. u. P. II. tit. 14. c. 3.

ceseos non unius, tum utraque quidem exprimenda in petitione; dispensationis autem literæ ad Ordinarium mulieris dirigi et ab hoc executioni dari solent. 4) *Pænitentiaria* literas suas confessario per Ordinarium approbato, et nisi alius certus petatur, Theologiæ Magistro, aut Juris canonici Doctori committere consuevit. Unde 5) dispensationes *Dataria* ab Episcopo, ejusve Vicario generali in foro externo; dispensationes *Pænitentiaria* pro foro interno a confessariis per Ordinarium loci illius adprobatis quibuscunque, aut, si certæ personæ e. g. Doctores, Licentiati exprimantur, ab his, aut privilegiatis aliis necessario *exequenda* sunt, servatis omnibus, quæ in literis dispensationis exiguntur; præmisso inprimis, si aliunde non constet, rigoroso examine, an res ita, ut in petitione exposita est, reapse se habeat. 7) Hæc literarum apostolicarum executio gratuito prorsus fieri debet: imo plerumque, qui eas literas exequitur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vel ab ultro oblatis muneribus per adpositam clausulam jubetur abstinere. 8) Si post literas dispensationis seu mandati de dispensando obtentas quidem, sed nondum executioni mandatas inter consanguineos, affines, aut spirituali cognatione junctos copula intercesserit; corruet dispensatio, aut saltem ante novas obtentas literas executioni dari nequit: (n) quare eo in casu nisi Episcopus forte dispensare queat, obtinendæ sunt literæ, quas vocant *perinde valere* Ceterum plura qui cupit, hæc perquam prolixe explicata passim tum in Theologis, et Canonistis deprehendet, tum præcipue in iis, qui ex proposito hæc tractant. e. g. *Pyrrhus Corradus Praxis dispensat. apost. Thomas de Rosa tract. de executorib. liter. Apostol. Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 14 *c.* 2 *sqq. etc.*

ARTI-

(n) Pyrrhus Corradus L. 5. c. 1. n. 87.

ARTICULUS IV.

De Impedimentis Matrimonii speciatim.

§. 626.

Impedimenta matrimonii *impedientia* olim plura, hodie *) quatuor numerantur, hoc comprehensa versu: *ecclesiæ vetitum*, *feriæ*, *sponsalia*, *votum*. Denotat porro 1) ecclesiæ *vetitum* interdictionem matrimonii a Superioribus ecclesiasticis ob justas caussas factam; 2) *feriarum* nomine intelligitur heic tempus ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ; et a die cinerum usque in octavam Pachatis inclusive, quo tempore orationi, aut pœnitentiæ inprimis destinato, olim ipse conjugii usus inconveniens habebatur: (a) hodie nuptialis saltem solemnitas, imo regulariter vi consuetudinis nuptiæ etiam non solemnes citra Episcopi facultatem celebrari vetantur. 3) *Sponsalia* prius cum alio contracta, nec deinceps legitime soluta, prohibent, quominus cum alio inire matrimonium liceat; contractum tamen irritum haud reddunt. 4) *Votum* simplex castitatis, non nubendi, aut amplectendi statum, qui cum matrimonio consistere nequit, scilicet votum religiosum ordinem profitendi, sacros ordines suscipiendi, matrimonium contrahendum equidem impedit, contractum tamen non dirimit. **)

*) Olim

(a) Vid. c. 1 et sqq. Caus. XXXIII. q. 4 et c. 4. *de feriis.*

*) Olim frequens erat criminum pæna ecclesiastica, perpetua matrimonii interdictio. Ita Matrimonium impediebant delicta his expressa versibus: *Incestus, Raptus sponsatæ, mors mulieris: Susceptus propriæ sobolis, Mors presbyterialis: vel si pæniteat solenniter, aut monialem accipiat, prohibent hæc matrimonium sociandum.* At vero hæc ex delictis istis orta impedimenta impedientia per universalem consuetudinem sublata esse passim tradunt. Impedimentum itidem *catechismi* (b) sive spiritualis quædam cognatio inter personam baptizatam, et eum, qui pro ea in baptismo solum respondit, per Tridentinum (c) esse abrogatum, communior habet sententia. *Cf. Van Espen J. Eccl. un. P. II. tit.* 13. *c.* 2.

**) Votum *simplex*; nam matrimonium non impeditur solum, sed dirimitur etiam per *votum solenne* seu » quod solennizatum fuerit per susceptionem » sacri ordinis, aut professionem expressam vel ta- » citam factam alicui ex Religionibus per sedem » apostolicam approbatis. « (d) Quodsi *votum castitatis simplex* post sponsalia primum nuncupatum sit, non valebit in præjudicium alterius partis; neque enim Deus ita acceptat; *votum vero Religionis profitendæ* valebit, implendumque erit. Etenim etiam post matrimonium ipsum ratum, nondum consummatum, licet conjugum utrique aut alterutri invita etiam altera conjuge Religionem ingredi.

§. 627.

Impedimenta dirimentia, quæ varia ratione induci supra (§. 611.) jam observavimus, commode ad quatuor reducuntur classes, scilicet I. ad *defectum assensus interni*, quorsum error, con-

(b) C. 5 de cognatione spirit. et c. 2. eod. tit. in 6.
(c) Trident. sess. XXIV. c. 2 de Reform. Matrim.
(d) C. un. de voto et voti redemt.

conditio, vis, raptus spectant: II. *ad defectum libertatis externæ*, quo votum, ordo, ligamen referri poterunt: III. ad *defectum personæ* seu ad inhabilitatem a natura, vel lege ortam, quo impotentia, ætas immatura, cultus disparitas, crimen, cognatio naturalis, spiritualis, legalis, affinitas et honestas publica trahi queunt: demum IV. ad *defectum solemnitatis* pertinet clandestinitas. Hæc impedimenta ante matrimonium contracta, seu antecedentia esse debent, ut illud dirimant: ob impedimentum enim superveniens nequit contractum valide matrimonium dirimi. (§. 613.) Porro universa impedimenta dirimentia memoriæ caussa his versibus comprehendi solent:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto. *)

*) Ex impedimentis 1) *impedientibus* quidem *juris naturalis* sunt *votum* et *sponsalia*, nam res uni promissa alteri licite non traditur: 2) ex *dirimentibus* juræ naturæ matimonium irritum reddunt error et verosimilius metus gravis injuste incussus, item ætas infantilis, impotentia, consanguinitas in linea recta, demum juxta aliquos ligamen; 3) cetera *juris positivi* censentur. Quoniam de omnibus pro dignitate dicere nec temporis nec propositi ratio sinit; satis esto generales saltem notiones, ac regulas subministrare, servato eo, quem mox indicavimus, ordine. Itaque

§. 628.

§. 628.

Ob defectum *interioris consensus* matrimonium dirimit I. *error.* Contingere autem heic potest error vel a) *circa personam*, dum quis fallitur circa ipsam personam, diversamque ab ea, quæ præsens est, vult sibi matrimonio jungere: vel b) *circa qualitatem* personæ, quum quis e. g pauperem, ignobilem, corruptam duxerit, quam divitem, nobilem, virginem falso credidit. Evenit aliquando, ut c) *error qualitatis redundet in personam* erroremque personæ involvat, quod tunc fieri dicitur, quum qualitas, circa quam erratur, individuum hoc seu personam determinat, eamque a quavis alia distinguit: vel, ut alii explicant, quando animus contrahentis sic fertur in eam qualitatem, ut implicite nolit personam, si ipsi desit qualitas, in qua erratur. Rursus *error* uterque vel est d) *antecedens*, qui dat caussam contractui, ita, ut, si erratum non fuisset, nec contractus fuisset initus; vel est e) *incidens*, seu *concomitans*, qui non dat caussam contractui, ut is, etsi abesset error, nihilominus iniretur. Porro 1) *error circa personam ipsam*, sive *antecedens* is fuerit, sive *incidens* solum, matrimonium ipso jure naturæ dirimit; eoquod consensum in ipsam personam tollat. Et sane, qui Rachaelem ducere intendit, in Liam, quæ præsens est, et pro Rachaele habetur, haud consentit. Nihil quippe volitum, nisi præcognitum. Ne-

que sufficit, quod incidentem errorem committens, licet scivisset adesse aliam, consensurus tamen fuisset. Namque non consensus, qui futurus erat, sed qui actu fuerat, matrimonii contractum efficit. Contra 2) *error circa qualitatem*, sive *incidens*, sive *antecedens* etiam, regulariter non dirimit matrimonium. Etenim error hic consensum in personam ipsam, et in matrimonialem contractum, ad cujus essentiam illa qualitas haud pertinet, minime tollit. Nec obstat, quod melius de ea qualitate instructus non *voluisset* contrahere. Aliud siquidem est *non voluit*, aliud *non voluisset*: illud consensum excludit, non istud. Dein matrimonium est contractus *completus*, per se *absolutus*, et *perpetuus*, quem, si salva sit ejus substantia, boni publici ratio rescindi haud sinit. *) Quare 3) *error circa qualitatem, qui redundat in personam*, non tanquam error qualitatis, sed ceu error personæ, dirimit matrimonium. Tollit quippe et iste error consensum substantialem, ut patet. **) Rursus matrimonium dirimit 4) *error circa qualitatem*, cui ceu conditioni suum consensum *expresse* quis alligavit, ita, ut non nisi ea qualitate præsente voluerit, ea absente noluerit contrahere; nam deesse consensum per se patet: et contractum *conditionatum* deficiente conditione esse nullum, nemo nescit. Demum secundum alios matrimonium dirimit 5) *error circa qualitatem*, cui ex *communi hominum æstimatione* contrahentium consensus tacite affixus merito creditur ***)

*) Et

*) Et vero si id genus errores circa qualitatem personæ, etsi caussam dent contractui, valori matrimonii obstarent, in tanta similium errorum frequentia hoc ex capite plurima matrimonia non sine summo utriusque reipublicæ detrimento nulla futura essent, aut summe dubia, et incerta. Bonum itaque publicum exigit, ne consensus iis qualitatibus alligetur, aut alligatus esse credatur. Merito proinde, qui exterius consensit, nisi dissensum internum, aut expresse adpositam conditionem probare certo queat, in foro externo non auditur. Et latum profecto inter sponsalia *de futuro* aliosque contractus civiles, et inter matrimonium discrimen est. Illa namque, ceu actus futurus et nondum completus, et hi, ceu actus rescindibiles, et mutabiles facilius conditiones admittunt, quam matrimonium, contractus de se absolutus, indissolubilis et perpetuus etc. *Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 13. *c.* 3. Cf. Pl. Böcklin comm in Decret. L. 4. tit. 1. n. 39. sqq.

**) Erroris talis, qui in personam redundet, exemplum vulgo assignant; si Principi offeratur filia tanquam primogenita, et regni hæres; qualis tamen haud sit. « Solet enim, inquit idem Van » Espen, illius animus ita ferri in hanc qualita- » tem, ut si circa illam sit error, nolit istam » personam: vel potius quia juxta prudens judi- » cium judicari debet, quod censeatur noluisse » illam filiam hac qualitate destitutam. Quando- » nam autem juxta prudens judicium quis cen- » seatur non velle personam, si huic desit quali- » tas, circa quam errat, frequenter est incertum.« *Ita Van Espen loc. cit. vid. c.* 18 *de sponsalib.*

***) » In hac materia satis difficili, inquit Petrus col- » let (e) advertendum est, eum, qui personam jam

 » antea

(e) Instit. theol. moral. Tom. V. de Matrim. c. 7 *pag.* 565.

» antea visu cognovit, eamque absolute ducere » voluit, si decipiatur existimando eam esse nobilem vel primogenitam, valide tamen cum ea » contrahere; etiamsi contrahere nollet, si hanc » ignobilem esse cognosceret, quia non erat circa » personam sed circa accidentia. Hoc nixi principio docti quidam Sorbonistæ definierunt valere matrimonium in sequenti casu: Advena » quidam jactitabat se illustri familia ortum, et » eo titulo frequens erat in domo viri nobilis, cui » erat filia matura viro. Placuit utrique advena, » unde ei nuptias sposponderunt, si genus suum probaret. Protulit ille ficta testimonia » et celebratæ sunt nuptiæ. Comperta posthac » hominis novi fallacia, quæsitum est, an valeret » matrimonium istud. Asseruere prædicti Doctores: quia deceptio tota fuit circa qualitates, » nulla circa personam, puellæ cognitam, et in » quam ipsa consensit, licet secluso dolo minime » consensura.« Huic prorsus contrariam casus similis resolutionem a Reutlingero datam refert Pl. Böckhn, qui ex clericatus monet 1) bene expendendum esse sensum harum Propositionum: *Petrus vult contrahere cum hac femina præsente, quam putat esse primogenitam Pauli: et Petrus vult contrahere cum primogenita Pauli, quam putat esse feminam præsentem.* In prima propositione, inquit, » cum persona non determinetur » per qualitatem primogenituræ, sed per præsentiam, error qualitatis primogenituræ non afficit » substantiam, nec dirimit matrimonium At vero in secunda. Unde si femina præsens non » fuerit primogenita, nihil actum censetur. Addit: 2) si *qualitas* sit *finis* matrimonii, ac istud » mere loco medii ad illum consequendum eligatur; illa evadit substantialis . . ubi error vitiat matrimonium.« *Ita Böckh. loc. tit. n.* 45.

§. 629.

§. 629.

Ex eodem consensus defectu matrimonium dirimit 1) *conditio* *) scilicet, seu *status propriæ servilis* ab altero contrahente libero *ignoratus*: **) item 2) *conditio* adjecta *impossibilis*, cui consensus *vere* fuit alligatus: etenim quum ea impleri nunquam possit, consensus quoque perpetuo deerit: 3) *conditio fini, et substantiæ matrimonii* id est generationi prolis, fidei conjugali, perennitati matrimonii *repugnans*; hæc enim, quia cum matrimonio consistere nequit, impossibilis censetur. ***)

*) 1) Jure Romano servorum matrimonium ignorante invitove domino plane invalidum habebatur. Quas leges secuta etiam est ecclesia: (f) At quum propter existimatam saltem legem seu apocryphum Lucii decretum indissolubilia pronuntiarentur servorum matrimonia: (g) Gratianus eas leges conciliaturus inter *scienter* et *ignoranter* cum servilis conditionis hominibus contrahentes distinxit: quo factum, ut deinceps *conditionis servilis* impedimentum ad casum erroris restringerentur. (h). Porro 2) dum de impedimento conditionis agunt, *conditionis* nomine heic plerique solam conditionem servilem intelligunt, alii conditionem servilem ad errorem reducentes, accipiunt conditionem, ceu circumstantiam, a qua actus tanquam ab eventu incerto suspenditur. Nos utrumque sensum conjunximus.

**) Quadruplex servorum genus distinguunt a) *domesticos* seu famulos mercede conductos; b) *adscriptitios*,

(f) C. 8 caus. 29. q. 2.
(g) C. 1 ibid.
(h) C. 1. de conjug. serv. Cf. Van Espen. J. E. un. P. II. tit. 13. c. 3. et Paul Riegger instit. J. E. L. 4. §. 170 sqq.

titios, et, qui ex his nascuntur, originarios, certæ glebæ adscriptos, qui certos agros colere tenentur, sibique vitæ necessaria duntaxat reservare possunt: c) mancipia stricte dicta, quæ a Domino ceu res vendi, aliis locari etc. possunt: d) servos pœnæ, qui ex judicis sententia ad pœnas, e. g. ad triremes, ad exilium perpetuum damnati sunt. Porro de servis domesticis et glebæ adscriptis heic non quæritur, neque de servis pœnæ ecclesia quidquam statuit: unde mancipia proprie dicta hoc loco intelliguntur. Quod servitutis genus quoniam inter christianos fere est incognitum, servilis conditionis impedimentum itidem in terris nostris pene exolevisse plures existimant.

***) Aliæ conditiones 1) turpes in favorem matrimonii pro non adjectis habentur, vel potius non serio adjectæ, aut consensum non exclusisse præsumuntur. Quocirca, usque dum contrarium in jure externo demonstretur, contractum cum illis matrimonium validum habetur, (i) 2) conditiones honestæ de futuro, consensum usque ad conditionis eventum suspendunt, impletæ absolutum faciunt: habentes deinceps copulam renunciare conditioni ipso facto præsumuntur, ita, ut in foro externo probatio contra hanc præsumtionem non admittatur: (k) 3) conditiones honestæ de præterito vel præsenti pro eo, atque actu veræ falsæve sunt, consensum, et contractum statim validum, vel invalidum reddunt. Porro ut quis in foro externo fidem inveniat, qui conditionatum contractum allegat, adjectam conditionem per testes omni exceptione majores probare debebit.

§. 630.

Liberum itidem assensum tollit, atque adeo matrimonium dirimit III. *vis* seu *metus gravis*

(i) C. final. de conditionibus appositis.
(k) C. 5 et 6 de conditionibus appositis.

vis a caussa libera ad extorquendum in nuptias assensum injuste incussus, *) quo aliqui importunas quoque preces, aut minas non vanas cum metu reverentiali conjunctas referunt. (l) Validum tamen in foro externo præsumitur matrimonium, si pars metum passa et nullitatis conscia 1) per sesqui annum sponte cohabitet, aut 2) libere posthac copulam, quippe quæ adfectu maritali fieri creditur, admittat. (m)

*) Sunt, qui metu gravi etiam non directe ad matrimonium contrahendum, attamen *injuste* incusso dirimi matrimonium docent, dum quis matrimonium ceu medium ad sese ab injusto metu liberandum eligit: eoquod et hic consensus injuria haud facile repellenda obtineatur; et metum injuste incutiens juris sibi per vim adquirendi incapax sit.

**) Quamvis levis de se caussa perimere aliquando consensum liberum posset, ecclesia tamen, quæ de occultis non judicat, ex communiter contingentibus propter leviusculam metus caussam consensum non defuisse merito judicat: præsertim, quum sponsi jam ante nuptias, num sua voluntate et non coacti contrahere velint, interrogari soleant. Ceterum, eoquod coactæ nuptiæ tristem plerumque habere exitum solent, tenebitur prudens Parochus, ubi alterutra ex parte metum subesse justa est suspicio, seorsim sponsos examinare, et id genus nuptias pro viribus impedire. Coactis nuptiis benedicere sub pœna suspensionis ab officio et beneficio vetuit synodus Mechliniensis P. I. de Sponsal. c. 2. *Vid. Van Espen J. E. u. P. II. tit.* 13. *c.* 9. *n.* 17.

(l) C. 14. 15. 28. de spons. et matrim.

(m) C. 11. et arg. c. 30. eod. tit.

§. 631.

Ex eodem liberi assensus defectu Matrimonium dirimit IV. *raptus* seu violenta abductio personæ invitæ contrahendi matrimonii caussa, quamdiu rapta persona, etsi libere posthac consentiens, est in potestate raptoris. Valet matrimonium, si rapta, postquam loco tuto restituta est, libere in nuptias consenserit.

* 1) *Crimen raptus* gravissimis pœnis persequebantur leges Romanæ, (n) illudque unacum capitularibus Regum Francorum (o) voluerunt esse impedimentum matrimonii raptorem inter et raptam adeo perpetuum, ut nullo unquam tempore accedente etiam raptæ parentumque assensu aboleri posset: 2) videtur idem impedimentum pari modo per canones fuisse perpetuum: et seculis XI. et sequentibus primum relaxatum, ut matrimonium raptorem inter et raptam, si hæc consentiret, validum haberetur. (p) Verum 3) Tridentinum puellæ in potestate raptoris constitutæ assensui parum fidendum esse sciens, matrimonium ejusmodi tum solummodo validum esse posse declaravit, (q) siquidem femina extra raptoris potestatem constituta et loco tuto reddita eum maritum habere voluerit. Porro 4) tum leges, tum Synodus Tridentina solum de feminæ raptu seu violentia feminæ illata loqui videntur: unde impedimento huic, ubi vel abest violentia, vel quando femina virum violenter raperet, locus esse haud videtur. (r) 5) Equidem Galli quidam raptum alium *violentiæ*, de quo mox, alium *seductionis* dicunt, quando filia fami-

(n) Cod. Theodos. L. 9. tit. 24. de raptu virg. et viduar. et L. un. Cod. Justinian. eod. tit.

(o) L. 6 c. 69 et L. 7. e. 395 extat. apud Gratian. caus. 36 q. 2. c. 11. sub nomine concilii Aquisgran.

(p) C. 3. de Raptoribus.

(q) Trid. Sess. XXIV. de Reform. matrim. c. 6.

familias minor blanditiis et promissis seducta consentit suæ abductioni, parentibus, sub quorum potestate est, non consentientibus. Atque isto raptu etiam, nisi filia potestati paternæ restituatur, dirimi matrimonium volunt: sed hæc Galliæ consuetudo ad alias regiones nil adtinet. *Vid. Van Espen J. E. P. II. tit.* 13. *c.* 10. *n.* 12.

§. 632.

Ob defectum *libertatis* matrimonium dirimit I. *votum solenne* per professionem validam religionis ab ecclesia adprobatæ; quo etiam matrimonium jam contractum, sed nondum consummatum dirimi jam alias (§. 316 not. 3) monuimus: *) II. *Ordo sacer* libere susceptus, aut per liberum ejus exercitium posthac ratihabitus: III. *ligamen* seu vinculum prioris matrimonii sive consummati, sive rati tantum, sed validi. Proinde irritum nullumque est matrimonium, quod superstite legitimo conjuge initur, etiamsi prius solum fuerit ratum, posterius etiam consummatum, (s) **)

*) Quamvis 1) tum canones, tum leges matrimonia post nuncupatum castitatis votum contracta semper damnarint; ea tamen valida fuisse habita ex S. Leone. (t) S. Augustino (u) aliisque colligitur. 2) Neque illius votum *solenne* inter et *simplex* distinctionis ulla apud veteres fit mentio Quare illa distinctio paullatim invecta, et sec. XII. demum

(r) Barthel Annot. in Engel J. C. L. 4. tit. 16.
(s) Trid. sess. XXIV. de reform. matr. c. 6. Item c. 4. et ult. de sponsa duorum.
(t) Epist. 2 apud Gratian. caus. 20. q. 3. c. 1.
(u) Lib. de bono viduitatis c. 10. apud Gratian. Diss. 27. c. 2.

mum ubique recepta esse creditur. (x) Sed 3) quum deinceps varia de hac re exorta fuere dubia; tandem Bonifacius VIII. (y) declaravit, illo duntaxat castitatis voto, quod per professionem Religionis, aut susceptos sacros ordines esset solennizatum (v. §. 626. not. 2.) matrimonium dirimi. Ceterum 4) Synodus Tridentina (z) ubi eos damnat, qui Clericorum Regulariumque matrimonium validum asserunt, idcirco disjunctivis his verbis: *non obstante lege ecclesiastica, vel voto*; usa fuisse videtur; eoquod num sacer ordo ex voto, an ex *lege ecclesiastica* matrimonium dirimat, inter catholicos haud convenit. *Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 13. *c.* 4. *n.* 14.

**) Quocirca siquis bona fide mortuam conjugem existimans accedente etiam judicis ecclesiastici auctoritate ad alias transierit nuptias, errorem edocto relicta hac ad priorem conjugem redeundum erit; (a). Polygamiam enim jure divino saltem positivo prohibitam esse catholicorum nemo dubitat. (b)

§. 633.

Ob defectum *habilitatis* matrimonium dirimit I. *Impotentia* seu defectus corporis ad actum conjugii exercendum inepti. Qui quidem defectus, 1) si conjugium præcedat, *impotentia* a) *antecedens*, si sequatur, b) *consequens*; 2) si tolli potest, a) *temporaria*, sin, b) *perpetua* dicitur: Rursus 3) si defectus ille impedit actum conjugii cum omnibus, a) *absoluta*: si ob caussas singulares cum aliqua tan-

(x) Vid. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 13 c. 4.
(y) C. unic. de voto et voti redemt. in 6.
(z) Sess. XXIV. c. 9 de reform. matrim.
(a) C. 2. 3. 4. de spons. duorum.
(b) Trident. Sess. XXIV. de matrim. c. 2.

tantum, b) *respectiva* impotentia solet appellari. Porro sola impotentia *perpetua* *) *antecedens* **) matrimonium dirimit, et *absoluta* quidem respectu omnium, *respectiva* vero respectu illius tantum personæ, ad quam est.

*) Colliges: 1) impotentiam, quæ ante matrimonium non innotuit, perpetuam esse ubi constat, statim dissolventur nuptiæ: 2) dubio post contractum matrimonium orto, num impotentia vera, perpetuaque adsit, ecclesia permittit, ut per triennium experiantur conjuges, an matrimonium consummare valeant. Elapso triennio si inveniatur matrimonium non esse covsummatum, id judicio ecclesiæ, non sola partium auctoritate, dissolvitur, et pars copulæ idonea, aut si impotentia tantum respectiva adsit, pars utraque matrimonium cum alia persona contrahere potest. 3) Quodsi deinceps deprehendatur, impotentiam non fuisse perpetuam, priores nuptiæ, etsi novas conjugum alter deinceps iniisset, redintegrandæ sunt. (c)

** 1) *Impotentia consequens* nec matrimonium rite initum dirimit: nec vivente legitimo conjuge impotente ad alias nuptias transeundi jus alteri parti tribuit. Multo minus 2) *morbi* quidam, licet graves, sive matrimonium præcedant, sive sequantur, matrimonii vinculum solvunt. (d) Neque Gregorius III. contrarium decrevit; nam vel Responsum illud (e) falso, quod Pagius docet, eidem adscribitur, (f) vel certe fatente ipso Bœhmero (g) de muliere per infirmitatem antecedentem prorsus impotente intelligi commode potest, (§. 613. not. a.) 3) *Senium* vero, et *sterilitas*, ut quæ conjugii actus

(c) C. 1 et 5 de frigidis et maleficiatis.
(d) C. 2 et ult. de conjug. lepros.
(e) C. 18. caus. 32. q. 7.
(f) In critic. ad An. 726.
(g) In not. ad eund. n. 48.

actus non impediunt, licet per accidens generatio non sequatur, matrimonii validitati non obstant.

§. 634.

Eadem ex ratione matrimonium dirimit II. *ætas immatura* inpuberum, id est, ætas in masculo minor quatuordecim, in femina duodecim annis, nisi fors, a) sint pubertati proximi, aut b) malitia subpleat ætatem (h) aut c) post pubertatem adepti cohabitare pergant, seu potius novo consensu matrimonium in facie ecclesiæ confirment. (i) Matrimonium dirimit III. *cultus disparitas*, seu religionis disparis professio, dum pars una est, altera non est baptizata, *) secus si neutra sit baptizata.

*) Olim matrimonia inter cultu dispares valida habebantur. Tale sane fuit S. Monicæ cum Patricio viro ethnico; ut ipse Augustinus testatur, (k) item S. Clothildis cum Clodovæo Francorum Rege, aliorumque. 2) Ob gravia tamen ex iis matrimoniis oriri solita, quæ Tertullianus (l) graphice describit, incommoda, jure verosimilius consuetudinario deinceps impedimentum disparis cultus invectum est. *Cf. Van Espen J. E. u P. II. tit.* 16. c. 8.

§. 635.

Ad præcavenda adulteria homicidiaque, et in justissimam horum criminum pœnam provido ecclesiæ decreto matrimonium inter flagitii complices dirimit IV. *crimen*, seu *adulterium*, et *homicidium* jam a) *alterutrum*,

jam

(h) C 9 et 10 de desponsat. Impub.
(i) C. 12 eod. tit.
(k) Confession. L. 9. c. 9.
(l) L. 2 ad uxorem. c. 2.

jam b) *utrumque simul.* Videlicet dirimit matrimonium 1) *adulterium solum* cum promissione futuri matrimonii, aut *matrimonium attentatum* et *consummatum* vivente eodem legitimo conjuge: (m) 2) *cædes sola* conjugis sine adulterio, si illa communi duorum contrahere cupientium consensu eo fine, ut secum contrahere queant, sit procurata: 3) *cædes et adulterium simul*, si cædes conjugis ab alterutro adulterantium tantum, nesciente aut non consentiente altera parte adultera, attamen matrimonii cum alterutro contrahendi caussa fuerit patrata, aut procurata. (n).

*) Ex hodierna (o) ecclesiæ disciplina 1) ad impedimentum criminis adulterii requiritur, a) ut *adulterium* a) ex utraque parte *formale*, (p) id est, commissum ab utroque legitimum matrimonii vinculum non ignorante: b) ut *promissio futurarum* nuptiarum sit aliquo modo ab altera etiam parte *acceptata*, nec ante adulterium serio revocata. Haud refert autem an illa promissio præcesserit, an secuta sit adulterium; (q) modo c) *promissio et adulterium eodem vivente* legitimo conjuge contigerint. (r) Ceterum machinatione in conjugis mortem, quam mors secuta non sit, impedimentum haud videtur induci. 4) Impedimento criminis eos etiam, qui crimini eam matrimonii dirimendi vim inesse *ignorant*, obstringi et ad matrimonium

(m) C. 5. 6. de eo, qui duxit — quam polluit.
(n) C. 6. eod. tit.
(o) De antiqua disciplina vid. Van Espen J. E. u. P. II. tit. 13. c. 7.
(p) C. 1 de eo, qui duxit etc.
(q) C. ult. eod. tit.
(r) C. 6. et eod. tit.

monium reddi inhabiles verosimilius est. Cf. *Neller Diss. de crimine matrimonii impedimento historice, canoni-practice exposito.*

§. 636.

Matrimonium dirimit V. inter personas cognatas 1) *cognatio naturalis*, seu conjunctio personarum, quarum una ab altera vel ambæ a communi et propinquo stipite per generationem carnalem descendunt. Dirimit porro matrimonium *cognatio naturalis*, seu consanguinitas a) in quocunque gradu *lineæ rectæ*, et b) usque ad quartum *lineæ collatoralis* gradum inclusive; *) 2) *cognatio spiritualis*, seu ex baptismi, et confirmationis collatione et susceptione proveniens impedit, quo minus validum matrimonium esse queat a) inter susceptores in utroque sacramento et susceptum, susceptique parentes; item b) inter ministrum, et illa sacramenta suscipientem hujusque patrem, et matrem: 3) *cognatio legalis* ex *adoptatione* probabilius solum perfecta consurgens **) matrimonium irritum reddit a) inter adoptantem, adoptatum, hujusque descendentes; item b) inter uxorem adoptantis, et adoptatum, et vicissim inter uxorem adoptati, et adoptantem; demum c) inter adoptatum, et liberos adoptantis, quamdiu in eadem patria constituti sunt potestate.

*) *Cognatio naturalis* seu consanguinitas ex *stipide gradibus* et *lineis* judicatur. Porro, 1) *stipes* dicitur persona, a qua aliæ, de quarum cognatione quæritur, descendunt. 2) *Gradus* est distantia consanguineorum tum a se invicem, tum a communi stipite. 3) *Linea* est series seu ordo perso-

narum,

narum ab eodem stipite descendentium; eaque vel a) *recta*, quæ genitos et genitores, vel b) *obliqua* seu *collateralis*, quæ a latere junctos, seu non quidam a se, sed a communi stipite descendentes complectitur: hæc rursus dicitur a) *æqualis*, si cognati eodem, vel b) *inæqualis*, si diverso gradu a communi stipite distent. Ceterum 4) jure quidem civili fit distinctio inter *cognationem* et *agnationem*, seu consanguinitatem per lineam paternam vel maternam. At heic ratione impedimenti matrimonii, unde demum illa propinquitas oriatur, perinde est.

** 1) Ad gradus consanguinitatis computandos hæ jure canonico statuuntur regulæ: I. In *linea recta*: tot sunt gradus, quot sunt generationes, vel quot sunt personæ non computato, a quo numerandi initium sumitur, stipite; e. g. Pater, filius, nepos tres personæ, sed duæ generationes, duo gradus. II. In *linea collaterali æquali*: tot gradibus duo distant inter se, quot ambo distant a communi stipite; frater et soror a patre ceu communi stipite uno gradu distant, uno quoque gradu distant inter se. III. In *linea collaterali inæquali*: tot gradibus duo distant inter se, quot gradibus distat ille, qui remotior est a communi stipite: sic soror, et fratris filius duobus inter se gradibus distant, quia filius fratris duobus gradibus a communi stipite distat. (s) 2) Notandum vero, quod in exprimendo gradu inæquali seu *mixto* semper incipiendum sit a gradu masculi, sive is propinquior fuerit, sive remotior: sic relatio materteræ ad filium sorossa secundo ad primum, relatio vero patrui ad filiam sororis vel fratris dicitur a primo ad secundum. 3) Dixi datas regulas obtinere jure canonico, cui haud consentit

(s) Vid. c. 5, caus. 35. q. 5. ubi hæc fusius explicantur.

sentit jus civile. Equidem jus utrumque in *linea recta*, non item in *obliqua* eandem sequitur regulam; jus enim civile etiam in linea obliqua eam, quam in linea recta retinet regulam; non item jus canonicum. Unde frater a sorore jure civili distat gradu secundo, jure canonico gradu primo. Consobrini jure civili distant gradu quarto, jure canonico gradu *secundo. De introducto hujus variæ computationis usu vid. Van Espen J. E. u. P. II. tit.* 13. c. 5.

***) Impedimentum cognationis spiritualis ad exemplum cognationis carnalis vel legalis invectum jam Justinianus commemorat: (t) 2) quod quum paullatim esset nimis extensum, (u) synodus Trident. (w) illud in multis restrinxit, et deinceps summum duos tantum, unum et unam ad levandum infantem esse admittendos decrevit. 3) Siquis non suo sed alieno nomine levet infantem, verosimilius non mandatarius, sed qui eum mittit, cognationem contrahit. 4) Quodsi alter conjugum propriam sobolem levaret, aut *extra casum necessitatis* baptizaret, hanc quoque cum conjuge altero contrahit cognationem, quæ saltem, usque dum Episcopus dispensaret, usum impediret, conjugii. *Cf. c.* 7. *caus.* 30. *q.* 1.

****) *Adoptio perfecta*, seu *arrogatio* fit, quando homo patria potestate exemtus Principis aut saltem judicis auctoritate ita recipitur in filium, ut transeat in familiam patriamque potestatem alterius, et fiat hæres illius necessarius. Contra per *adoptionem imperfectam* filiusfamilias alienus equidem quoad quartam partem bonorum patris adoptivi fit hæres ab intestato, non tamen hæres est necessarius; neque etiam in familiam et patriam potestatem adoptantis transit.

§. 637.

(t) L. 26 Cod. de Nuptiis.
(u) Vid. caus. 30. q. 3. et tit. de cognat. spiritu.
(w) Sess. XXIV. c. 2 de reform. matri.

§. 637.

Dirimit matrimonium VI. *affinitas*, id est, propinquitas personarum orta ex commercio carnis seu copula completa et perfecta, ut ajunt, sive legitima illa sit, sive illegitima. Cujus impedimenti principium quum sit carnale commercium; equidem 1) consanguinei uxoris, vel feminæ cognitæ fiunt affines marito, vel cognoscenti: et vicissim: 2) consanguinei mariti vel cognoscentis affines efficiuntur uxori; 3) utriusque autem conjugis, seu commercium carnale habentium, consanguinei, utpote quos inter nullum carnale commercium intercessit, nullo modo inter se fiunt affines. *) 4) Dirimit autem matrimonium *affinitas* a) orta ex copula *illicita*, usque ad *secundum* b) orta ex copula *licita*, seu conjugali, usque ad *quartum* gradum inclusive, inter virum et consanguineos fœminæ ab eo cognitæ; et vicissim inter fœminam cognitam, et consanguineos cognoscentis. Porro in quo gradu quis consanguineus est viro seu copulam habenti, in eo est affinis uxori seu cognitæ et vicissim. Denique ceu species ac umbra quædam affinitatis matrimonium dirimit VII. *Publica honestas*, sive justitia, ut ajunt, publicæ honestatis, quæ oritur vel a) ex *sponsalibus validis* solum et *puris*, nempe quæ vel absolute contracta sunt, vel purificata conditione jam in absoluta transiere, (x) vel b) ex *matrimonio*

T 2 *rato*

(x) Olim per c. un. de sponsalibus in 6. oriebatur hoc impedimentum ex sponsalibus etiam *invalidis*,

rato nondum consummato, licet invalide contracto, modo non sit invalidum ex defectu consensus. Impedimentum hoc ortum 1) ex *sponsalibus*, etsi deinceps dissolvantur, hodie duntaxat usque ad *gradum primum*, 2) ex *matrimonio* autem usque ad *quartum gradum* inclusive inter sponsum et consanguineos sponsæ, et vicissim matrimonium impedit, invalidumque reddit. **)

*) Hinc quum consanguinei viri non sint affines consanguineis uxoris, et vicissim, duo fratres duas sorores alterius familiæ, item privignus novercæ suæ filiam ex priori matrimonio natam ducere possunt.

**) Impedimentum publicæ honestatis non *agit retro* uti affinitas: id est, sponsalia posteriora, aut matrimonium attentatum cum sorore, matre, aut filia sponsæ nil præjudicant prioribus sponsalibus validis. Unde 1) si e. g. Titius initis ante cum Caja sponsalibus validis aut nova sponsalia, aut matrimonium cum Cajæ sorore, matre, aut filia attentet, sed non consummet, Cajam deinceps nihilominus ducere potest. Pari ratione 2) Titius feminam sibi desponsatam, quam posthæc Titii frater duxit, sed non cognovit, ducere non prohibetur. Quodsi vero 3) utroque in casu copula secuta sit, tum quidem priori in casu Titio jam neutram ducere licebit; non Cajæ sororem matremve ob impedimentum publicæ honestatis, non Cajam ob affinitatem. Et altero casu feminam Titio desponsatam et posthæc a fratre Titii cognitam Titius ob affinitatem, Titii frater ob impedimentum publicæ honestatis ducere uxorem prohibentur. 4) Si vero Cajus post copulam cum Bertha habitam cum ejusdem sorore celebraret sponsalia, nihilosecius

---

sed hodie ex *validis* solum vi Trident. Sess. XXIV. c. 3. de reform. matri.

cius Bertham, eoquod sponsalia hæc invalida fuerint, ducere uxorem poterit.

§. 638.

Denique ob defectum *solennitatis* matrimonium dirimit *clandestinitas*, *) ita ut matrimonii contractus clam, et sine Parochi proprii et duorum testium præsentia celebratus **) per decretum concilii Trid. sit plane invalidus. ***)

*) *Matrimonia clandestina* clam et sine ecclesiæ benedictione celebrata jam ab antiquissimis temporibus ecclesia semper vetuit (y): ea tamen prorsus invalida fuisse habita, haud constat. Ut igitur gravissimis, quæ ex clandestinis nuptiis evenire solent, incommodis occurreret Tridentina synodus, omnia, quæ non coram Parocho et testibus celebrata essent matrimonia, prorsus invalida declaravit *sess. XXIV, c.* 1 *de Reform. matr.*

**) Sufficit 1) sponsi vel sponsæ Parochus domicilii vel quasi domicilii: 2) vagi, qui neutrum domicilium habent, coram Parocho loci, ubi versantur, contrahere possunt, obtenta tamen prius, quod Tridentinum (z) statuit, Ordinarii venia. 3) Ut validum sit matrimonium, satis est Parochum excommunicatum, suspensum, aut etiam invitum adesse contractui matrimonii; modo tum ipse tum testes, quos ex multorum sententia heic sufficit testimonii ferendi per naturam esse capaces, ita sint præsentes, ut quid inter sponsos agatur, percipiant.

***) 1) Decretum istud. utpote quod in singulis parochiis promulgari Tridentina synodus jussit, nec ante promulgationem ibidem factam vim obligandi habere voluit, nonnisi in iis, ubi reapse promulgatum est, locis obligat. 2) Nihilominus ii, qui

 ad

(y) Tertullian. L. de pudicit. vid. caus. XXX. q. 5. c. 5. apud Gratian.

(z) Tridentin. ibid. c. 7.

ad contrahendas clandestine nuptias ad locum, ubi illud receptum non est, in *fraudem* legis se conferunt, contrahunt invalide. 3) Matrimonia Protestantium in Germania coram ministro acatholico contracta gravibus ex momentis, valida censeri supra (§. 622) vidimus. Et vero præterquam, quod isti clam non contrahant, et sic quodam sensu jussis synodi Trid. satis fiat, eædem fere rationes, queis motus Benedictus XIV. matrimonia Belgarum sub ditionibus ordinum fæderatorum valida voluit (a), heic in Germania quoque pro Protestantium matrimoniis occurrunt. 4) In loco etiam Tridentini promulgati, siquidem ibidem universim et *communiter* haberi Parochus nequeat, matrimonium saltem coram testibus contractum fore validum existimat. *Pl. Bæckhn comm. in Decret. L. 4. tit. 3. n. 30. Schmier L. 4. Tract. 3 c. 5 n. 185. citans Ill. Vinc. de Petra. com. ad constit. apost. tom. 4 pag. 80. n. 30. seqq.*

ARTICULUS V.

De Sponsalibus, aliisque Matrimonio præviis.

§. 639.

Matrimonio ceu rei gravissimæ apud gentes bene moratas præmitti semper consuevere *sponsalia.* *) Sponsalia heic vi juris canonici a) *proprie* et simpliciter accepta sunt mutua futurarum nuptiarum promissio: b) *late* sumta et nonnisi addito: *de præsenti*, matrimonium ratum denotant. Inde nota illa in

spon-

(a) Constit. *matrimonia* A. 1714.

sponsalia de futuro, et *de præsenti* divisio, Protestantibus quibusdam haud arridens. (a)

*) Sponsalia a *spondendo* nomen habent: »nam moris »fuit veteribus stipulari, et *spondere* sibi uxores »futuras; unde et *sponsi sponsaque* adpellatio »nata est « (b) et qui uxorem viro stipulanti sponsabant, *sponsores*; actus ipse, quo hæc stipulatio, sponsioque peragebatur, *sponsalia* dicebantur.

§. 640.

De *sponsalibus* propriis seu de futuro, ut vocant, de quibus hic solum agimus, hæc habeto *axiomata*: Quoniam sponsalia veri contractus rationem obtinent, et in plerisque ipsius, ad quod ordinantur, matrimonii naturam sequuntur, ipsa quoque legibus naturalibus, civilibus et ecclesiasticis subjecta sunt: (§. 607.) unde *sponsalia* I. ab iis, qui his legibus non impediuntur, *contrahi* possunt; II. *consensu* partium his legibus determináto coalescunt; III. *modus* ea contrahendi, IV *effectus* eorum et V. *dissolutio* ad earumdem legum normam exigi debent. VI. A sponsalibus *justa de causa resilire* licet.

§. 641.

Sponsalia I. contrahere possunt omnes, qui lege naturali, divina, vel humana non prohibentur. *Sponsalia* autem per eas leges *contrahere* valide non possunt 1) impedimento matrimonii saltem perpetuo laborantes; 2) ratio-

(a) Vid. Gallade de doctrina Catholicorum et errorib. Protestant. circa sponsalia de futuro et præsenti, Heidelb. 1766. Cf. Bœhmer Jur. eccl. ad L. IV. tit. 1. §. 3.

(b) L. 2. et 3 ff. de sponsalib.

rationis usu destituti; 3) infantes septennio minores. (c) Impuberum septennio majorum sponsalia valida quidem, at eousque solum firma sunt, ut impuberi resilire non liceat; facto tamen puberi resilire sit liberum *) Quodsi vero pubes cum impubere iniit sponsalia, huic, non illi, resiliendi jus est. (d)

*) Nec obstat cap. 1. de despons. impub., ubi hæc sponsalia adimpleri jubentur; etenim id eo solum casu intelligendum, si sponsa in domum sponsi traducta puber facta cohabitare pergat, aut alio modo sponsalia prius claudicantia confirmet, *ut notat. Bæhmer ad cit. capit. n.* 6.

§. 642.

Quum II. sponsalia nonnisi *consensu* partium *legitimo* coalescunt; adsit necesse est *consensus* 1) *certus* inter personas certas, et determinatas, * 2) *deliberatus* pro negotii gravitate, 3) *verus* non fictus, ** 4) *manifestatus* sufficientibus indiciis, ore nempe, scriptis, signis aliis, quæ vel ex propria sua significatione, vel ex usu recepto, vel ex adjunctis et in dubio ex prudenti judicis arbitrio veram matrimonii promissionem continent, 5) *liber*, ab omni metu, dolo, et errore immunis; unde si error circa ipsam personam, metus injustus gravisque, dolus dans caussam contractui intercedat, nulla orietur obligatio; 6) *reciprocus*; nemo quippe se alio modo obligare velle censetur; nisi forte conceptis verbis aliud declaret: quo tamen casu obligatio quidem

ex

(c) C. 4 et 5 de sponsalib.
(d) C. 7 et 8. de spons. impub.

ex hujus unius parte, non tamen vera sponsalia exsurgent. Ceterum promissio reciproca ex ipsa promissionis acceptatione, accedentibus aliis signis, non autem ex sola taciturnitate colligi potest; 7) *solennis* non quidem de jure communi, attamen de jure particulari, vi cujus sæpe testibus, scriptura, certa verborum formula, aut etiam consensu parentum, vel tutorum, ad sponsalium etiam valorum opus. ***)

* 1) Igitur, si Petrus ex tribus sororibus unam se ducturum promittat, illæque omnes se offerant, haud quidem nascentur determinata sponsalia, aut saltem ex incertis illis sponsalibus nulla publicæ honestatis justitia orietur (e): attamen verosimilius 2) ex ea promissione Petrus tenebitur unam ducere, et electa eum maritum accipere. Quodsi vero electa una Petri uxor esse nolit, aliam ex iis ducere Petrus haud obligabitur. Petrus enim alternative tantum promisit, singulæ autem puellæ seorsim se obstrinxere. Aliud foret, si singulæ se non obligassent, aut Pater unam ex illis se daturum promisisset. Tum quidem utriusque ex parte solum alternativa est obligatio. *Vid. Pl. Bæckhn. comment. in Decr. L. 4. tit. 1. n. 70. seqq.*

** 1) *Ficta promissio* verum contractum non efficit (f), 2) attamen habetur pro vero consensu in foro externo, nisi fictio argumentis certissimis comprobetur: 3) deceptor omne damnum ex fictione secutum resarcire tenebitur: Immo 4) præsertim si deceptor sub ficta matrimonii promissione puellam violaverit, eum ad ducendam puellam, non

---

(e) C. un. de sponsal. in 6.
(f) Non desunt tamen, qui contrarium asserunt. Vid. Pl. Bœckhn. L. 4. tit. 1. n. 15 seqq.

quidem vi contractus, sed ex juris dispositione (g) regulariter, nisi justæ caussæ vel leges locorum excusent, obligari plures asserunt. *Vid. Pl. Bæckh. L. cit. n.* 30 — 34.

***) In *Bavaria* per ordinationem provisionalem (h) hæc constituta sunt: 1) Sponsalia, nisi coram Parocho loci, aut Magistratu civili præsente legitimo teste in scripturam sint redacta, aut 2) inter Nobiles contracta, nisi tum ab ipsis contrahentibus tum a duobus testibus nobilibus subsignata sint, pro foro in- et externo nulla habeantur. 3) *Sponsalia* filiorum vel minorennium sub patria, aut curatoria potestate constitutorum absque parentum consensu admittenda non sunt, et attentata pœnis subjaceant etc. etc. Porro in Concordatis novissimis augustanis (i) Ordinarius se offert ad sponsalia *occulta pro foro interno, et intuitu impedimenti publicæ honestatis* pro invalidis declaranda. Et in subjuncta declaratione (k) ea invalida pronuntiat, et in ecclesiis promulgari jubet.

§. 643.

III. *Modus* contractus sponsalitii legibus congruat: potest tamen esse *varius*. Nam sponsalia 1) jam ab ipsis sponsis, jam per procuratores, aut per parentes liberis puberibus præsentibus et non contradicentibus, 2) jam cum, jam sine conditione, * 3) sub modo, sub demonstratione, jam 4) additis pactis contrahuntur, aliquando 5) variis juris firmanentis

---

(g) C. 1. de adulter et stupr.

(h) Confecta quidem est A. 1776. 15. Nov. publicata per Decret. Elect. A. 1779. 5 Mart. et 25 April. Vid. Ignat. Hübner Sammlung Churb. General. pag. 174.

(i) De Anno 1785. 26 April. n. 11.

(k) Declarat. ad num 11.

tis vestiuntur, cujus generis sunt juramenta, donatio annuli pronubi, arrha, sponsalitia largitas, **) pœna conventionatis ab injuste resiliente solvenda, quam adjicere consuetudo *saltem*, immo expressa Bavariæ lex (l) contra jus romanorum (m) permittit.

*) De conditione sponsalibus adjecta hæc notes velim: 1) Conditio impossibilis turpisve contra, ac in matrimonio, probabilius vitiat sponsalia. 2) Honestæ, et possibilis conditionis eventus exspectari debet. 3) Deficiente conditione concidunt sponsalia. 4) Secuta conditione sponsalia conditionata transeunt in absoluta. 5) Sponsalia contracta ea conditione: si Superior in impedimento dispensaverit, verosimilius obligant; si in eo impedimento dispensari soleat, dispensationemque petendi ratio adsit; eoquod hæc conditio nec inhonesti quidpiam, nec quod de jure sit impossibile, contineat, atque adeo impleri juste possit. 6) Aliquæ conditiones jam tacite insunt sponsalibus, e. g. nisi Religionem ingressus fuero, nisi magni momenti mutatio interim evenerit etc.: hæ tamen conditiones tacitæ contractum *absolutum* relinquunt. 7) Conditioni adpositæ renuntiatum censetur, si non exspectato ejus eventu sponsi jam copulam exercent (n). Neque tamen hodie, uti ante Tridentinum, post habitam inter sponsos copulam matrimonium *præsumtum* existit.

**) *Arrha* heic est res in signum et luculentiorem sponsalium probationem data. 2) *Sponsalitia largitas* est donatio inter sponsos intuitu, et sub spe futuri matrimonii. Porro 3) sequuto matrimonio arrha saltem in Germania vi consuetudinis, et in Bavaria vi legis expressæ; sponsalitia vero largitas etiam jure communi *accipientis* est. 4) Si matrimonium

(l) Cod. civ. Cav. P. I. c. 6. §. 11. n. 10.
(m) L. 5. Cod. de sponsalib. et arrhis.
(n) C. 6 de conditionib. appositis.

monium non sequatur, et quidem, si ex culpa *dantis*, hic utramque perdet; si ex culpa *accipientis*, hic utramque, et arrham quidem *in duplum*, restituere debet, aut jure Bav. ea saltem, quæ et ipse ob nuptias donaverat, insuper amittet. (o).

§. 644.

IV. *Effectus sponsalium*, ceu contractus onerosi, sunt 1) gravis *oblatio* justitiæ ad matrimonium cum hac persona contrahendum, et quidem, si justa caussa non obstet, tempore præfixo, aut si nullum determinatum sit, quamprimum commode fieri potest, aut alterutra pars juste id exegerit; * 2) obligatio non contrahendi cum alia, et nihil faciendi, quod, adimplendæ promissioni adversetur; proin sponsalia priora sunt impedimentum prohibens matrimonium cum alia (§. 626) et dirimens novorum sponsalium, usque dum priora juste dissolvantur (q): immo intuitu personarum, qui sponsis primo in gradu sunt consanguineæ, sunt impedimentum matrimonii dirimens; quod vocatur 3) impedimentum *publicæ honestatis*, de quo paullo ante (§. 623.) dictum. 4) Jure veteri (r) sponsalia per carnis commercium, quod affectu maritali factum censebatur, transibant in matrimonium: at clandestinis matrimoniis per Tridentinum irritatis is effectus in locis, ubi Tridentinum receptum est, plane cessat. (§. præc. not. 1.)

*) Igitur

(o) Cod. civ. Bav. P. I. c. 6. §. 11. n. 10.
(q) C. 27. 50. et final. caus. XXVII. q. 2 et c. 2. et 10 de sponsalib. et matrim.
(r) C. 15 et 30 de sponsalib. et matrim.

*) Igitur 1) qui huic obligationi satis facere renuit, aut tardat, ad eam implendam a Superioribus cogi justis modis potest: attamen constanter reluctantes mediis nimium severis, aut violentis adigendi non sunt, præsertim si funesti exitus, et mala, quæ solent ex matrimoniis vi extortis subnasci, prævideantur. Attamen reus ad congruam parti læsæ satisfactionem præstandam, et impensas solvendas cogendas erit (s). 2) *Dies* præfixus a) aliquando *obligationem* contrahendi matrimonii *differt*, aliquando *finit*. Illo in casu non quidem ante, sed post lapsum diem contrahendi matrimonii obligatio urget; neque per temporis lapsum deinceps extinguitur: hoc in casu, si ante diem præfixum matrimonium junctum non est, eo lapso contrahendi cessat obligatio ex parte *utriusque*, si ea lege præfinitum tempus fuit, ut eo evoluto suam quisque redeat ad libertatem: cessat autem solum ex parte *innocentis* obligatio, si ad accelerandas nuptias fixus fuerat dies.

§. 645.

Sponsalia valida, ac juramento etiam, quod naturam actus sequitur, firmata (t) *dissolvuntur* 1) mutuo, quo et coaluerunt, consensu; * 2) per religiosam professionem, aut sacri ordinis susceptionem (u), 3) alio item superveniente matrimonii ineundi impedimento; **) quo stante aut licite aut omnino valide iniri matrimonium nequeat; ad illicitum enim obligari nemo potest. 4) Si conditio sponsalibus adjecta evanuerit (x). Demum 5) per matri-

---

(s) C. 1. de sponsal. et matrim.
(t) C. 22. de spons. et matrim.
(u) C. 1. de Cleric. conjug. c. 2. 7. de convers. conjug. concil. Trid. Sess. XXIV. c. 6.
(x) C. 3. de condit. apposit.

matrimonium cum altero contractum priora sponsalia aut omnino infirmantur, aut saltem suspenduntur. * 6) Sponsalia impuberum nec mutuo consensu dissolvuntur, nisi postquam annos pubertatis compleverint (§. 641.).

*) Quisque enim promissum, atque etiam jusjurandum sui gratia præstitum potest remittere (y): ut tamen dissolutio hæc honeste fiat, justa caussa requiritur: nec erunt ab omni culpa alieni, qui temere, vel ira solum aut passione moti sponsalia solvant. (z)

**) Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia initum solvi ex parte innocentis, apud omnes in confesso est: illa vero plane perimi etiam ex parte illius, qui matrimonium iniit, plures asserunt: eo-quod 1) fides priorum sponsalium in jure *irrita* facta (a) dicatur, 2) quod firmior eodem in ordine obligatio minus fortem perimat, et extinguat: 3) quod indecens sit, conjugem alteri præterquam conjugi simul esse devinctum: 4) quod remanens priorum sponsalium obligatio captandæ mortis voto occasionem præbeat, periculumque creet, ne vel prior sponsa uxori, vel hæc illi, vel vir propriæ uxori mortem aut inferat, aut saltem optet: 5) quod, sicut sponsalia stante matrimonio inita cum alia sunt irrita, ita etiam ante matrimonium facta omni carere robore debeant. Atvero sponsalia valida, per subsequens cum altero matrimonium haud prorsus infirmari, sed suspendi solum videntur; etenim 1) jus certum per sponsalia jam quæsitum innocenti, nisi ex urgentissima, et certa ratione auferri juste nequit; porro 2) jus istud certo sive natura, sive jure peremtum esse probari haud potest: nam licet jus dicat eum, qui non imple-

(y) C. 1. Reg. jur. c. 2. de spons.
(z) C. 2. de sponsalib.
(a) C. 22 de sponsal. et matrim.

impletis sponsaliis alteram sibi junxit, puniendum esse, quod primam fidem *irritam* fecerit, id est, se per nuptias inhabilem reddiderit ad fidem stante matrimonio exsolvendam; de peremta tamen in perpetuum sponsalium obligatione altum silet. Rursum 3) obligatio isthæc durante matrimonio ita quiescit, ac si abesset, proin nil parit incommodi: matrimonio autem soluto licite impleri potest. 4) Periculum captandæ aut exoptandæ mortis a) ex parte *ligati* in hoc casu minus est, quam si ad contrahendum cum quacunque liber esset; b) ex parte autem innocentis hoc periculum, cui ipsa ansam non dedit, mere per accidens et vulgo remotum est. Remotum porro hoc periculum non est justa ratio jure quæsito alterum privandi. Demum 5) aliud est, ubi de tollendo jure jam juste quæsito, quod priori sponsæ competit, agitur, aliud est, siquis stante matrimonio non sine magna conjugis injuria jus velit sibi quærere.... *Cf. Plac. Bæckh comment. in Decret. tom. III. Lib. IV. tit. 4. n. 14. seqq.*

§. 646.

Justam uni parti, obligatione alterius perdurante, a *sponsalibus resiliendi caussam* præbent 1) omnis notabilis mutatio corporis, animi, fortunarum post inita sponsalia in altero *) eveniens (b) at non prævisa, quæ personam ejusve statum deteriorem, aut futurum matrimonium reddat difficilius multo, ac molestius: item 2) aliæ graves rationes antea incognitæ, etsi ipsa sponsalia præcesserint; quæ prius cognitæ passim retrahunt hujus conditionis

(b) C. 25 de jurejur.

(c) Vid. Zech. diss. de sponsalib. Academicorum absque consensu parentum contract. Art. V. Thesau. J. E. Tom. 6. pag. 564.

nis homines ab ineundis sponsalibus; et quibus stantibus prudenti judicis arbitrio non censetur quis te obligare voluisse. In dubio enim de justitia caussæ legitimus judex pronuntiabit; **) Item 3) Judex ob justam parentum contradictionem sæpe sponsalia filiorum dissolvere, aut invalida poterit declarare (c).

*) Unde ex sponsis interim ditior, aut nobilis factus justam resiliendi caussam regulariter non habet, quum pars altera deterior haud evaserit. Atvero pars altera, inquiunt, respective saltem vilior effecta est, et si iis divitiis aut eo dignitatis aut nobilitatis gradu antehac fuisset potitus e. g. sponsus, sponsalia profecto non contraxisset. Sed enim absolute data fides est; atque hic non, quid alia in hypothesi fecisset, sed quid reapse promiserit, quæritur. Sane si hoc in casu passim recedere a promissis fas esset, consequens foret, quemque, quod nemo admiserit, semper, quandocunque ditiorem nobilioremve sponsam deinceps invenerit, a prioribus sponsalibus recedendi jus esse habiturum.

**) Inter justas resiliendi caussas refertur 1) notabilis deformitas, superveniens paupertas etc. 2) ingressus in novitiatum, susceptio ordinum minorum, sponsalia subsequentia, quibus quis juri suo renuntiare creditur: 3) discessus, longiorque absentia unius altera parte inscia, vel rationabiliter invita (d): 4) fornicatio saltem sponsæ, licet antecedens, sed ignorata, eoquod sponsa multo vilior reddatur; 5) fornicatio alterutrius sponsalia subsequens: etenim sponso fidem violanti, immo in his adjunctis de fide in futurum violanda juste suspecto, merito fides negatur. Verosimiliter justam resiliendi caussam præbet, 6) *dolus* quisvis a contrahente altero commissus, licet accidentalis; saltem

(d) C. 5. de spons. et matrim.

saltem si caussam det contractui, si e. g. sponsa se divitem, nobilem, virginem sit mentita. *Cf. Plac. Böckhn. comment. in Decret. tom. III. Lib. IV. tit. I. n.* 127—157.

§. 647.

Matrimonium insuper præcedere debent publicæ matrimonii contrahendi *denuntiationes* (*Proclamationes*, *Banna* nuptialia) quas quidem in aliquibus ecclesiis jam receptas concilium Lateranense (e) ad omnes ecclesias extendit; Tridentina sinodus (f) probavit, curatiusque determinavit. Porro ex synodi hujus decreto Proclamationes ejusmodi *a propria* contrahentium Parocho tribus continuis festivis diebus in ecclesia inter missarum solennia faciendæ sunt: quumque eo tendant, ut impedimenta matrimonii detegantur, intelligimus, 1) cur fieri denuntiationes debeant ante matrimonium contractum, 2) coram populo frequenti, 3) in utriusque contrahentis parochiis, seu locis domicilii, vel quasi domicilii, ubi scilicet verosimilius detegi impedimenta possint, et quidem 4) tribus diebus ita a se dissitis, ut tempus ad illa detegenda subpetet; 5) cur denuntiationes illæ, si iis factis matrimonium in longinquum tempus, quo nova oriri impedimenta possent, differatur, denuo repetendæ sint; 6) cur, ubi impedimenti suspicio abest, vel satis purgatur, ab Epis-

(e) C. 3. de clandest. despons.
(f) Sess. XXIV. de reform. matri. c. 1.

Episcopo, ex justa tamen caussa, remitti denunciationes queant.

*) Quum finis harum denuntiationum sit: ut impedimentum occultum detegatur, et invalida matrimonia multaque peccata præpediantur: omnes fideles impedimentorum fors conscios ad ea, etsi fors judicialiter illa probare nequeant, detegenda esse obligatos, dubium non est. Cujus officii populum esse admonendum recte præcipit Espenius (g).

**) Ceterum 1) modum et adjuncta populo denuntiandi futura matrimonia ex diœcesium moribus, et statutis dimetiri oportet. 2) Denuntiationibus temere neglectis equidem valet matrimonium; attamen 3) hoc modo contrahentes et pœna afficiendi sunt, et detecto forte impedimento dispensationis spe carent; prolesque interim nata illegitima censetur. Parochus libere his matrimoniis assistens ad triennium suspendi jubetur. (h) Quod ad *Protestantes* adtinet: et ipsi 1) servant *clausa tempora*, et *Proclamationes* adhibent, saltem in ecclesia districtus illius, in quo nuptiale convivium paratur, instituiturque: 2) sufficit iis vulgo unica proclamatio: 3) jus in Proclamatione dispensandi vindicant Principi. Vid. *Rudolph. Engau elementa jur. canonic. L. II.* §. 156.

§. 648.

Demum contractum matrimonialem præcedat oportet 1) *consensus* parentum, tutorum, item Magistratus per locorum leges sæpe necessarius, 2) assensus Episcopi ad vagorum conjunctionem per concilium Trid. (i) requisitus. Atque parentum quidem tutorumve consensus, etsi ad matrimonii valorem haud per-

(g) Van Espen J. E. univ. P. II. tit. 12. c. 3. n. 11.
(h) C. 3. de clandest. despons.
(i) Sess. XXIV. de ref. matr. c. 7.

pertineat, *) negligi tamen absque peccato aut etiam impune nequit. **) Unde contradictio parentum sæpius resiliendi vel sponsalia rescindendi caussam præbet (k).

*) Matrimonia liberorum sine parentum consensu absolute *valida* esse, tum ex Tridentino (l) tum ex legibus Imperii (m) certum est Catholicis. Ex Protestantibus autem plures consensum parentum etiam ad valorem matrimonii putant esse necessarium. Quod tamen eorum ex numero alii (n) rejiciunt, ac refutant. Cf. *Van Espen J. E. u. P. II. tit. XII. c. 4. n. 19. seqq.*

**) Qua ratione in Bavaria consensus 1) parentum, tutorum respectu minorennium, aut in potestate patria positorum etc. item 2) consensus Principis aut magistratus intuitu officialium electoralium, militum; item pauperum etc. necessarius sit, et quæ sint neglecti consensus pœnæ, videre est in Cod. civili Bav. (o) et ordinatione provisionali (p): in qua, ne Parochi id genus sponsalia admittere, aut matrimonia jungere audeant, gravissime interdicitur.

(k) Vid. Zech. Diss. de sponsalib. Academicorum absque consensu parentum contract. Thesau. J. Eccl. Tom. VI. pag. 551. seq.

(l) Sess. XXIV. de reform matrim.

(m) Uti Recess. Imp. A. 1548. tit. 21 vom Sakrament der Ehe §. 9.

(n) Grotius de jur. Bell. et Pac. L. 2. c. 5. §. 10. Puffendorf de J. Nat. et Gent. L. 6 c. 2. §. 14. et Thomasius tractat. jurid. de valore conjugii invitis parentibus contracti.

(o) Part. I. c. 6. §. 4. Cf. Annot. B. de Kreittmayr in L. c.

(p) De A. 1779. n. 5. vid. Ignatz Hübners Sammlung kurbair. General-Verordnungen pag. 177.

ARTICULUS VI.

De Contractu Matrimoniali, ejus Adjunctis et Effectibus.

§. 649.

Ad matrimonium *valide* contrahendum, ut ex dictis (§. 609. 611.) liquet, necessaria sunt 1) immunitas ab impedimento quovis dirimente, 2) consensus contrahentium verus, mutuus, liber a vi aut injusto metu, et sufficienter manifestatus, 3) Parochi proprii, aut alterius sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, *) et duorum testium simultanea et moralis præsentia (§. 638. not.)

*) Nuptias neglecta ecclesiæ benedictione contrahere semper Christianis vetitum erat (a): Tridentinum demum non benedictionem quidem, sed præsentiam saltem Parochi proprii aut alterius sacerdotis de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia ad validitatem matrimonii (b) necessariam esse decrevit. Porro 1) Parochus *proprius* heic intelligitur non Parochus originis, sed *domicilii*, vel *quasi domicilii*, saltem unius ex contrahentibus. Quo utroque domicilio quum careant, 2) *vagi* nonnisi coram Parocho loci, ubi actu morantur, valide contrahunt: Quodsi unus solum ex contrahentibus vagus est, coram alterius Parocho proprio contrahere verosimilius obligantur; eoquod ita concilii Trid. mandato, quod præsentiam Parochi *proprii* requirit, queat satisfieri. 3) Parochus ex Tridentini decreto auctoritatem matrimoniis adsistendi sacerdoti alteri potest *delegare*: haud sufficit tamen vel

(a) S. Ignat. Mart. Epist. ad Polycarpum, Tertullian. L. de pudicit. Capitular. Reg. Franc. L. 7. c 179.
(b) Sess. XXIV. c. 3. de reform. matri.

vel præsumta facultas, vel subsequens ratihabitio: sed requiritur expressa delegatio. Quæ in generali facultate sacramenta administrandi alteri datæ num comprehendatur, dubium quum sit, necessarium, aut certe consultum erit, ut eam Parochus exprimat, dum alteri parochiæ curam committit. 4) Eandem facultatem *delegatus*, nisi ad universitatem caussarum sit delegatus, nequit alteri subdelegare. 5) Nomine *Ordinarii*, cui delegandi jus vindicatur, Episcopus proprius, Capitulum sede vacante, Vicarius generalis, nisi hac in re restricta ejus potestas sit, heic intelligitur. Cf. *Van Espen J. E n. P. II. tit.* 12. c. 5.

§. 650.

Ut *licite* contrahatur matrimonium, accedat oportet 1) *benedictio* Parochi, seu sacerdotis delegati solennis precatio, quam *hierologiam* vocant, item 2) consensus parentum vel aliorum lege præscriptus, demum 3) et sacri ritus, precesque, ac solennitas in cujusvis diœceseos rituali præceptæ adhibeantur, necesse est.

*) Verba, quibus sacerdos nuptiis benedicens seu matrimonii contractum nomine ecclesiæ confirmans utitur, ceu formam sacramentalem ad rationem *sacramenti* plane necessaria esse plures affirmant; qui iidem et sacerdotem hujus Sacramenti Ministrum esse agnoscunt. Atvero *Benedictionem*, seu *hierologiam* a *præsentia* Parochi et testium, quo sine matrimonium etiam est invalidum, bene discernere oportet. Quod quidem dum Pr , estantes plures non faciunt, haud recte de Catholicorum sentiunt doctrina. Imo etiam ii, qui discrimen illud admittunt, alia a Catholicis opinantur. Ita Georg. Ludov. Bœhmer (c) scribit quidem: » Hæc

(c) Principia juris canonici L. III. sect. 2. tit. 2. §. 370. Göttingæ 1767.

jecta nequit haberi. Hæc pactio sane non magis quam reservatum ecclesiasticum (§. 183) libertati conscientiæ repugnat; quum alteri integrum sit jungere, aut recusare matrimonium. Neque item hac conditione ad eam, quam falsam credit, Religionem amplectendam quis cogitur: sed invitatur duntaxat, ut in catholicæ Religionis veritatem inquirat, eamque, postquam de ejusdem veritate fuerit persuasus, demum amplectatur.

**) Unde 1) » Si alter dicat alteri: a) contraho te- » cum, si generationem prolis evites, vel b) do- » nec inveniam aliam honore vel facultatibus dig- » niorem, aut c) si pro quæstu adulterandam te » tradas, matrimonialis contractus, quantumcun- » que sit favorabilis, caret effectu. « (i) 2) *Conditio*, seu pactum adjectum, ut proles, vel *partim*, *vel omnes in aliena a catholica Religione educantur*, ceu *bono prolis* adversa non illicita solum, sed et matrimonii valori obfutura a Catholicis aliis creditur (k): alii, qui *naturale* prolis *bonum* a *morali* probe heic distinguendum monent, eam conditionem matrimonii valori quidem haud obstare; attamen pro foro conscientiæ: et secundum *jus canonicum* illicitam haberi debere existimant. Vid. *Cl. Dürr. Diss. de potestate patria circa Religionem liberorum* §. 26. *seqq. Thesaur. J. Eccl. Tom. VI. pag.* 694 *seqq. item animadv. Edit. pag.* 703.

§. 653.

Peracto matrimoniali contractu Parochus in *libro* ad id destinato conjugum et testium nomina, diemque, et locum contractus matrimonii *describat*, eumque librum apud se diligen-

(i) Cap. ult. de condit. adposit. in despons.
(k) Schmalzgruber ad Decret. Lib. IV. tit. 6. n. 150. Schmier L. 4. Tract. 3 c. 5. n. 57.

ligenter custodiat. Quam æquum sit hoc concilii Trid. decretum, (l) quam gravis illud exsequendi obligatio, maxima, quæ eo neglecto in utramque rempublicam redundare possunt, incommoda satis superque loquuntur.

§. 654.

Effectus matrimonii valide contracti I. ratione ipsorum *conjugum* sunt 1) gratia sacramentalis, si rite contractum est, 2) vinculum matrimonii perpetuum; 3) jus mutuum in corpora ad actus procreandæ proli aptos; 4) obligatio ad fidem uni conjugi servandam; 5) obligatio ad individuam vitæ consuetudinem, et mutuum adjutorium ac officia omnia, quæ per finem, et essentiam matrimonii determinantur; 6) Potestas maritalis, vi cujus vir est caput uxoris; 7) communicatio status, dignitatis viri, quam uxor participat; 8) jus uxoris alimenta a marito aut ejus hæredibus petendi etc. *Effectus* ejus II. ratione *liberorum* sunt 1) Natales legitimi, si matrimonium saltem bona unius partis fide fuerit contractum in facie ecclesiæ, * 2) jus alimenta, et subsidia honestæ ac christianæ educationis exigendi a parentibus, 3) potestas patria ex parte viri in liberos etc. de cujus effectibus, **) item de conjugum circa varia bona juribus JCti civiles potissimum videndi (m).

(l) Sess. XXIV. c. 1. de reformat. matrim.
(m) Cf. Cod. civ. Bav. P. I. c. 5. et 6.

*) Amplissimus est hac in re pro bono prolium juris favor: etenim 1) *bona fides* contrahentium, modo matrimonium publice sit initum, in foro externo præsumitur: 2) matre licet adulterium fatente, tamen, si modo etiam marito cohabitaverit, proles nata pro legitima habetur: Item 3) ubi partus nimis aut festinatus, aut serus videtur, in favorem tamen prolis pronuntiatur. Unde censentur etiamnum legitimi, et qui septimo post contractum matrimonium mense seu post 182dum diem a nuptiis; et qui decimo post mariti mortem mense seu ante 302dum diem a morte mariti sunt nati (n). Eandem maxime ob caussam 4) a jure invecti sunt varii defectum natalium tollendi, et jura legitimorum consequendi, seu *Legitimationis*, ut ajunt, *modi*: tales sunt: a) *matrimonium inter parentes illegitimæ prolis* etiam post multos annos et intermedia matrimonia celebratum: quocirca ante matrimonium nati ab iis, quos inter tempore conceptionis vel etiam nativitatis prolis potuisset matrimonium legitimum esse (o), contracto inter parentes matrimonio *legitimantur*, et quoad omnes juris effectus legitime natis æquiparantur: atque ad omnes ecclesiasticas dignitates, cardinalitia una excepta (§. 224. *), apti habentur (p). Singularis hac in re olim Germanorum erat ritus: ut nempe liberi ita legitimandi inter solennia benedictionis nuptiarum parentum *pallia* adprehenderent; inde hi Germanis dicti die Mantelkinder (q). Legitimationis alius modus jure romano

---

(n) L. 12. Dig. de stat. hom. L. 3. §. 12. L. 29. Dig. de Liberis et Posthum. L. 3. de suis et legit. hæred. §. 11.

(o) ex L. 11. Cod. de natural. liberis.

(p) C. 1. 2. 6. etc. qui filii sint legitimi.

(q) Vid. Shwarz diss. de antiquo ritu legitimandi liberos per pallium. Altorff. 1747.

mano erat b) *datio curiæ* (r), per quam legitimorum jura adipiscebantur, qui vel in numerum *Curialium* fuere relati, curiæve obnoxii, cui cum periculo suarum facultatum servire debebant, vel quæ *Curialibus* in matrimonium fuerunt collocatæ: at absoletus hic legitimationis modus est. Vigent autem modi alii, a) *Rescriptum summi Principis*, et quidem politici in suo territorio quoad civiles, summi *Pontificis*, in tota ecclesia quoad effectus ecclesiasticos (s); demum d) *Professio religiosa* intuitu SS. Ordinum, non tamen dignitatum ecclesiasticarum (t). (Cf. §. 411. not. n. 3.)

**) De *potestate parentum* circa Religionem liberorum vi *juris naturæ*; item de *potestate patria* circa Religionem liberorum vi *juris germanici* publici vid. cit. diss. Cl. Dürr de potestate patria circa Relig. Liberorum *Thesau. J. E. Tom. VI. pag.* 674.

ARTICULUS VII.

De judice caussarum matrimonialium, de accusatione matrimonii, divortio et secundis nuptiis.

§. 655.

Circa matrimonium aut contrahendum aut contractum variæ suboriri solent lites et *caussæ*. Videndum igitur his in caussis, 1) quis sit judex: 2) quæ actio: 3) quis procedendi modus: 4) qui testes adhibendi.

§. 656.

(r) L. 3 4. Cod. de natural. liberis et Instit. tit de nuptiis. §. ult.

(s) C. 13 qui filii sint legitimi.

(t) C. 1 de filiis Presbyt. ordinandis vel non.

§. 656.

Atque ad caussarum matrimonialium *judicem* quidem quod adtinet, quum 1) matrimonium et sponsalia quoad rationes et effectus *civiles* potestati legislativæ civili, quoad effectus *ecclesiasticos* vero potestati ecclesiasticæ sint subjecta (§. 607.), quum 2) auctoritas statuendi impedimenta dirimentia, in iisque dispensandi, quæ per se Principibus et ecclesiæ suo cuivis in ordine, communis est, jam dudum uni ecclesiæ tota sit relicta (§. 621 et 624.), consequitur, *caussas matrimoniales* tum quoad effectus *spirituales*, tum quoad valorem ab judicibus *ecclesiasticis*, quoad effectus *civiles* vero, aut quæstiones etiam nudi facti (§. 374.) ab judicibus laicis esse dijudicandas. Neque alio sensu interpretanda videtur gravissima synodi Tridentinæ (a) sententia: *Si quis dixerit, caussas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* *)

*) His principiis consentiunt expressa Bavariæ lex (b), consuetudo, ac novissima concordata cum Episcopis finitimis (c), ubi in caussis sponsalium, et matrimonii controversiis privativa cognitio eorum, » quæ ad obligationem, ad Sacramentum, ad vin- » culum matrimonii, ad impedimenta, ad jus, ad » existentiam, et valorem sponsalium, ad caussas » resilii, ad effectus canonicos, forum conscientiæ pertinent, relinquitur judici ecclesiastico, qui et lata sententia partes ad litis æstimationem persolvendam

(a) Sess. XXIV. can. 12 de sacram. matrim.
(b) Cod. civil. Bav. P. I. c. 6. §. 49.
(c) Ordinatio Elect. provision. de A. 1779. 25. April. n. 6. seq.

vendam et reum ad damna resarcienda, et satisfactionem præstandam obligat, pœnisque canonicis coercet: cetera ad judicem civilem remittit. Nam quod in id genus caussis ad determinationem » quanti, et qualis damni, et satisfactionis, et indemnisationis civilis, dotis, alimentorum etc. « » ad bona conjugum, successionem, alimentationem, legitimationem prolis, aliosque effectus civiles pertinet, *judex laicus* decernit; cetera autem judici ecclesiastico definienda relinquit, et ad ejus forum remittit: neque sub obtentu *connexionis* ab alterutro judice caussæ alterius fori tractari possunt (d).

1) Non eadem prorsus ubique his in caussis dijudicandis consuetudo viget, sed alibi foro alterutri plus, minusve concedi: immo sponsalium cognitio alicubi penitus ad forum civile trahi solet. 2) Quum Domino territoriali catholico, et Cæsari in Protestantes subditos jurisdictio *ecclesiastica* etiam vi P. W. competat (§. 383.): dubium non est, caussas matrimoniales Protestantium mediatorum a Domino territoriali; Protestantium autem proxime soli Cæsari subjectorum a *Cæsare* et S. R. I. Archidicasteriis esse definiendas. Quanquam Protestantes hac in re haud sibi consentiant. *Vid. Ludovici Diss. de judice in caussis Principum Protest. matrim. Stryckius de matrimonio ex ratione status c. 4. n. 17.*

§. 657.

In caussis matrimonialibus, utpote, quæ ex gravioribus censentur, 1) non quemvis alium, qui jurisdictionem ecclesiasticam habet, sed regulariter solum *Episcopum* esse *judicem* voluit Tridentina synodus (e). 2) Procedendum

---

(d) Ibid. n. 7. seq. item Cod. civ. Bav. l. c.
(e) Sess. XXIV. c. 20. de reform.

dum autem illi erit *summarie* (f): 3) et quoniam nulla præscriptio impedimenta tollit, aut nullitatem matrimonii sanat, contra valorem matrimonii etiam post tempus longissimum suscipi potest actio (g). Porro

§. 658.

Actio adversus matrimonium jam contractum suscepta ut dirimatur, dicitur *accusatio matrimonii*; actio adversus matrimonium futurum, ne contrahatur, *denuntiatio* appellatur. Porro 1) ad *denuntiationem* impedimentorum, ut peccati pericula removeantur, admittuntur omnes, sufficitque etiam minus plena probatio, 2) ad *accusationem* vero matrimonii, a) si agatur de impedimentis, quæ per renunciationem partis læsæ et positum novum consensum sanari queunt, e. g. quæ ex capite doli, metus, erroris proveniunt; item ubi res est de *impotentia*, ut qua nil obstante conjuges ceu frater, et soror cohabitare permittuntur, soli admittuntur (h) conjuges; b) in aliis autem impedimentis consanguinitatis, affinitatis etc. præter conjuges alii, quibus major eorum notitia esse potest, accusare permittuntur: modo non solum scripto, sed per se ipsos accusent, nec suspecti sint fraudis, nec ante matrimonium denuntiare cognita impedimenta neglexerint. 3) Ab actione ad *di-vor-*

(f) C. 1 ut lite non contest Clem. 2, de judic.
(g) Ex cap. fin. de præscript.
(h) C. 4 qui matrim. accusare possunt c. 4. et 5. de frigid. et malefic. c. 21 de sponsalib.

vortium quoad *torum et cohabitationem* reliqui praeter conjuges exceptione: *tua non interest*: omnes excluduntur. 4) *Testes* heic etiam domestici, propinqui, et omnes, qui rei notitiam habere possunt, modo suspectae fidei non sint, admitti solent (i). 5) Ceterum accusatio matrimonii lege prohibiti, etiam post longissimum tempus, ut diximus (§. praec.) locum habet.

§. 659.

Matrimonium *accusari* coram judice legitimo solet maxime propter divortium (§. praec.). *Divortium* autem generatim est legitima conjugum ab invicem separatio: quae quum vel a) quoad torum et mensam tantum, aut cohabitationem, vel b) ad tempus vel in perpetuum; aut etiam c) quoad vinculum fieri possit; *divortium* aliud est 1) quoad *torum et mensam*, aut cohabitationem, idque vel a) *temporaneum*, vel b) *perpetuum*; 2) aliud *quoad vinculum*.

§. 660.

De *divortio* sequentia notamus *axiomata*:

I. Matrimonium jure divino indissolubile divortium quoad vinculum vulgo respuit:

II. Divortium quoad torum et mensam, ut sit legitimum, non nisi gravibus ex caussis, et

III. Regulariter judicis legitimi auctoritate fieri debet:

IV. Variosque effectus sortitur: qui

V. Effectus restaurato matrimonio fere cessant.

§. 661.

(i) C. 2. 3. 4. 5. qui matrim. accusare possunt.

§. 661.

Quoniam I. matrimonium præsertim a fidelibus consummatum *jure divino*, id quod Theologi demonstrant, est *indissolubile*, 1) in eo divortium quoad vinculum nunquam habet locum; * 2) nullitas matrimonii saltem per duos testes omni exceptione majores debet probari; 3) in dubio semper pro validitate matrimonii, id quod minus periculi habet, pronuntiatur; ** 4) nec nisi post duas conformes sententias adhibitisque aliis solennitatibus ad alias transire nuptias conceditur ***)

1 *) Dissentiunt heic a Catholicis Protestantes, qui non solum ob adulterium, sed et alias ob caussas matrimonii vinculum solvi posse contendunt (k). 2) Græci catholicæ ecclesiæ uniti ex subobscuro scripturæ loco (l) matrimonii vinculum ob alterutrius conjugis adulterium solvi posse putant. At Tridentina synodus pronuntiavit: »Siquis dixerit, » ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta » evangelicam et apostolicam doctrinam propter » adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit.« (m) 3) Qua sententia, dicunt viri quidam docti (n), non voluisse S. Synodum ceu *fidei dogma* proponere, quod matrimonium etiam in casu adulterii sit insolubile, neque voluisse Græcos, aliosque, qui in hoc

(k) Pfaffius Diss. de divort. G. Adam Struvius de jure divortiorum. Stryck Diss. de divortio totali ob insidias vitæ structas.

(l) Matth. XIX. 9.

(m) Sess. XXIV. c. 7. de sacram. matrim.

(n) Natalis Alex. in H. E. ad sec. IV. c. 6. Art. 19. §. 4. Fleuri H. E. L. 17. §. 15. Gazzaniga de virt. theol. c. 9. Casp. Juvenin Diss. 10. de *Matr.* q. 4. etc. etc.

hoc casu matrimonium dissolvi posse putant, perstringere, sed damnare Acatholicos, qui ecclesiæ doctrinam ceu erroneam, tyrannicamque traducere, et suggillare non verebantur. Vid. J. Adam. Braun Diss. *utrum matrimonii vinculum in casu adulterii jure divino, an solum jure ecclesiastico insolubile sit.* Moguntiæ 1787. c. 3. §. II. pag. 69. Vid. item Diss. Meine Gedanken von der Unzertrennlichkeit einer gültig geschlossenen und vollbrachten Ehe von einem Rechtsgelehrten, 1789.

**) Quodsi tamen pars alterutra vel utraque impedimenti, quod probare nequit, foret certa, cohabitare utpote conjugi non suo quoad totum nequit; potiusque censuras ecclesiasticas sustinere humiliter debet (o).

***) Huc pertinet Benedicti XIV. constitutio: *Dei misericordia.* 3. Nov. A. 1741., qua decernit ut 1) caussæ super nullitate matrimonii non nisi Episcopo, aut, ubi is desit, judicibus synodalibus, dignitate, personatu, aut canonicatu in ecclesiæ cathedrali ornatis committi, nec nisi post duas sensentias conformes finiri queant. 2) In singulis dioecesibus vis jurisperitus, et probus eligatur *defensor matrimonii,* 3) qui in singulis, ubi de matrimonii valore vel nullitate agitur, judicii actibus sub pœna nullitatis adsit, 4) vi officii valorem matrimonii tueatur, et contra sententiam valori ejus adversam appellet. 5) Si qui pendente appellatione novas contrahant nuptias, ceu polygami separentur: 6) nec nisi post duas conformes de nullitate matrimonii sententias, aut desertam secundam appellationem nuptias novas inire partibus liceat; ceterum 7) caussæ hæ in rem judicatam nunquam transeant.

§. 662.

(o) C. 13. de restit. spoliat. c. 44. de sent. excomm.

§. 662.

Quod 1) ex singulari, et ob veræ Religionis favorem concesso privilegio (p) *vinculum matrimonii* ab infidelibus *consummati* per novas alterius conjugis ad fidem christianam conversi nuptias solvatur; siquidem pars altera in infidelitate persistens, licet requisita, fideli aut omnino non, aut non sine creatoris injuria cohabitare velit, *) dudum communis erat Doctorum sententia, quam haud ita pridem vir eruditus edita dissertatione (q) ceu publica lege canonica (r) confirmatam et diuturna praxi receptam strenue propugnavit contra plures viros catholicos, qui contrariam sententiam conquisitis undique argumentis fulciunt (s). 2) *Matrimonii rati* solum, nondum consummati, vinculum per *solennem Religionis professionem* alterius conjugum dissolvi, **) ex omnium Catholicorum confessione, et disciplina ecclesiæ universali per Tridentinam synodum (t) confirmata certum est. 3) Num matrimonii rati vin-

(p) I. Cor. 15. c. 1. et 7. de divort. c. 2. caus. 28. q. 2. Vid. Benedicti XIV. de synod. dioeces. L. 6. c. 4. et L. 13. c. 21.

(q) R. R. D. Martinus Pronath quondam Magister subin D. Abbas meus Diss. de eo, quod justum est in matrimonio Infidelium etc. Ratisb. 1780.

(r) C. 2. caus. 28. q. 2. et c. 7. de divortiis.

(s) Prudent. Maran, Gervasio, de Riegger, Engelb. Klupfel, Hilar. Robeck etc. etc. Cf. Neue Litteratur des katholischen Deutschlandes. III. B. III. St. pag. 404. et DD. Mart. Pronath. cit. diss. Præfat.

(t) *Trident.* Sess. XXIV. c. 6. de Sacram. matrim.

vinculum per *dispensationem Pontificis*, solvi queat, nec inter Catholicos convenit.

*) Unde conjugibus post celebratas nuptias bimestre spatium ad deliberandum conceditur, quo ingredi Religionem, nec interim ad matrimonii consummationem cogi possunt (u). Matrimonio autem libere consummato nulla pars Religionem profiteri potest, nisi conjux consentiat atque etiam vel Religionem profiteatur, vel saltem si id Episcopo satis visum fuerit, castitatis voto se obstringat (x).

§. 663.

II. *Divortium quoad torum et mensam* fieri nunquam nisi gravibus ex caussis debet; et 1) *perpetuum* quidem fere ob solum alterius conjugis adulterium, (y) aut carnis consummatum crimen decernitur: * 2) *temporaneum* ob sævitiam mariti, hæresin conjugis, ob animæ, corporis, aut sanitatis periculum, aliis modis haud evitandum, pars altera petere a judice potest. (z)

*) I. Adulterium justam divortio caussam præbet 1) sive a viro, sive ab uxore sit admissum (a); sufficit 2) illud ex gravibus violentisque indiciis esse præsumtum (b), ut 3) pars innocens invita etiam parte nocente possit in perpetuum separari, Religionem ingredi, aut S. Ordinem suscipere (c). Attamen

(u) C. 7. de convers. conjug. c. 16. de spons.
(x) C. 19. 21. caus. 27. q. 2. c. 4. 6. 8. 18. de convers. conjug.
(y) Math. V. 32. c. 3. 7. 8. de adult.
(z) C. 2. 6. de divort. c. 1. et 2. de conjug. lepros.
(a) S. Innocent. Epist. 3. c. 4. ad Exuperium.
(b) C. 12. de præsumt. c. 27 de testib. L. 8. §. 2. 3. Cod. de repud.
(c) C. 15. et 16. de convers. conjug.

tamen 4) si adulterantem flagitii vere poeniteat; pars innocens potest, imo ex charitate tenetur quandoque eidem reconciliari (d). II. Divortium ob adulterium locum non habet 1) si istud ab utroque conjuge fuit admissum; 2) si pars altera caussam culpabilem adulterio dederit; 3) si ob vim illatam aut probabilem ignorantiam excusari possit; 4) aut ab altero fuerit libere remissum (e).

§. 664.

III. Separatio conjugum vulgo per auctoritatem *competentis judicis* est decernenda. Unde intelligimus; 1) cur heic sententia Episcopi aut judicis ab eo delegati (§. 655. seq.) sit opus; 2) cur suo arbitrio recedens conjux ad cohabitandum compelli possit; 3) cur, nisi periculum sit in mora, caussave notoria, publicam secessionem, privata auctoritate facere haud liceat; ob adulterium tamen a toro nocentis se separare conjugi innocenti integrum sit. (f).

§. 665.

IV. *Effectus divortii* varii sunt; et 1) siquidem id factum sit quoad *vinculum*, personae cetera habiles ad alias nuptias transire libere (Cf. §. 661.) possunt; 2) si *quoad torum et mensam*: separatim quidem vivere, ad alia vota autem transire nec innocenti fas est; (g) 3) si in *perpetuum* ob adulterium facta sit separatio, licebit alteri etiam invita parte nocente

(d) C. 1. 6. 7. caus. 32. q. 1. et c. 3. de adult.
(e) C. 6. 7. de adulteriis c. 5. de divortiis.
(f) C. 6. de divort. c. 8. 13 de restit. spol.
(g) C. 2. de divortiis. etc.

te Religionem profiteri: 4) si *absque* utriusque *culpa* contingerit divortium, bona cuique sua, et bonorum communium pars debita reddantur: 5) si propter adulterium mulieris factum sit divortium; hæc *dotis* detrimento mulctatur; quocirca mariti hæredes uxori dotem repetenti exceptionem adulterii opponere possunt: 6) si ob viri adulterium aut sævitiam divortium fiat, vir mulieri factam injuriam jactura *donationis propter nuptios* farcire cogitur (h). *) Attamen, quod ad civiles hos effectus adtinet, leges patriæ maxime adtendendæ erunt.

*) Hæ pœnæ in iis, quæ supra (§. 663. in not.) recensuimus, adjunctis locum non habent. Quid in Bavaria hac super re justum sit, dilucide definitum habetur Cod. civ. Bav. P. I. c. 6. §. 43. Cf. Annot. B. de Kreitmayr.

§. 666.

V. Divortii *effectus cessabunt* matrimonio inter conjuges denuo restaurato. *Restaurari* autem matrimonium I. *debet*, 1) si deinceps adpareat caussam illius dissolvendi falsam fuisse: e. g. si impotentiam non adfuisse constet, 2) elapso, ad quod decernebatur divortium, temporis spatio: modo caussa sublata sit, aut cautio de securitate præstetur (i): 3) si charitas sibi, aut resipiscenti debita (§. 663. not.) id exigat (k). II. Restaurari *potest*, si conjuges,

 quoad

(h) C. 1. 4. 7. 8. de donation. inter virum et uxorem.
(i) C. 8. de restit. spol.
(k) C. 3. de adulteriis.

quod mensam vel torum perpetuo etiam separati, libere velint.

§. 667.

Soluto per mortem aut aliis modis (§. 662.) prioris matrimonii vinculo, modo de prioris matrimonii nullitate, vel conjugis prioris morte moralis certitudo habeatur, 1) ad ulteriores (*secundas* generali adpellatione vocant) *nuptias* transeundi libera cuique facultas est: 2) neque *annus luctus* a jure Rom. præfixus exspectari necessario debet; *) nec 3) pœnæ secundo nubentibus eodem jure dictatæ vi juris canonici luendæ sunt (l); nisi quæ peculiaribus fors locorum legibus vigeant. ** 4) Attamen secundis nuptiis ceremonia sacerdotalis benedictionis negatur (m). Qua quidem in re diœcesium consuetudo haud ubivis sibi consentit.

*) Tempus luctus olim jure Romano erat mensium decem: deinceps duocim mensibus lugere jussæ sunt viduæ: quod tempus *annus luctus* dici consuevit. Intra annum luctus nubens vidua Prætoris edicto infamia notabatur. *Annus luctus* in Germania quoque non incognitus alicubi ad novem, alibi ad sex, uspiam ad tres menses restringebatur. *Vid. Selchow. Elem. J. I.* 2. *c.* 1. *sect.* 2. *tit.* 5.

**) Jure Bav. non omnes quidem, aliquæ tamen, quas jus. Rom. in secundas nuptias constituit, pœnæ adhuc quibusdam in casibus obtinent; de quibus vid. Cod. civ. Bav. P. I. c. 6. §. 47. et 48. et Adnotat. L. B. de Kreittmayr.

CAPUT

(l) C. 19. de spons. c. 4. de secund. nupt.
(m) C. 1. 3. de secund. nupt.

CAPUT II.

De locis sacris, et religiosis.

ARTICULUS I.

De Ecclesiarum Exstructione, Reparatione, Consecratione.

§. 668.

Inter res, quas generali sensu vocant *ecclesiasticas*, (§. 600.) *loca* quoque ecclesiastica, seu divino cultui, et religionis pietatisque exercitio destinata numerant, hæcque dividunt in loca 1) *sacra*, quæ Deo, cultuique divino consecratione quadam, aut benedictione — 2) *religiosa*, quæ absque consecratione, per auctoritatem tamen ecclesiæ — 3) *pia*, quæ privata solum pietate et auctoritate religiosis piisque usibus dicantur.

§. 669.

Inter loca *sacra* censentur potissimum *SS. ecclesiæ* seu ædes ad celebranda divina officia, et publicum sacræ liturgiæ exercitium destinatæ, et ad hos usus speciali, aut consecratione aut benedictione initiatæ. De quarum 1) *origine*, 2) *forma*, 3) *exstructione*, 4) *reparatione*, 5) *consecratione*, 6) *exsecratione* ac *pollutione* heic quam brevissime dicendum. Porro

§. 670.

Origo I. quidem *ecclesiarum* seu locorum, ad quæ fideles sacrorum caussa confluunt, jam a ipsa christianæ Religionis incunabula jure refertur. 1) Licet enim Sacra primo in priva-

tis sæpe domibus, cryptisque etiam subterraneis haud raro celebrabantur; certa tamen, ad quæ fidelium multitudo sacrorum caussa confluxerat, loca jam tunc fuisse destinata; *) immo Christianis diu ante Constantinum patentes etiam publicasque ecclesias non defuisse, ex primorum seculorum documentis monumentisque indubitatis constat. (§. 377. not 1.) 3) *Forma* splendidior exteriorque magnificentia maxime post pacem a Constantino redditam ecclesiis inducta. 3) *Ritus* etiam ecclesias solenniter *dedicandi*, consecrandique paullatim invectos esse verosimillimum est: quosdam autem illorum jam sec. IV. initium habuisse, documenta illius ævi minime dubia (a) commonstrant. Ceterum 4) sec. IV. et insequente tantus majores minoresque ecclesias ædificandi ardor homines incendit, ut, ne quis deinceps id sine venia Episcopi auderet, vetare (b) fuerit necesse. 6) Porro loca divino cultui dicata vario nomine *domus Dei*, *ecclesiæ*, *Dominica*, *Martyria*, *Oratoria*, *Capellæ* subin, et sacella etc. adpellabantur. *Templorum* autem compellatione, quod eo nomine Ethnicorum delubra vulgo intelligebantur, Christiani primis saltem seculis sollicite abstinebant. **)

*) Fuisse

(a) Vid. Euseb. H. E. L. 10. c. 3. Athanasius in Apolog. 2 ad Constantinum. Cf. Rupprecht Not. in J. C. Lib. 3. tit. 40. n. 6.

(b) Can. 4. concil. Chalcedon. apud Gratian. c. 10. caus. 18. q. 2.

*) Fuisse jam inde a Religionis christianæ exordio singularia quædam loca celebrandis christianorum sacris destinata ex Medi dissertatione speciali prolatis tum SS. literarum, tum aliis primorum seculorum documentis monumentisque ostendit Bingham (c). Quare Origines, Minutius Felix, Arnobius, aliique, qui Christianis fuisse *templa* inficiantur, solum de templis gentilium sensu acceptis, seu quæ idoli divinitatem includerent, intelligendi sunt; nisi eos secum ipsis, et aliis cum documentis genuinis pugnare velis. Ceterum de antiquis ecclesiis, de forma earum, de partibus; ornamentis, immunitate pererudite agit idem Bingham *per librum 8. Orig. eccl. integrum. Cf. Zech. de jur. rer. Sect. I. Tit. I. seq. Fleuri hist. eccl. L.* 10. *n.* 3. *L.* 11. *n.* 45. *seq. L.* 12. *n.* 10.

**) Jam prioribus ecclesiæ seculis varium erat locorum sacrorum genus. Quinque eorum genera distinguere videtur concilium Chalcedonense, dum Canone VI. vetat: » ne quisquam ordinetur, in » *ecclesia civitatis*, aut *pagi*, aut in *martyrio*, aut » in *monasterio*, « et subin c. VIII. Episcopo subjicit Clericos monasteriorum et *Ptochodochiorum* seu hospitalium. A sec. V domestica Magnatum, et Principum oratoria longe frequentissima evaserunt (d). Quæ inter celeberrimum erat illud Regum Francorum in ambitu palatii ædificatum, quod a capa breviori, seu capella S. Martini, quæ ibidem magno honore unacum aliis reliquiis asservabatur, *capellæ* compellationem adeptum est (e). Inde qui eas reliquias custodiebant, aut ibidem curabant sacra, *Capellani* sunt appellati. 4) Similes capellæ deinceps in omnibus palatiis, regiis-

 que

(c) Bingham Origin. eccles. L. 8. c. 1. §. 13. seq. Zech de jur. rer. eccl. P. I. sect. 1. tit. 1. §. 4.
(d) Vid. Thomassin v. et n. disc. P. I. L. 2. c. 92. seq.
(e) Du Cange et du Fresne glossar. verb. capella.

que curiis erectæ itidem *capellæ palatinæ, regales, regiæ. dominicæ* dicebantur, præcipuisque præfulgebant prærogativis. Ceterum quum his in Oratoriis ceu locis maxime tutis Archivum, diplomata, et regni præcipua monumenta servarentur, *capellæ* nomine non raro Archiva et Cancellaria intelligebantur, et *Capellanorum* vocabulo etiam *Secretarii, Archivarii, Cancellarii* veniebant, imo *Archicapellani* et *Archicancellarii* munus arcte nexum sæpiusque ab uno eodemque gestum fuisse verosimillimum est. 5) Demum *capellæ* nomen ad omnis generis ecclesias minores inprimis, et non baptismales est translatum. Quare præter capellas *regias* occurrunt *regulares, rurales, annexæ* majoribus ecclesiis, *filiales, succursales, domesticæ* etc. Vid. *du Fresne et du Cange glossar. v. capella et Cf. Thomassin de v. et n. disc. P. I. L.* 2. c. 92. 95.

§. 671.

Ecclesiarum *exstructio* I. nonnisi ex justa *caussa* et ad *modum* lege determinatum, II. *auctoritate* legitimi *Superioris*, III. congrua *dote* eidem constituta fiat oportet.

§. 672.

Ut ecclesiæ exstructio I. ex *justa caussa* et ad *modum* lege determinatum facta dici queat, 1) nec in ipsius religionis, *) nec 2) in aliarum ecclesiarum præjudicium (f) cedat, sed 3) ad promovendam pietatem, et ob gravem rationem e. g. ob distantiam aliarum ecclesiarum, populi frequentiam, insignium reliquiarum custodiam (g), 4) in loco congruo fiat necesse est (h).

*) Uti

(f) C. 43 44. causs. 16. q. 1. c. 2. de eccl. ædific.
(g) C. 3. de eccl. ædific. c. 50. 51. causs. 16. q. 1.
(h) C. 13. de consecr. dist. 1.

*) Uti si forte solennitas sacrorum, populi instructio, Parochi congrua sustentatio hac ratione pateretur. Fac autem; hæc nocumenta abesse; tamen privatis, imo affilibus sæpe aliquorum devotionibus circa ædificandas ecclesias et capellas campestres haud erit deferendum, quod recte monet *Barthel Annot. in Engel Decret. L.* III. *tit.* 48.

§. 673.

Ecclesiæ *exstructio* II. auctoritatem *Superioris*, scilicet *Episcopi* loci, requirit: * qui 1) caussam exstructionis cognoscat, 2) eos, de quorum præjudicio agitur, audiat, 3) an locus congruens sit, videat; 4) lapidem angularem benedicat, crucemque in loco figat (i). 5) Neque etiam hac in re Principis consensus negligendus est: ** 6) et ad pacta quoque ac leges locorum adtendendum. ***)

*) Auctoritas Episcopi ad ædificanda quoque oratoria privata, saltem ea, in quibus S. Missæ sacrificium sit celebrandum, necessaria censetur c. 4. *concil. Chalced.* et c. 33. et 34. *distinct.* 1. *de consecrat.*

**) Consensus Principis, maxime ubi rationes politicæ quoque connexæ sunt, requirendus. In Bavaria per decretum Electorale (k), ne ecclesiæ haud necessariæ deinceps exstrui permittantur, gravissime vetatur.

***) In Germania ad normam in P. W. præscriptam respiciendam; ne forte exstructio ecclesiæ *novi operis nuntiatione* interturbetur; quod quidem ex caussis levibus, nec ullo modo in P. W. fundatis non raro esse factum experientia testatur. Ceterum Princeps catholicus eo ipso, quod in locis

(i) C. 9 de consecr. dist. 1. c. 10. causs. 18. q. 2.
(k) A. 1690. 10. April. ad Consil. eccl. aulicum datum et Decret. de A. 1770.

cis, ubi vi anni normalis liberum Religionis exercitium Protestantes habent, *simultaneum innoxium* (§. 387.) inducere possit, ecclesias quoque exstruendi libera pollet facultate.

§. 674.

Ecclesiæ recens exstructæ III. *Dos congruens* assignanda, 1) quæ ad clericos alendos, ad ejus ornamenta, et cultus divini celebrationem sufficiat: et 2) per se fit perpetua. Quocirca 3) ecclesiam dote destitutam consecrare vetant canones (l).

§. 675.

Ecclesiæ, parochiales inprimis, aliæque sacræ ædes deinceps *sartæ tectæ servandæ* sunt: quem in finem quarta redituum ecclesiasticorum pars olim (m) assignabatur. Reficiuntur autem 1) ex patrimonio fabricæ dicato, aliisque bonis ecclesiasticis; 2) quodsi ecclesiæ non parochiali proventus desint, ut eæ reparari nequeant, Episcopus beneficia simplicia etiam juris patronatus, vocatis iis, quorum interest, ex iis ecclesiis collapsis in matrices aut alias ecclesias vicinas transferre poterit: 3) *Parochiales* vero ecclesiæ reficiendæ sunt ex fructibus et proventibus ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus; qui si non sufficiant, patronus, aliive ex hac ecclesia fructus percipientes pro rata fructuum portione, *) aut his deficientibus parochiani ad parochialem quidem

(l) C. 9 distinct. 1. de consecrat. c. 8. de consecrat. eccles. conc. Trident. sess. XXI. c. 4. de reform.
(m) C. 30. caus. XII. q. 2. seqq.

dem, non ad alias haud necessarias ecclesias reparandas concurrere sumtibus, aut operis tenentur (n) ** 4) nisi lege speciali id onus aliis forte sit impositum (o).

*) Decimatores 1) ratione *decimarum*, quæ ex *origine* sua *laicales* sunt, non obligari, ut ad ecclesias reparandas quidpiam conferant, communis habet sententia. 2) At vero decimas alias *origine* quidem *ecclesiasticas*, sed deinceps in laicorum manus devolutas cum eo onere ad hos transiisse videtur verosimillimum: attamen 3) decimas laicis in feudum datas, quoniam vasallo alia servitia ex feudo jam incumbunt, ab onere fabricæ plane immunes esse adfirmat *Rudolph Will, diss. de differentia decimarum eccles. et secular. quoad onus reparandi ecclesias.* §. 6. *Thesaur. J. Eccl. Tom. VII. pag.* 447. *seqq. Cf. Bæhmeri vindiciæ libertatis decimarum laicalium a contributione ad refectionem ecclesiarum paroch.*

**) » Cuicunque onus fabricæ incumbat, subditi tamen, seu Parochiani, inquit Barthel (p), operas » manuales et alias (Hand- und Fuhrfrohn) præstare tenentur . . . ex fortissima præsumtione et » maxima æquitate, quia qui sentit commodum, » debet sentire et onus. «

***) Sic alicubi clerus chorum, populus navem (das Langhaus) turrimque reficere, alibi decimatores id totum, partemve præstare obligantur. In Bavaria 1) reparationes ecclesiarum majores nonnisi cum Episcopi, et Principis consensu; communes notabiliores cum Consilii ecclesiastici electoralis adnutu,

(n) Cf. Trid. sess. 21. c. 7. de reform.
(o) Vid. Barthel diss. de decimis, et Annotat. in P. Engel Decret. L. III. tit. 48. Cf. L. B. de Kreittmayr Adnot. in Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 42. n. 7.
(p) Annot. in Engel L. c. pag. m. 204.

tu, atque illis, quorum interest, prius auditis, per artifices peritos, præcipue indigenas, perfici jubentur etc. (q) 2) Ecclesiæ, quæ nec parochiales, nec ad divina celebranda necessariæ, si propriis ipsarum sumtibus instaurari nequeant, deinceps si magni sumtus faciendi, reparari non debent (r). 3) Modus et mensura, queis decimatores tum ecclesiastici tum laici, item aliæ ecclesiæ locupletiores ad reparationem ecclesiarum parochialium maxime, quæ propriis proventibus refici nequeant, concurrere teneantur, speciali mandato electorali (s) determinatur. 5) Parochorum ædes tum propriis Parochi proventibus, salva semper congrua, tum fere ab iisdem, a quibus ecclesiæ, reparantur. 6) Domus æditùorum ex bonis ecclesiæ; 7) domus ludimagistri communitatis solius sumtibus exstruenda, reparanda (t) Quodsi 8) eadem domus a ludimagistro æditquoque simul incolatur, exstructio, reparatioque communibus ecclesiæ et populi sumtibus curanda erit.

§. 676.

Ecclesiæ *consecrandæ* sunt aut saltem *benedicendæ* (u), id est, solemniter a legitimo Ministro adhibitis certis symbolis, verbis, et ritibus ad cultum divinum deputandæ, et dedicandæ (§. 670.) Actus hujus dedicationis *consecratio* dicitur, aut *benedictio*, *) de cujus utriusque I. *ministro* II. *modo* et adjunctis; III. *effectibusque* heic strictim facienda mentio.

*) Dif-

(q) Cf. L. B. de Kreitmayr. Annot. in Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 42. n. 6. et 7.

(r) De 1771. 26. Mart.

(s) De 1770. 4. Oct.

(t) Cf. regulas adjectas ordinationi Consil. eccles. elect. de 1783. 25. April.

(u) C. 10. de consecr. eccl.

*) Differunt a se *consecratio*, et *benedictio*, quod in illa unctio adhibeatur, non in ista: b) alius illius, quam hujus sit ritus, et minister, c) alii effectus, etc. Cf. *Andr. Rüdel diss. Ecclesiarum et Altarium consecratio etc. Heidelb.* 1754.

§. 677.

Consecratio ecclesiæ est actus ordini episcopali ex jure solum ecclesiastico adnexus; et proin 1) per Episcopum diœceseos, in qua sita est ecclesia, jure communi peragi, et 2) ab eodem nonnisi alteri Episcopo (x) demandari; 3) a Pontifice tamen committi etiam Presbyteris poterit. 4) *Benedictio* etiam a simplici Presbytero ex Episcopi delegatione perficitur.

*) Altaria quoque tum fixa, tum portatilia, patenas, calices, campanas item jure communi solus Episcopus, jure singulari, Prælati usu pontificalium præditi pro suis ecclesiis benedicunt, et consecrant. Paramenta altaris, sacrasque vestes Prælati regulares omnes, et ex delegatione Episcoporum alii Presbyteri, Decani præcipue rurales benedicere solent.

§. 678.

Consecratio 1) recte equidem omni die, decentius tamen dominicis, et festivis diebus peragitur (y). 2) Pridie consecrationis et a consecratore, et ab iis, qui ecclesiam sibi consecrari petunt, jejunium decenter præmittitur; 3) consecrandæ ecclesiæ Sanctorum inferuntur reliquiæ (z); 4) cruces in parietibus de-

(x) C. 4. dist 68. c. 9. de consecr. eccl. Trid. sess. 6. c. 5. de reform.
(y) C. 2. de consecr. eccl.
(z) C. 26. 29. de consecr. dist. 1.

conciliationem divina officia, præsertim missarum solennia celebrare non liceat (h). » Is, qui in ta» li ecclesia scienter celebrare præsumit, licet teme» rarie agat, irregularitatis tamen, cum id non sit » expressum in jure, laqueum non incurrit. « (i)

***) Ecclesia 1) *consecrata*, si polluatur, reconciliari nisi ab Episcopo jure communi nequit (k): solet tamen a Pontifice concedi Episcopis facultas eam reconciliationem simplici Presbytero delegandi. Fit autem reconciliatio hæc per aquam cum vino, cinere, sale ab Episcopo benedictam. 2) Si ecclesia duntaxat fuerit *benedicta*, solum aqua exorcizata lavanda atque ita reconciliatonda erit (l), idque etiam per simplicem Presbyterum fieri posse Doctorum auctoritas, et praxis communis confirmant. Ceterum 3) solennem reconciliationem, nisi pollutio sit publica, haud esse necessariam, et plerique Doctores asserunt, et synodus Coloniensis (m) monet. Cf. van Espen J. E. un. P. II. tit. 16. c. 4.

ARTICULUS II.

De Cœmeteriis, et Sepultura Ecclesiastica.

§. 680.

Inter *loca sacra* (§. 668.) censetur itidem *cœmeterium*, seu locus publicus sepeliendis Christianorum corporibus auctoritate ecclesiastica destinatus, et accedente benedictione dicatus.

Sepul-

(h) C. 10. de consecr. eccl. c. 11. de privileg.
(i) C. 18. de excomm. in 6.
(k) C. 9. de consecr. eccl.
(l) C. 10. eod. tit.
(m) A. 1536 part. 9. c. 18 apud van Espen J. E. un. P. II. tit. 16. n. 26.

Sepultura nunc 1) ritum sepeliendi defunctorum corpora (a), nunc 2) jus inferendi cadavera in sepulcrum (b), nunc 3) locum ad sepelienda mortuorum corpora destinatum (c) denotat.

* 1) Jam inde ab ecclesiæ incunabulis Christiani corpora fidelium ceu animarum domicilia, et Spiritus sancti templa adhibitis statis piisque ritibus sepelire consueverant (d). 2) Ritus paullatim inducti fere erant ejusmodi. Mortuis statim claudebantur oculi, cadavera lota, honesteque vestita sæpe publice fuerunt exposita, aliquando in ecclesiam etiam delata. Iis præsentibus quandoque hymni et psalmi cantari solebant, et missa celebrari. Post hæc cum precibus aliisque ritibus, quos varios ecclesiæ variæ adhibuerant, loco ad humanda corpora destinato inferebantur (e). Quem in finem quum 3) sævientibus persecutionibus locus publicus deligi ubivis non posset, in agris, speluncis, cryptis, quæ area, tumbæ, catacumbæ, cryptæ arenariæ dicebantur, fidelium cadavera sepeliebantur. 4) Etsi vero antea per leges Romanas prohibitum esset quorumcunque corpora in urbe sepelire; cessantibus tamen persecutionibus non modo Martyrum sepulcra in urbibus permissa; sed et corpora eorum e cryptis eruta in urbem translata perhonorifice condita fuere: sæpius supra Martyrum tumulos magnificæ ecclesiæ, quæ *martyria* vulgo dicebantur, excitabantur. 5) Quum autem

(a) C. 105. caus. 1. q. 1.
(b) Clem. 2 de sepultur.
(c) C. 3. de sepultur.
(d) Origenes L. 8. contra Celsum. S. Augustinus L. 1. de civitate Dei c. 13. et Lib. de cura pro mortuis.
(e) De his vid. van Espen J. eccl. un. P. II. tit. 38. c. 1.

fideles sua corpora post mortem corporibus Martyrum sociari cuperent, tum ruri, tum in urbibus prope eas ecclesias cœmeteria constitui cœperunt. (f) 6) Quem morem cadavera in urbibus sepeliendi rursus Theodosii lex quidem sustulit (g): tandem vero 7) populi desideriis satisfacturus Leo Imperator edita constitutione (h), lege illa abrogata omnibus sive intra sive extra urbem sepulturam eligendi liberam facultatem dedit. Hanc facultatem per varias locorum leges esse hodie hinc inde restrictam nemo nescit. Neque Principum solum leges, sed et eruditorum calami contra antiquum cadavera in ecclesiis urbibusque sepeliendi morem pugnant. Hos inter Ernestus Platner habita oratione contendit, a) jus sepulturæ in ecclesiis, utpote quod juri naturali, et legi universali: *neminem lædat*, repugnet, esse per se nullum: nec b) iis, qui sepulturam pecunia redemere, datum pretium esse restituendum; quum eos, qui vitiosam aut ipso jure nullam susceperunt actionem, damnum ferre oporteat: aut certo c) id genus privatorum jura, ceu bono publico inimica, a Principe annullari posse. *Oratio advers. sepult. in ædib. sac. habita. Lipsiæ* 1788. *d.* 14 *Martii.*

§. 681.

De sepultura sequentes notamus propositiones: I. ecclesiastica sepultura in loco religioso, et sacris ritibus peragitur: II. unde iis, qui vel membra ecclesiæ non sunt, aut ob crimina a sacris ecclesiæ vivi excluduntur, aut impœnitentes decedunt, ecclesiastica sepultura negatur: III. jus sepulturæ in regula ad

(f) Cf. Rupprecht Not. in jus can. l. 3. tit. 28.
(g) L. 6. Cod. Theod. de sepulcr. violato Anno 381.
(h) Novella 53.

ad ecclesias parochiales restringitur; proin in cœmeterio ecclesiæ parochialis sepeliendus quivis est, nisi vel sepulturæ electio obstet, vel IV. privilegium.

§. 682.

I. *Humatio* fit 1) *in loco religioso*, qui a) auctoritate Episcopi erigitur, ab eoque, aut ex ejus delegatione a Presbytero benedicitur, * b) pollutusque reconciliatur; (§. 679) c) ceu locus vere religiosus Episcopi jurisdictioni est subjectus: fit 2) *sacris cum ritibus*, psalmis, precibus, thurificatione, aquæ benedictæ aspersione, missæ oblatione, (§. 680. not.) **) Proin qui a communione ecclesiæ et sacris generatim, iidem et a sepultura ecclesiastica excluduntur: nempe

* 1) Apud Romanos jam ipsa humani cadaveris humatio locum reddebat *religiosum*. Ecclesia christiana sepulturæ locum non tam ab humatione corporum, quam a benedictione *religiosum* æstimat, precibusque et S. ritu ad sepulturam fidelium destinat, sacratque. Porro 2) pervetustus quidem cœmeterii benedicendi mos est (i); incertum tamen ejus moris initium. 3) Benedictionem cœmeterii olim a benedictione ecclesiæ non fuisse separatam, perquam est verosimile. Hodie speciali ritu et formula dedicari cœmeteria solent.

**) Preces in sepeliendis fidelium corporibus hodieque usitatæ fere eædem jam in quodam seculi X. Sacramentario occurrunt. In quo quum nec trinæ thurificationis nec aspersionis aquæ fiat mentio, hunc ritum vel recentioris esse institutionis, vel
hunc ritum vel recentioris esse institutionis, vel
saltem eo seculo nondum ubique fuisse receptum

 in

(i) Ejus meminit S. Gregorius Touronensis de gloria confessor. c. 106. vid. van Espen L. c. n. 20.

infert. *Van Espen J. eccl. un. P. II. tit.* 38. *c.* 1. *n.* 46.

§. 683.

II. Iis, qui aut in ecclesiæ communionem nunquam recepti, vel qui deinceps ab ejusdem communione fuere exclusi, aut notorie impœnitentes decedunt, negatur sepultura ecclesiastica. Idcirco ab ea arcentur, 1) qui non baptizati, aut in hæresi, vel excommunicatione majore irretiti obiere (k); 2) qui in duellis, torneamentis occiduntur, etsi pœnitentes obeant (l); 3) blasphemi, usurarii manifesti, et raptores, qui non satisfecerunt (m); 4) confessionem, et communionem annuam negligentes (n); 5) Religiosi ceu proprietarii decedentes (o); 6) mortem sibi ipsis consulto inferentes; 7) peccatores omnes notorii absque pœnitentiæ indiciis mortui (p). Qui excommunicatos denuntiatos ac nominatim interdictos vel usurarios manifestos sepelire in loco sacro præsumserit, excommunicationem ipso facto incurrit. (q)

* 1)

(k) C. 8. de Hæret. c. 2 ibi in 6. c. 12 de sepult. Clement. 1. de sepult. de Protestantibus German. vid. Barthel. Annot. ad Engel L. III. tit. 28.

(l) Trid. Sess. XXV. c. 19. de reform. c 1. de torneam. constit. Benedict. XIV. detestabilem A. 1752.

(m) C. 2. de maled. c. 3. de usur. c. 2. de Raptorib.

(n) C. 12. de pœnit. et remiss.

(o) C. 2. 4. de statu monach.

(p) C. 12 causs. 23. q. 5. et ritual. Roman.

(q) Clement. 1. de sepult.

*) 1) Honore sepulturæ carere Romanis gravissimæ pœnæ erat genus: qua ceu maxime ignominiosa Christiani deinceps a persecutoribus sæpe sunt affecti. 2) Ecclesia nemini equidem humationem, sed quibusdam ecclesiasticam solum, quæ in sacrato fit loco, sacrisque cum ritibus conjungitur, negat sepulturam. Porro 3) negatæ hujus sepulturæ pœna non semper est latæ, sed aliquando ferendæ sententiæ pœna: talis quidem illa creditur, quæ in eos, qui paschalem communionem negligunt, fertur (r): proin Parochus eam propria auctoritate aut ante sententiam Episcopi exequi nequit. Consulendus igitur, quandocunque dubium occurrit, semper est Episcopus. In *dubio* enim, an quis sepultura gaudeat ecclesiastica, Episcopus dicit sententiam. Cujus sententia si exspectari nequit, in dubio favendum est defuncto. 4) Frequentius dubium occurrit circa autochiros. Quo casu in Bavaria judex secularis in defuncti mores, aliaque adjuncta testibus ad jusjurandum adstrictis inquirit, atque de tota rei serie cum Parocho loci communicat, qui rem omnem Episcopo dijudicandam transmittit. Quodsi judici seculari de malo hominis proposito, et deliberata voluntate liquido constet, is nulla facta ad magistratum ecclesiasticum relatione cadaver asini sepulturæ tradi, id est, per carnificem loco famoso sepeliri jubet. L. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bavar. P. II. c. 1. §. 4. n. 30.

**) Per humationem excommunicati in loco sacro, locus ipse pollui, seu profanari censetur; ut ante ejus reconciliationem eo in loco divina agi, et fideles ibidem sepeliri nequeant: ne per hoc cum excommunicato ibi sepulto, quocum in vivis communicare nequibant, post mortem communicare vide-

(r) Van Espen J. E. un. P. II. tit. 4. c. 3. n. 16 et 17.

videantur. (t) Igitur cadavera ejusmodi, si discerni possint, tumulo erui, et procul a sepultura ecclesiastica debent removeri. (u) *Cf. Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 38. *c.* 6.

§. 684.

Jus *sepulturæ* III. regulariter ad parochias restringitur; *) unde 1) jure communi quivis in parochia domicilii sui, si commode illuc transferri queat, (x) hodie per consuetudinem in ea, in qua quis mortuus est, aut sacramenta percepit, parochia est sepeliendus; nisi aut majorum sepulcrum habeat, **) aut alibi sepulturam sibi elegerit. (y) 2) *Eligere* vero sepulturam uxori, atque etiam filiofamilias puberi (z) et cuivis integrum est, qui jure non prohibetur. 3) Prohibentur autem eligere sepulturam infantes, impuberes, aliique judicii maturitate destituti, religiosi item professi; nisi valde a monasterio remoti decedant. (a) 4) Electa tamen alibi sepultura *portio canonica*, seu quarta funeralis, item ubi consuetudo habet, *mortuarium* Parocho, cui de jure sepultura competeret, pendi debet. ***)

*) Utut tum jus *sepulturæ* seu cœmeterii, tum jus fontis baptismalis habeant pleræque ecclesiæ parochiales: illa tamen, utpote filiabus ecclesiis sæpius com-

(t) C. 27. Dist. 1. de consecr.
(u) C. 12. de sepult.
(x) C. 1. 5. de sepult. c. 3. in 6. et Clement. 2. eod. tit.
(y) C. 3. 10. de sepult.
(z) C. 7. de sepult. et c. 4. eod. tit. in 6.
(a) C. 4 et 5 de sepult. in 6.

communia haud referenda sunt inter notas characteristicas ecclesiæ parochialis. Quocirca ecclesia etiam fonte baptismali et cæmeterio instructa, propriæ parochialis non est, siquidem jure curæ *principalis* independenter ab alio rectore exercendæ destituatur.

**) Si diversa sint sepulcra, nec sepulturam quis elegerit; 1) filius reponitur in patris, aut avi seu eorum sepulcro, quibus est sanguine propinquior; 2) uxor mariti sepulturam sequitur, quando aliam non elegerit: quæ si plures habuerit maritos, humanda est in sepulcro postremi, (c) cujus domicilium retinet et honorem. Maritus non in eo, quod uxor fors elegerit, sed in majorum suorum sepulcro conditur; 3) clericus, si majorum sepulturam non habeat, nec aliam elegerit, in loco beneficii sepelitur.

*** 1) Licet olim *exactiones* quæcunque pro exequiis, et sepulturis per Ss. Canones severissime essent prohibitæ, tandemque solæ oblationes liberales permitterentur; tamen paullatim consuetudo occasione sepulturæ quidpiam ad congruam Parochi sustentationem dandi, exigendique inolevit. (d) Unde 2) ii, qui congrua sustentatione affatim instructi cum pauperibus durius agunt, justissimam ferunt reprehensionem. 3) Simile turpis exactionis genus quoque videtur; quod quidam ob cadaverum per suæ parochiæ limites transvectionem quasi vectigal sibi nullo suffragante titulo petunt. 4) Siquis alibi sepulturam elegerit, a Parocho defuncti proprio *portio canonica*, id est, media, tertia, vel quarta, seu per consuetudinem locorum determinanda pars ex iis, quæ alteri ecclesiæ ra-

(b) C. 10. de sepult. et c. 2. eod. tit. in 6. Trident. Sess. XXV. c. 13. de reform.

(c) C. 2. 3. Caus. XIII. q. 2.

(d) C. 12. sqq. Caus. XIII. q. 2. Cf. Thomassin P. III. L. 1. c. 65.

tione sepulturæ obveniunt, juste exigitur. (e) In Bavaria vulgo Parocho satisfactum censetur, si pro defuncto in alia, quam parochiali ecclesia, sepulto divina quoque seu officium de requiem in parochiali ecclesia celebrari quis curet. (f) 5) *Mortuarium* duntaxat, ubi consuetudo jubet, penditur, nec ubivis ejusdemmet est generis: etenim heic lectus, alibi melior vestis, uspiam animal post optimum melius etc. aut eorum pretium dari solet. 6) Mortuarii Parochis pendendi originem inde quidam repetunt; quod mortuarium (Germanis Budtheil, Todtenfall, Baulebungsrecht, Besthaupt, Hauptrecht ꝛc. ꝛc. dictum) Domini quidam, atque etiam ecclesiarum, quæ homines proprios habebant, Rectores solum ab hominibus *propriis* exegerint, paullatim vero Parochi ad quosvis parochianos extenderint. De qua opinione non adtinet plura dicere. *Cf. Zech. de jur. rer. eccl. tit.* 23. *et van Espen J. E. u. P. II. tit.* 38. *c.* 4.

§. 685.

IV. Vi *privilegii* * 1) Regularibus pluribus jus competit, ut in eorum ecclesiis eligi a quovis sepultura possit; (g) attamen 2) tum Regulares, tum Clerici extranei sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ ipso facto incurrendæ prohibentur; ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel jam electam ulte-

(e) C. 9 de sepultur. Cf. van Espen J. Eccl. un. P. II. tit. 38. c. 5.

(f) L. B. de Kreittmayr Annot. Cod. civ. Bav. p. 2. c. 2. §. 4. n. 17.

(g) Clem. 2. et extrav. comm. 2. de sepult.

ulterius non immutent. (h) Ceterum Regularibus omnes suos professos etiam alibi decedentes, item et domesticos famulosque suos intra monasterii septa obeuntes in suis ecclesiis ac cœmeteriis sepelire licet.

*) In privilegii hujus usu 1) ad specialia pacta aut consuetudines respiciendum est. (i) Quæ si desint 2) servanda est constitutio Leonis X. (k) renovata per S. Congregationis decretum, (l) quo statuitur: » non licere vi hujus privilegii Regu» laribus Parochias, ad efferenda et levanda de» functorum funera intrare, vel illa levare, aut » efferre, nisi vocato et exspectato proprio de» functi Parocho, eoque ibidem præsente, vel nisi » requisitus dissentiat, aut venire expresse recuset.« 3) Ipsi tamen sepulturæ actui, qui a Regularibus peragendus erit, Parochus se immiscere haud poterit. (m) Nec hæredes, ut cadaver defuncti prius ad ecclesiam parochialem deferatur, (n) vel ibidem missæ pro defuncto celebrentur, cogi possunt. (o) Attamen servandas inprimis locorum justas consuetudines jam monuimus.

ARTI-

(h) C. 1. de sepult. in 6. et Clem. 3. de pœnis in fine.
(i) C. 1. et 3. de pactis in 6.
(k) In concil. Lateran.
(l) Editum A. 1604. 20 Jan.
(m) Constit. Clementis X. *Nuper.* 1672. 18. Jan.
(n) Ex constitut. Sixti IV. *Regimini* etc. 1474. 31. Aug.
(o) Declarat. Congreg. Rituum A. 1675. 13. Jul.

ARTICULUS III.

De sacrorum, ac religiosorum locorum immunitate. speciatim de jure asyli.

§. 686.

Sacrorum atque plerorumque locorum religiosorum *immunitas* tum I. singulari *inviolabilitate*, ac sanctitate et reverentia: tum speciatim II. *jure asyli* continetur. Et primo quidem ex capite 1) præcipua iis locis habenda veneratio est, et excludendum foras, quidquid vim, irreverentiam, profanationem sapit; quare 2) ab ecclesiis maxime ac cœmeteriis non illiciti modo, sed et profani actus, negotiationes, hospitationes, convivia, ludicra, judicia criminalia, placita secularia procul esse jubentur. (a) Altero ex capite loca religiosa maleficis quibusdam illuc confugientibus securitatem præstant, quo minus violenter extrahi, aut ad supplicia capitalia rapi possint. Igitur

§. 687.

Asylum locus est, qui maleficis confugientibus publicam securitatem, et a pœna capitis saltem aut mutilationis immunitatem præbet; idque vel *ecclesiasticum* dicitur vel *seculare*, prout privilegium hoc (jus asyli) loco ecclesiastico adnexum est, aut seculari. Nobis de asylo ecclesiastico heic sermo est.

* 1)

(a) C. 1. 2. 5, de immunit. eccl. et c. 2. eod: tit. in 6.

* 1) Jus asyli, quod nec Gentiles Græci, et Romani suis templis negabant. quodque locis etiam aliis, montibus, campis, civitatibus, statuis, sæpe tributum est, (b) sacrosanctis Christianorum ecclesiis non nova Imperatoris lex, sed ipsa publicæ Religionis christianæ adprobatio, et observantia addixit, (c) Et vero 1) sacrosanctas Christianorum ecclesias statim post datam a Constantino Christianis pacem, confugis securitatem præstitisse, dilucide commonstrant tum a) plura ad eas confugientium exempla etiam ab ethnicis scriptoribus Amiano Marcellino, Cosimo relata, tum b) Theodosii, atque Arcadii Honoriique Impp. leges (d), queis publici debitores, et Judæi falso Religionis christianæ obtentu impunitatem debitorumque remissionem quærentes communi asyli privilegio excluduntur. 2) Equidem Eutropius, ut, quos ulciscendi animo persequebatur, ab ecclesiæ asylo extrahere posset, nefariis artibus extorsit Arcadio legem, qua asylum penitus abrogatur. (e) At quum paulo post ipse Eutropius Arcadii gratia, qua in aliorum perniciem sæpe fuerat abusus, excidisset, et e palatio profugus ad ecclesiæ asylum confugisset; abrogata hac lege sacrosanctis ecclesiis per aliam Honorii, et Theodosii junioris (f) legem asyli privilegium resti-

---

(b) Cf. Zech. diss. de jure Asyli c. 1. Thesaur. J. Eccl. tom. V, pag. 284. Cf. des Mayländischen Kanzlers Christiani der Asyl oder Gutachten. Bamberg 1783. pag. 1 sqq.

(c) Christiani Abhandlung l. c. pag. 22. seqq. Thomasin. Diss. de Asyl. §. 11.

(d) L. 1. et 2. Cod. Theodos. de his, qui ad ecclesiam confugiunt, et L. 1. Cod. Justin. eod. tit. A. 392. et 397. Cf. Ammiani Marzellini L. 15. c. 5. et L. 26. c. 4.

(e) Socrates H. E. L. 6. c. 5. Sozomenus H. E. L. 8. c. 7. Nicephorus L. 13. c. 4.

(f) L. 2. Cod. de his, qui ad eccl. confug. A. 414.

cidissent, securitatem præbuere. *Deuter. XIX.* 11. *Exod. XXI.* 14. *Cf. Van Espen de Asyli temporum tom.* II. *oper. c.* 3.

§. 690.

Gaudent autem II. hoc asyli *privilegio* loca *sacra* et *religiosa*: nempe 1) ecclesia, et ædificia eidem conjuncta, et ad eam pertinentia; * 2) *monasteria* cum domibus, et habitationibus auctoritate Episcopi erectis; 3) *loca religiosa* alia Episcopi auctoritate ad charitatis, misericordiæ et pietatis opera destinata; **) 4) Palatium Episcopi (l); 5 *cæmeterium fidelium sepulturæ auctoritate ecclesiastica dicatum.* Propterea, inquit Zech, Germani cœmeterium Freythof oder Freyheithof vocare solent. (m).

*) Talia censentur 1) Sacristia, turris, atrium, porticus, tectum, ambitus muro vel fixis terminis distinctus, (n) 2) extendebatur olim asyli privilegium etiam ad passus quadraginta in ambitu majoris, seu cathedralis ecclesiæ, et ad triginta in circuitu ecclesiæ minoris. Et vero hanc asyli extensionem, nisi forte spatium istud muro circumdatum pro atrio ecclesiæ serviat, plerisque in locis usu abrogatam videmus. Docent tamen Canonistæ, confugam, qui fores ecclesiæ clausas inveniens manu portas, aut ansam, vectesque adprehenderit, abstrahi violenter salvo asyli privilegio non posse. 3) Ceterum loca sacra fors pullata, aut interdicta hoc privilegio excidisse haud censentur.

**) Quin

(l) C. 56 c. XVII. q. 4.

(m) C. 10. de immunit. eccl. et cœmet Zech. l. c. §. 152.

(n) L. 3. Cod. de his, qui ad eccl. confug.

**) Quin cœmeteria, et *monastera*, inquit Zech. quæque horum septis continentur, uti horti, atria, officinæ etc. confugientes ab omni violentia immunes prestent, dubitandum non est. Sed alia pia, et religiosa loca e. g. Xenodochia, Nosocomia, hospitalia, si sacella publica in iis aperta excipias, in nostris provinciis communi hominum opinione jus asyli non habent; uti nec alia loca pia, oratoria privata, ædiculæ passim in campis Sanctorum honoribus, et itinerantium devotioni constructæ. *Zech. cit. Diss.* §. 151.

§. 691.

Jus asyli III. *non ad omnes prorsus maleficos se exporrigit.* Nam etsi regulariter eo privilegio perfruantur ad dicta loca confugientes rei omnes tam clerici, quam laici, tamen ne confugii spes impunitatem, licentiam, et frequentiam pariat gravium delictorum; ne publicæ justitiæ vigorem frangat, aut securitati reipublicæ officiat, asyli privilegio excluduntur 1) latrones publici; 2) grassatores viarum; 3) depopulatores agrorum; (p) 4) per proditionem, aut animo deliberato et præmeditato quemquam occidentes; (q) 5) committentes homicidium vel mutilationem in ecclesiis, vel cœmeteriis; (r) 6) rei assassinii; (s) 7) rei læsæ majestatis; 8) qui ad asylum confugientibus

(o) Cf. P. Zech. l. cit. 7. §. 149. sqq.
(p) C. 6. de immunit. eccl. et cœmet. Novell. 17. c. 1. L. 4. Cod. de iis, qui ad eccl. confug.
(q) C. 1. de homicid.
(r) C. 10. de immunit. eccl. et cœmeter.
(s) C. 1. de homicid. in 6.

bus vim inferunt; 9) falsificantes literas apostolicas; 10) defraudantes montes pietatis, telonia, aut banca, ut vocant, publica; 11) conflantes, adulterantes, tondentes quascunque monetas aureas, vel argenteas; 12) qui sub nomine curiæ se in domos alienas intrudunt, ibique rapinas cum homicidio, vel mutilatione perpetrant; 13) rei hæreseos et ob eam accusati (t).

*) Modum in recipiendo, protegendo, extrahendo aut male extracto denuo restituendo servandum, pœnas item asyli violataribus decretas explicat *Zech. cit. diss. c. 9. seqq.* et Barthel Annot. ad Engel. L. III. tit. 49. pag. 306. Alium nonnihil cum his procedendi modum describit Paul. de Riegger Instit. J. E. Lib. III. §. 875. seqq. Bavariæ praxin vide *Cod. Bav. Crim. P. 2. c. 6.* §. 15. *Cf. annotationes.*

§. 692.

IV. In Privilegio asyli tum *tuendo*, tum *restringendo* ad Religionis et ecclesiæ reverentiam, ad leges justitiæ, ad boni publici rationem, rerumque adjuncta respiciendum est. Nempe 1) Privilegium SS. ecclesiis tum ob earum reverentiam, tum ob spiritualem reorum salutem (§. 687. not.) a piissimis Imperatoribus tributum, a sanctissimis ecclesiæ Præsulibus defensum, ceu jus ecclesiis quæsitum equidem, quousque gravissimæ rationes haud obstant, aboleri non posse videtur.

(u) Si-

(t) Vid. Zech. Diss. cit. c. 8. §. 175. seqq. item Paul de Riegger Inst. J. E. L. III. §. 870. sqq.

(u) Siquidem tamen 2) rerum adjuncta sint ejusmodi, ut jus asyli aut in ipsius ecclesiæ, aut in reipublicæ grave publicumque damnum cederet; eo in casu tum ab ecclesia, tum etiam a principibus, qui ad hos casus sua privilegia nec voluisse, immo nec potuisse extendere credendi sunt, jus istud variis modis *restringi*, immo si alio modo ecclesiæ, ac reipublicæ bono consuli non posset, *tolli* etiam posse, æquus nemo inficias iverit. (x)

*) Et vero sublata pœnitentiæ publicæ severitate, et processu criminali in ordinem curatiorem redacto, qnum a) minor in reis affulgeat satisfactionis et emendationis spes, minus iniquæ oppressionis sit periculum, jus asyli non tantum, ac olim, favorem videtur mereri. Unde male faciunt, inquit Cl. Barthel, (y) illi Theologi, qui hoc jus volunt nimium extendere, et in dubio semper pro favore asyli concludere; quum potius pro favore boni publici standum, et hoc jus strictius esset interpretandum. Et sané tam honori ecclesiarum, et utriusque reipublicæ commodo, quam reorum saluti male consulunt, immoderatoque feruntur Zelo, qui flagitiosos quosque ad ecclesiam confugas, etiam jure asyli non gaudentes, sine discrimine recipiunt, sollicite occultant, aut variis artibus justitiæ publicæ subducunt, atque pessimos homines nulla de pœnitentia, aut emendatione eorum habita cura veluti feroces lupos in perniciem reipublicæ dimittunt. Quam præposteram, et ab anti-

(u) Vid. J. Phil. Hahn Diss. de ancipiti in terris vel civit. mixte Religionis Asylorum Jure P. I. c. 2. §. 9. Thesaur. J. E. tom. V. pag. 438. sqq.
(x) Hahn cit. Dis. L. cit. §. 12.
(y) Annot. in J. can. P. Engel L. 3. tit. 49. pag. 305.

quæ ecclesiæ Consiliis praxique alienissimam agendi rationem verbis gravissimis reprobat Josephus R. R. Episcopus Augustanus in literis encyclicis ad clerum suum datis (z). *Cf. Zech. Diss. cit.* §. 127. *sqq. et* §. 142. *et* 187. Item Paul de Riegger Instit. J. E. P. III. §. 866.

§. 693.

Demum V. *Caussæ de jure asyli ad forum utrumque* diversa ratione pertinent. *) Scilicet jus asyli a) una parte *sanctitatem* locorum, et jus ecclesiæ *quæsitum* respicit, quorum cura, et tuitio ad Rectores ecclesiæ pertinet; contra b) altera ex parte hoc jus a Principibus est profectum, et jus aggratiandi involvit, publicamque reorum vindictam, quæ ad Principem spectat, impedit: (§. 687. seqq.) patet igitur hanc de jure asyli materiem caussis *mixtis* accensendam, ac proinde diversa sub ratione tum ad ecclesiasticum, tum ad civile forum pertinere. Attamen hac in re ad varias locorum consuetudines et observantiam respiciendum erit.

*) Caussæ frequentium circa asyli usum dubiorum, dissidiorumque a laudato sæpius P. Zech. recensentur: a) quædam clericos, laicosque inter diffidentia, b) affectus privati, c) inferiorum administrorum ignorantia, d) immoderatus hac in re quorundam ecclesiasticorum zelus, e) arbitraria legum interpretatio, et f) nimium favorabilis lataque asyli explicatio, g) longa Episcoporum a loco quæstionis distantia, h) varia et inæqualis locorum praxis et observantia. Zech cit. Diss. §. 139. seq. Thesau. J. E. Tom. V. pag. 373. sqq.

CAPUT

(z) An. 1748. III. Nonas May. Extat in concord. noviss. Augustan. A. 1785. sub finem.

CAPUT III.

De Rebus Ecclesiæ Temporalibus, seu Bonis Ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De Bonis Ecclesiasticis, speciatim de Oblationibus, Decimis, Primitiis,

§. 694.

Ecclesia bonis quibusdam temporalibus indiget; quæ proinde exigendi jus strictum habet, id quod ex supra (§. 353. seq.) dictis liquidum est. Porro horum bonorum (§. 357 n.) præcipui seu fontes, seu partes sunt oblationes et decimæ, olim fuerant etiam primitiæ. Igitur heic I. de *oblationibus* tum olim frequentatis, tum hodieque vigentibus: dein II. de *Primitiis* fere jam abolitis: demum III. de *Decimis* breviter exponendum.

§. 695.

Ad *Oblationes* liberales quod adtinet, prioribus ecclesiæ seculis non unum eorum genus deprehendimus Occurrunt jam tum *oblationes* 1) *majores*, queis pinguia patrimonia, agrorum pretia, pecuniarum aut frumenti insignis portio; deinceps fundi., villæ, prædia, mancipia, census perpetui etc. Deo in usus ecclesiæ consecrabantur; 2) *hebdomadales oblationes*, aut *quotidianæ*; scilicet non modo panis, et vinum, ex quo et epulum eucharisticum conficiebatur, eulogiæque, seu oblati et benedicti panis particulæ populo post mis-

 sam

sam distribui solebant; (a) sed a divitibus in missæ sacrificio res etiam aliæ, et non nunquam pecuniæ in ecclesiæ et pauperum usus offerebantur; 3) *menstruales* oblationes, quas singulis mensibus homines, pro qua quisque facultate et pietate, in arcam seu ærarium ecclesiæ tanquam stipem pro lubitu inferre consueverant. 4) oblationes *extraordinariæ* tunc fieri solitæ, ubi pro singularibus ecclesiarum necessitatibus collecta præter ordinem instituebatur. (b) At id genus oblationes a notæ improbitatis hominibus haud sunt receptæ.

*) Quocirca S. Carolus Borom. antiquæ disciplinæ restaurator in concilio Mediolan. IV. decrevit: »Ab iis oblationes ne recipiantur, ut antiquo »Canone vetitum est, qui scilicet inter se iniquo »animo dissidendes inimicitias exercent, qui usu»rarii, meretrices, sacrilegi raptores, quive alio »nomine publice notorieque criminosi sunt.« Quam disciplinam in usum quidem revocari optat; magna tamen discretione ac circumspectione heic peropus fore monet. *Van Espen J. E. un. P. 2. tit. 5. c. 4. n. 19. seqq.*

§. 696.

Quæ hodieque usu vigent *oblationes*, quoniam vel mere liberaliter, vel necessario præstantur, in *voluntarias* et *necessarias* dispescere licet. In voluntariis fere censentur 1) oblationes sub missæ Sacrificio altari imponi solitæ;

(a) Vid. van Espen J. eccl. un. P. 2. tit. 5. c. 4. n. 4 seqq.

(b) Cf. Thomassin de V. et N. disc. p. 3. l. 1 c. 1. seq. Bingham Orig. eccl. L. 5. c. 4.

tæ; *) ex queis subin orta 2) *stipendia* seu honoraria missarum celebranti, ut ad certam intentionem offerat missam, dari solita (c); 3) oblationes pecuniarum, quæ in arcis (truncos vocant) reponuntur, aut quæ sacculo sonante per ecclesiam circumferri solito colliguntur; 4) oblationes butyri, ovorum, frumenti etc. in ecclesiis, sacellis, ad imagines positae etc. Ad *necessarias* praeter decimas hodie pertinent sportulae, seu honoraria, post sacras functiones solvi consuetae, quas exigendi jus *jus stolæ* vocant; eoquod tum, quum Parochus in cujusdam favorem *stola* utitur, pendi consueverint.

*) Perantiquus isthic oblationum mos, deinceps pluribus in locis neglectus, synodorum quarundam decretis urgebatur. S. Carolus Episcopos hortatur, ut eum morem in solennitatibus Domini, et festis dominicisque diebus servari curent (d). Alibi, ut præcipuis saltem anni festis hæ oblationes fiant, statuta diœcesana jubent (e). Vid. *Van Espen J. eccl. un. P.* II. *tit.* 5, *c.* 4. *n.* 17. *seq.*

§. 697.

De oblationibus generatim sequentia notabis: 1) Ad oblationes voluntarias nullus vulgo nisi forte alicubi in necessarias lege, vel consuetudine transierint, cogi potest. 2) Oblationes secundum intentionem expressam, vel taci-

(c) De honorario missæ videndus, van Espen J. E. un. P. II. tit. 5. c. 5 et 6.
(d) Synod. Mediolan. IV. P. 2. c. 15. Conf. synod. Colon. A. 1549. c. 10.
(e) Cod. statut. Diœces. Colon. pag. 462.

tacitam adplicari debent; 3) si de speciali offerentis intentione non constet, nec loci consuetudo aliud ferat, oblationes in ecclesiis parochialibus factae Parocho obveniunt; * 4) in ecclesiis Regularium factae Regularibus cedunt (f). 5) In necessariis etiam oblationibus exigendis omnis turpis nundinationis, avaritiae, inhumanitatis species procul absit. (Cf. §. 310.)

*) Equidem 1) ad percipiendas, quæ intra parochiæ limites fiunt, oblationes fundatam in jure intentionem habet Parochus (g): nisi aut voluntas offerentium, aut consuetudo aliud determinarint. At vero 2) receptior hodie consuetudo vix aliud genus oblationum, quam quæ in altari reponuntur, aut occasione sacri ministerii præbentur, Parocho permittit. Hinc 3) quæ in arculis truncisve, ut vocant, reponuntur, aut quæ per fabricæ magistros, aliosque colliguntur, fabricæ, et aliis ecclesiæ usibus impendi solent. Cf. *Van Espen J. E. un. P. II tit. 33. c. 10.*

**) In Bavaria consuetæ in exequiis oblationes, a quibus nobiles se exemtos volebant, a primariis saltem funeris comitibus fieri jubentur per Decret. Elect. A. 1728. 3. Julii.

§. 698.

Primi cujusvis anni fructus primique pecudum fœtus *Primitiæ* vocantur. 1) Primitias offerre lex quidem vetus (h) praecepit; 2) easque itidem ecclesiae ministris Christiani hortanti-

(f) Arg. c. 13. causs. 10. q. 1. — c. 1. de statu Monach.

(g) C. 3 de his, quæ fiunt a Prælat.

(h) Exod. XXIII. 11.

tantibus Patribus (i) pendere olim consueverant. sed paullatim 3) primitiæ per non usum abolitæ hodie vix uspiam solvuntur. Decimarum contra ex pluribus fructibus solutio plerisque in locis usu recepta est. Itaque heic de I. Notione, II. Divisione, III. Origine et Progressu decimarum, IV. de jure decimas exigendi, modoque easdem solvendi hodie recepto dispiciendum. Porro

§. 699.

I. *Decimarum* nomine intelligitur vulgo decima (sæpe major, minorve per legem, pactum, aut consuetudinem determinata) pars fructuum aut lucri portio, ut plurimum quotannis præstanda illi qui eam partem exigendi jus (*jus decimandi*) habet, quique *Decimator* audit, vel a) *universalis*, si per universum fere loci tractum, vel b) *particularis*, qui per aliquot solum prædia agrosve jure decimandi gaudet.

§. 700.

II. *Decimæ* varie *dividuntur*, suntque vel 1) *ecclesiasticæ*, quæ ecclesiæ ejusque ministris ex titulo spirituali pendentur; vel 2) *minus strictæ ecclesiasticæ*, ut ajunt, seu *laicales secundum quid*, quæ origine quidem ecclesiasticæ, posthæc a spirituali titulo separatæ sunt, aut saltem, quoad dominium utile ad laicos transiere: *) vel 3) *laicæ simpliciter talles*, profanæ, regales, *dominicales*, *indominicatæ*, salicæ, fiscalinæ, id est, titulo pro-

 fano-

(i) C. 23. 65. caus. 16. q. 1 et c. 1 ibid. q. 7.

fano debitæ, aut a Dominis secularibus tributi in morem suis subditis imperatæ; quo item referuntur *allodiales*, aut *feudales* pro eo, ac jure *allodii*, vel *feudi* possidentur. Alia ratione decimas distinguunt in 4) *reales*, quæ ex praediis, agris etc., 5) *personales*, quae ex industria personali, labore, lucro solvuntur, 6) *mixta*; quae partim ex naturae fœcunditate, partim ex industria proveniunt; quo carnaticae (Blutzehend) referuntur, quas alii realibus rectius accensent. Decimae item vocantur 7) *majores* et *minores* (der große und kleine Zehend) prout ex majoribus minoribusve fructibus, ** 8) *veteres*, et *novales*, prout ex praediis antiquitus cultis, vel recens coli cœptis praestantur. Rursus pro vario, quo solvuntur, modo alias dicunt 9) decimas *mergitum*, alias *granorum* (Garben- und Sackzehend). Denique 10) *decimæ*, ut vel praecise congruam cleri sustentationem, vel *decimam*, aut aliam determinatam fructuum portionem conficiunt, *materialiter*, vel *formaliter spectari* in scholis dicuntur. Heic de *decimis ecclesiasticis* maxime nobis sermo; de quarum III. origine, progressu notanda quaedam historiae capita. ***)

*) Decimas in Germania alii omnes origine *ecclesiasticas*, alii omnes esse origine *laicales*, alii viam mediam ingressi eas origine partim ecclesiasticas, partim laicas adstruunt. *Cf. Horix medit.* 1. 2. 3. *de different. decim. eccl. et secul.* Item *Dürr diss. de Parocho a præcept. decim. nov. in Germ. excluso* §. 5. *seq. Thesau. J. Eccl. Tom. VII. pag.*

pag. 10 *sqq.* ubi Boehmeri rationes refutat. Vid. Rudolph. Will diss. de differentia decimarum ecclesiasticarum, et secularium etc. § 2. et 3. Thesau. J. Eccl. Tom. VII. pag. 439. seqq.

**) *Majores* plerumque habentur decimæ fructuum, quos fert vitis et stipula; ceteræ *minores* dicuntur. At quæ *majoribus*, quæ *minoribus* decimis accensendæ sint fruges, non tam lege quam consuetudine determinatur. Jure Bav. regulariter pertinent ad decimas *majores* 1) vinum et una cum culmo frumenti varium genus (Weitzen, Korn, Fesen, Dünkel, Gerste, Haber, Erbsen, Heidebrey, Linsen, Bohnen und Mischling) 2) ad *minores* fruges hortorum, et similes (Obst, Kraut, Rüben, Flachs, Hanf, Hopfen, Brey, Heu, Grummet, Erdäpfel, Taback:) nisi forte usus et consuetudo loci, quæ heic maxime adtendenda, aliud ferat. *Carnaticas* decimas alii ad majores, alii, ut et Jus Bav., ad minores referunt. (l) Notatu digna sunt synodi Raceburgensis verba: (m) Decimam majorem in agro de manipulis et minutam de jumentis dare teneantur, et pullos de areis, quod Rohon, vel ut alii rectius legunt, Rokhon, id est Rauchhuhn (n) dicitur.

*** 1) Decimæ jam ante legem mosaicam usu vigebant: quandoque Deo fuere ex voto promissæ: aliquando, ut ajunt, Regibus etiam tributi loco solutæ. (o). In republica judaica Decimas sibi reservavit Deus, *Levitisque* in sustentationem adsignavit. (p) Quod veteris legis præceptum a Christo

---

(l) Cod. civ. Bav. P. II. c. 10. §. 3. Cf. Annotat. L. B. de Kreittmayr in l. c.

(m) Apud Pistorium in Amoenitat. historic. jurid. P. 8. p. 2242.

(n) De quo vid. Selchow §. 359.

(o) Genes. XIV. 20 Hebr. VII. 1. Gen. XXVIII. 22.

(p) Levitic. XXVII. 30. seqq.

to in L. N. non scimus instauratum, neque item, quandonam illud populo christiano fuerit impositum, certo constat. 2) Decimas primis tribus ecclesiæ seculis nondum præceptas, immo incognitas fuisse plures colligunt ex illo Cypriani (q) scribentis: *At nunc de patrimonio nec Decimas damus.* Legimus tamen quosdam seculi II. et III. Patres, e. g. Irenæum Originemque (r) ad Decimas ecclesiæ ejusque Ministris pendendas populum christianum fuisse cohortatos. 3) Cujus generis exhortationes multo frequentiores a seculo IV. occurrunt. (s) Ita factum, ut paullatim Decimarum usus invalesceret. 4) Seculo VI. Decimarum solutionem jam legibus ecclesiasticis hinc inde fuisse imperatam intelligimus tum ex synodi Matisconensis canone (t); qui id conceptis verbis jubet, tum ex Justiniani constitutione (u), qua homines ad offerendos fructus per excommunicationem, aut Sacramentorum denegationem, *quamvis usus ita obtinuerit*, cogi vetat. 5) Quæ quidem constitutio videtur occasionem præbuisse, ut in ecclesia græca Decimæ, alia pensione clericis constituta, deinceps ex usu recesserint. 6) In ecclesia autem latina antiquus Decimarum usus synodorum Decretis, Regum Francorum, Imperatorumque edictis, et Rom. Pontificum constitutionibus (y)

(q) L. de unitat. Eccles.
(r) Irenæus L. 4. c. 34. Origines homil. in XI. Numer.
(s) Vid. Rupprecht Not. hist. in J. c. L. 3. tit. 30. pag. 185. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 33. c. 1.
(t) A. 585. concil. II. c. 5. Apud Harduin. concil. Tom. III. pag. 461.
(u) L. 39. Cod. de Episcop. et Cleric.
(x) In Capitul. A. 779 et 794. item A. 801. c. 6 et 7. Vid van Espen L. c. et Durr. cit. dist. §. 3.

(y) præceptus confirmatusque est. Atque 7) quod ad *Germaniam* speciatim adtinet, in *cisrhenana* quidem, disciplinam ecclesiæ gallicanæ sequuta, Decimarum usus jam dudum fuerat receptus: in Germaniam vero *magnam* demum, uti sec. VIII. Christi fides, ita et Decimæ, vel cum ipsa Religione christiana, vel paullatim sunt invectæ: extantque speciales de solvendis Decimis leges pro Saxonia-Thuringia, terrisque Slavorum (z). Ceterum. 8) Decimæ sec. IX. in tres, aut quatuor partes erant distribuendæ: ita in Capitularibus Caroli M. (a) decernitur: » ut, si sacerdotes populi suscipiant decimas, et nomina eorum, quicunque dederint, scripta habeant, et secundum auctoritatem canonicam coram testibus dividant, et ad ornamentum ecclesiæ primam eligant partem; secundam autem ad usum pauperum vel peregrinorum per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent; tertiam vero partem sibimet ipsis soli sacerdotes reservent.« In alio Capitulari (b) statuitur: *ut decimæ populi dividantur in quatuor partes, una pars Episcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta ecclesiarum fabricis adplicetur, sicut in Decreto Gelasii continetur.* Concilium autem Turonense (c) decimas a Presbyteris ad usum ecclesiæ, et pauperum summa diligentia dispensari jubet. 9) Sequentibus seculis Decimæ solis Parochis relinqui cœptæ, seu potestas iis facta decimas in congruam sustentationem, et, quod superat, in pias caussas impendendi: (§. 578.) invaluitque axioma juris, quod Parochi fundatam in jure ad percipiendas deci-

(y) Vid. Decretales tit. de Decimis.
(z) Vid. Dürr cit. Diss. §. 4. Thesau. J. E. Tom. VII. pag. 8. seqq.
(a) Capitul. Caroli M. An. 801. c. 7.
(b) Capitul. Caroli M. An. 805. c. 23.
(c) An. 813. can. 16.

decimas intentionem habeant; quæ disciplina per Decretales firmata usque nunc perseverat. 10) Decimæ ecclesiasticæ variis titulis et modis in manus laicas devenere, de qua re vid. *Rupprecht Not. hist. in J. C. L.* III. *tit.* 30. *n.* 12. *seqq. Van Espen J. Eccl. un. P.* II. *tit.* 33 *c.* 4.

§. 701.

His igitur praemissis III. amplissimam de decimaram jure modoque materiam sequentibus complectimur punctis sive *regulis*. I. Decimae *formaliter* sumtae uti ex jure descendunt humano, ita jure eodem determinantur. II. *Onus decimarum* non tam fundo, quam fructibus, et quidem vulgo omnibus adhaeret. III. *Jus* decimas ecclesiasticas percipiendi solis Ministris ecclesiae, hodie communiter Parochis competit. Attamen IV. *immunitas* a solvendis decimis variis acquiri potest modis. V. *Modus* et adjuncta *colligendi*, et praestandi decimas consuetudine inprimis determinatur. VI. *Caussæ* de decimis *controversæ* jam civile, jam ecclesiasticum forum sequuntur.

§. 702.

Decimae I. *formaliter* acceptae, quatenus sunt decima, aut alia determinata pars fructuum, et ad necessariam, atque congruam Ministrorum ecclesiae sustentationem non requiruntur, in ecclesia christiana non esse *juris divini* sed *humani*, patet 1) ex silentio N. T., quod saepe quidem congruae Ministrorum sustentationis (d) sed decimae partis nunquam meminit; * 2) ex praxi primorum ecclesiae secu-

(d) E. g. Matth. 10 I. Cor. IX. 7. 13.

seculorum, in quibus vel nullae, vel solum liberalis oblationis in modum praestitae sunt decimae (§. 700. not. 3): 3) ex disciplina ecclesiae Orientalis, in qua decimarum solutio rursum ex usu abiit: denique 4) ex mira, quae in iis praestandis obtinet, varietate, quam jus divinum haud admitteret. Quare quemadmodum decimarum solutio tum quoad rem ipsam, tum quoad quantitatem et modum variis in locis et legibus et consuetudine varie determinata hucusque est, ita quin ea deinceps immutari posset, dubitari nequit.

*) Unde qui præceptum divinum heic adstruere videntur, aut a) de præcepto *divino V. T.* ceremoniali judicialive, quod dudum obligandi vi excidit, (§. 67) aut b) de præcepto *ecclesiastico*, quod nonnunquam divinum, seu potestate divinitus concessa profectum dici solet; aut denique c) de decimis *materialiter* sumtis, i. e. de congrua sustentatione Ministris ecclesiæ jure divino subministranda intelligendi sunt.

§. 703.

Quum II. *onus decimarum* non tam fundo, quam *fructibus*, et communiter quidem omnibus inhaereat; intelligimus, cur 1) decimae ex agro eodem per annum plus una vice frugifero sæpius etiam sint solvendæ; (e) 2) cur agri quiescentes nullas solvant decimas; 3) cur decimas; non dominus directus, sed utilis, non locator, sed conductor fundi solvere debeat,

(e) C. 6 et 21 de decimis. Cf. Behlen diss. de defraudat. decim. §. 8. Thesau. J. Eccl. Tom. VII. pag. 421.

beat, si modo conductor omnes percipiat fructus: etenim si partem duntaxat habeat fructuum; pro mensura fructuum regulariter et decimarum onus dividendum erit (f); 4) cur *novus* possessor prædii, nisi ceu successor universalis, in omnia jura et onera prædecessoris succedat) decimas ab ejus antecessore non solutas solvere non teneatur; (g) 5) cur quicunque demum sive clericus, sive laicus, sive etiam infidelis, (h) qui ex agro juri decimandi subjecto hos fructus percipit, ad decimas ex iis solvendas sit obligatus; **) 6) cur de omnibus omnino fructibus, quos consuetudo, aut alius titulus non excipit, decimæ sint pendendæ ***).

*) Siquis tamen studiose aut malitiose potissimum ad decimatorem defraudandum quosdam agros incultos relinqueret, jure Bavarico (i) ad eos excolendos, et ad damnum resarciendum cogi jubetur.

**) Id Porro de decimis solum realibus intelligendum, personales enim ab iis tantum penduntur Parocho, quibus hic sacramenta administrat. At vero decimæ personales hodie propemodum ubique locorum ab usu recessere.

***) In *Bavaria* 1) decimæ *reales* fere de supra (§. 700 not. 2) enumeratis duntaxat fructibus, et 2) decimæ *minores* in iis solum locis, et eo modo, ubi et quomodo consuetudo eas solvendi obtinent, præstandæ sunt: 3) *carnaticarum* decimarum nomine fœtus solum, non alii pecorum fructus,

(f) C. 24 et 26 de decimis.

(g) Cf. Bœckhn com. in J. C. L. III. tit. 30. n. 43 seq.

(h) C. 26 de decimis et primit.

(i) Cod. civ. Bav. P. 2, c. 10, §. 9.

ctus, lac, butyrum, lana etc. veniunt. *Cod. Bav. civ. P. II. c. 10. §. 2. seq. Cf. Annor. in L. c.*

§. 704.

Jus decimas ecclesiasticas percipiendi III. *solis ecclesiis et ecclesiæ Ministris*, et olim quidem maxime Episcopis, qui eas in ecclesiæ, et Ministrorum ejus usus impenderent, competebat; (Cf. §. 448.) hodie jus idem præcipue *Parochi* obtinent (k), nisi singularis exemtio demonstretur. Unde 1) omnes laici a jure decimandi ecclesiastico, utpote quod officio clericali conjunctum, exclusi sunt; 2) neque illud jus quocumque tempore a laicis præscribitur, (l) nisi tempore immemoriali a laicis possessum a titulo spirituali separatum præsumi possit. 3) Decimæ *Personales*, ubi obtinent, ab omnibus parochianis, (§. præc. n.) et quidem ibi solvendæ, ubi quis sacramenta percipit; 4) *reales* Parocho solvuntur, in cujus territorio prædia sita sunt: etenim 5) Parochus in omnibus suæ parochiæ fundis jus fundatum, præsumtionem juris pro se habet; idcirco 6) novalium quoque decimæ ad eum pertinere videntur, 7) isque ab onere probandi (in Baviaria quoad solas majores) liber, et in jure decimandi eousque tutus est, quousque alius se immunem ab onere decimarum probarit. Immo 8) qui jure decimarum a

(k) C. 29. et 30. de decimis etc. c. 2. de Restitur. spoliator. in 6.

(l) C. 19. de decimis c. 7. de præscript.

a Parocho spoliatos se asserunt, non sunt restituendi, nisi jus illud ad se pertinere *evidenter* docuerint. *C. 2. de Restit. spoliat. in* 6.

* Decimas *novalium* seu fundorum, quos excultos fuisse nec hominum viventium testimonia, nec ulla fundi indicia produnt, alii Parochis, aut Episcopis, alii decimatori universali, alii dominis territorialibus vindicare nituntur. Porro 1) jus canonicum solis decimatoribus clericis et Parochis maxime favet: unde statuit: quod quum de *jure communi* perceptio decimarum ad ecclesias parochiales pertineat, procul dubio et decimæ novalium ad ipsas pertinere noscantur, *nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis caussa ostendatur, per quam adpareat novalium ad eos decimas pertinere.* (m) Id genus caussæ videtur esse, e. g. Si decimatori consuetudo particularis faveat, si fundus recens cultus foret pars fundi illius, ex quo universalis decimator fructus capit; Si ex eo jam olim emolumenta percepit. Quodsi Parochiæ sint incorporatæ canonicorum collegiis, vel monasteriis; tunc, inquit Straus, (n) collegia et monasteria habentur pro Parochis. Quare his nequaquam obstat capitulum, (o) quo Abbati *decimatori universali* novalium decimæ addicuntur, quum ibi de decimis parochiarum ejus monasterio incorporatarum statuatur. At 2) decimas novalium in *Germania* non Parochis sed Episcopis deberi edita dissertatione contendit Cl. Dürr. (p) 3) Dominis territorialibus decimas novalium

(m) C. 19. de decimis. Cf. c. 13. 25. 30. eod. tit. Cf. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 33.

(n) J. Valent. Straus diss. de decimis §. 9. Thes. J. Eccl. Tom. VII. pag. 453.

(o) C. 27. de decimis Cf. Pl. Bœckhn comm. in Decret. L. 3 tit. 30 n. 20. seqq.

(p) Cit. diss. de Parocho a perceptione decim. Noval. excluso. Thesau. J. Eccl. Tom. VII. p. 1.

novalium nec lex, nec consuetudo *universalis* addicit. Quod idem Pax Westphalica clare indicat: „Inter ceteros autem Status Imperii et „subditos id juris esto, quod jus commune vel „cujusque loci consuetudo et observantia de de„cimis ex bonis novalibus constituunt, aut per „pactiones voluntarias conventum est." *Inst. P. W. Art. V.* §. 47.

** In *Bavaria* 1) decimæ novalium primo triennio Parocho, deinceps illi, qui in eo terræ tractu decimator universalis est, debentur; nisi singularis loci consuetudo aliud habeat. 2) Terra proxime agro adjacens ad culturam redacta non novalium, sed agri, cui adjicitur, indolem sequitur. 3) Quoad novalia impropria, ubi insitorum fructuum genus mutatur, decimator ad certos fructus adstrictum jus habens jam lucratur, jam perdit, et inter condecimatores sæpe conflictus oriri solet. Quid hoc casu jure Bav. obtineat, definitum habetur *Cod. Bav. civ. p. 2. c. 10.* §. 11. *De fraudibus circa hæc committi solitis. Cf. Lud. Behlen diss. de defraudationibus decimarum* §. 10. *seqq. Thesau. J. E. Tom. VII.* 423. *seqq.*

§. 705.

Immunitas a solvendis decimis IV. obtineri post 1) *privilegio* legitime impetrato; * 2) *consuedine* legitima, quoad ecclesiasticas quadragin-, quoad alias laicales triginta annorum in Baria; 3) *Præscriptione*, in Bavaria etiam (q) ioad decimas mere, ei ex origine *laicales* temis ordinarium sufficit, id est triginta anni ne titulo, decem aut viginti anni cum titulo; ioad *ecclesiasticas* contra Parochum quadranta annos cum titulo, immemoriale tempus

 sine

(q) Cod. civ. Bav. p. 2. c. 10. §. 19. seq.

sine titulo omnes adsignant: contra privatos alios præsentes decem, contra absentes viginti cum titulo, et sine titulo quadraginta in Bavaria, (r) alibi saltem triginta anni (s) ex communi opinione requiruntur. ** 4) *Pacto*, quo tamen solus decimator paciscens, non item, nisi Superioris consensus accesserit, ejus successores ligantur. Quomodocunque autem immunitas a solvendis decimis obtineatur, id nisi salva Parochi congrua fieri nequit.

* Ita privilegio in corpore J. C. clauso gaudent omnes Regulares, ut » de novalibus, quæ propriis manibus vel sumtibus excolunt, et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis decimas non persolvant. « c. 10. *de decimis*.

** Ex communi, inquam, opinione; nam ad præscriptionem extinctivam decimarum *ecclesiasticarum*, etiamsi nunc a laicis teneantur, non sufficere brevius tempus, quam si contra ecclesiam parochialem esset præscribendum, allatis gravibus rationibus contendit Cl. Endres *Diss. de Decimatore nobili favoris ecclesiarum parochialium quoad præscriptionem extinctivam participe*. §. 28. seqq. *Thesau. J. eccles. Tom. VII. pag.* 373. *seqq.*

§. 706.

Modus et adjuncta V. decimas exigendi, et præstandi potissimum consuetudine determinatur. Unde ad locorum usum heic maxime respiciendum. Attamen jure communi vulgo 1) solvi debent, et pars *decima*, et ipsi fructus, nec pretium æquivalens invito obtrudi

(r) Cod. Bav. L. cit. §. 22.

(s) C. 1. de Præscript. in 6. Arg. ex L. 3. Cod. *de Præscriptione* 30. vel 40. Ann.

trudi potest, ** 2) et decimæ *prædiales* quidem solvendæ sunt *statim*, ubi fructus a fundo separati, et in manipulos sunt collecti: neo nisi præmonito decimatore reliquos fructus auferre, aut avehere oportet. Decimæ *carnaticæ* tunc demum solvi debent, ubi foetus sine matre vivere possunt, aut usui jam sunt apti: *personales* anno quovis exacto solvendæ. *** 3) Ceterum decimæ *reales* et *carnaticæ* ex fructibus integris nulla facta impensarum, aut tributorum deductione, *personales* contra de lucro, atque adeo deductis expensis solvuntur. 4) Num decimæ eorum, qui eas pendere debent, an decimatoris sumtibus sint ad hunc adferendæ, ejusve horreo invehendæ, lege definitum non est, neque etiam inter Jurisperitos convenit; (t) proin consuetudo et observantia locorum consulenda erit.

* Jure Bavarico 1) *decimator* ipsos fructus in natura, ut ajunt, exigere, nec ulla quidem præscriptione ad æquivalens eorum pretium recipiendum quoad majores, attamen quoad minores, restringi potest. 2) Si residuæ mergites ad decem haud ascendant, ex iis vulgo nil porro licebit exigere; nec residuus mergitum numerus hujus anni numero anni futuri adjici poterit; attamen residuum hujus agri numero alterius, iisdem frugibus consiti, addere fas est. 3) Decimator numerandi, a qua velit mergitum, initium facere, et decimas vel in agro, vel in horreo capere potest. 4) denique suis sumtibus decimas horreo infert; cetera a quibuscumque aliis oneribus eximius est: 5) separatis jamjam decimis decimator earum dominium

 acqui-

(t) Vid. Böckhn. l. c. n. 6a. seqq.

acquirit (u). 6) In decimis carnaticis fœtus anno præterito residui futuri anni fœtibus accensentur.

** Atque hinc decimatori pro decimis per longissimum tempus triginta et quadraginta annorum, pecuniam aut rem certam pacto definitam accipienti nil obstat, quominus eas rursus in natura, ut ajunt, exigere, aut pretium augere valeat. *Vid. de Grasmansdorff Diss. de Decimis per longissimum tempus in æstimatione præstitis. Thesaur. J. eccles. Tom. VII. pag.* 458.

*** Decima pars curate, quantum determinari potest, solvenda est, quod quia in decimis carnaticis semper discerni aut determinari nequit, non fœtus quidem optimus, nec deterior etiam, sed de mediocribus ad arbitrium boni viri solvendus erit. Notant autem viri docti, quod, etsi rustici Parocho etiam longo tempore per astutiam dolumve animalia minutiora deterioraque præbuissent hæc agendi ratio legitimæ consuetudinis vim obtinere nequeat. Insignes, quæ in solvendis decimis circa quantitatem qualitatem, modumque admitti solent, abusus, astutias, fraudes castigat, et quædam contra ea suggerit remedia. *Lud. Beblen Diss. de defraudat. decimarum, Thesaur. J Eccl. Tom. VII. pag.* 418. *Cf. van Espen. J. E. u. P. II. tit.* 33. *c.* 10. *seq.*

§. 707.

VI. *Caussæ controversæ* 1) de *decimis laicalibus* ad tribunalia civilia spectant, 2) de decimis *ecclesiasticis* quoad *petitorium*, seu jus proprietatis, et *possessorium mixtum* (præsertim in Bavaria *) ad ecclesiasticum (x), quoad *possessorium nudum*, ceu rem facti, ad seculare forum

(u) Cod. civ. Bav. P. 2. c. 10. §. 12. seq.

(x) C. 7. de Præscript. vid. Barthel Diss. de Decimis sect. 8. §. 2.

torum pertinent (§. 374.) 3.) Lata sententia de solvendis decimis, *appellatio* quoad effectum suspensivum non conceditur y). **

* Per concordata Bavariæ generalia caussæ controversæ decimarum ad secularem quoque magistratum spectant „ubi uterque, vel reus tantum laicus est: item in contractibus decimalibus temporaneis, scilicet ubi fructus tantum decimarum ad tempus venditi, locative sunt, atque etiam in caussa soluti vel non soluti; et in possessoriis, ubi nuda facti quæstio est, nihilque proprietatis admixtum continetur, et similibus casibus." *Concord. c.* 5.

** In Germania inter utriusque Religionis catholicæ et protestanticæ consortes jus decimas exigendi in alienis territoriis maxime secundum possessionem anni normalis exercetur. Ut scilicet decimæ solvi debeant S. R. I. Statibus, qui calendis Jan. anno 1624. et subditis, qui toto anno 1624. in perceptionis earundem possessione, vel quasi possessione fuerunt (§. 397.) Quod idem de novalibus valet. Quid inter reliquos status obtineat, supra (§. 704. not. 1.) dictum. De modo cogendi ad solvendas decimas jam alias (§. 260.) meminimus.

*** Ab his, de quibus hactenus exposuimus, decimis prorsus differunt *decimæ*, ut vocant, *pontificiæ,* sivæ pars proventuum eeclesiasticorum pendenda Pontifici. Quæ quidem 1) pro sumtibus in bellum contra Saracenos sustentandis olim invectæ, 2) in Germania nunquam sine decumanis obstaculis fuerant exactæ (z): 3) ab earum præstatione post concordata immunem esse Germaniam, tum ex concordatis, tum ex Imperii legibus deducit Hahn

(y) C. 26 in fin. de decim.
(z) Vid. Thomassin P. III. L. 1. c. 43. et Harzheim concil. Germ. Tom. 4. pag. 510.

Hahn. *Diss. de insigni libertate. Cleri Germanici circa impositionem decimar. Mogunt.* 1766.

ARTICULUS II.

De Bonorum Ecclesiasticorum Adquisitione.

§. 708.

Ecclesiæ, et *Collegia ecclesiastica* 1) bonis seu subsidiis indigent temporalibus (§. 353.); 2) ea possidere nullo jure vetantur; et reapse 3) varii generis bona (§. 357.) possident; atque aliorum quidem dominium *plenum*, aliorum aut *directum*, aut *utile* duntaxat dominium habent: (§. 358. seq.) 4) simile jus in alias deinceps res possunt nancisci, seu alia porro bona temporalia *adquirere*, * de qua bonorum adquisitione hæc nota axiomata: I. Ecclesiæ, personæ, corpora ecclesiastica, omnis generis bona regulariter adquirere possunt: et II. Circa adquisitionem bonorum utuntur jure communi etiam civili, ubi iis singulare jus expresse datum non est: III. Plura tamen hac in re ecclesiis tributa sunt privilegia.

* Etenim quum *Dominus* quisque de rei *suæ* substantia, ejusque consectariis disponendi jus habeat, poterit rei suæ Dominium in alios transferre vel *totum*, vel *partem* tantum, scilicet aut jus in solam substantiam Dominium *directum*, (das Grundeigenthum, Obereigenthum 2c.) aut jus in sola rei consectaria, Dominium *utile*, (Nutzeigenthum, Niedereigenthum 2c.) aut jus, vi cujus Dominus aliquid in re sua pati vel non facere *teneatur*, uti est servitus, seu usus, ususfructus etc.

etc. (a) Simile jus qui consequitur; *adquirere* jus reale dicitur etc., idque fieri potest per dispositionem vel *mortis caussa*, vel *inter vivos*, seu cujus perfectio a morte transferentis pendet, aut non pendet.

§. 709.

I. Ecclesiæ, personæ, et collegia ecclesiastica omnis generis bona regulariter *acquirere* possunt. Quum enim personæ ecclesiasticæ in numero sint civium; (§. 346.) et ecclesiæ ac corpora ecclesiastica sine bonis ecclesiasticis nequeant subsistere (§. 353.) neque deterioris, quam alia in civitate collegia, conditionis censeri possint; nihil sane obstat, quo minus quæcumque bona temporalia sive per actum inter vivos, sive mortis caussa possint *adquirere*; nisi fors 1) singulari (uti amortizationis §. 356.) lege justa; 2) aut pacto, aut 3) voto, uti quidam mendicantium ordines, prohibeantur.

* Simili amortizationis lege in Bavaria 1) nova *bonorum immobilium adquisitio*, sive per actum inter vivos, sive mortis caussa, immo 2) ejusmodi bonorum *conductio* ecclesiis, corporibus ecclesiasticis, clericorum seminariis, hospitalibus etc. citra specialem principis consensum interdicitur, irritaque declaratur. 3) Per eandem tamen legem corporibus ecclesiasticis fas erit, capitalia, ut vocant, perpetua, terrasque incultas, modo iis cultura subactis coloni imponantur, adquirere, atque etiam in bonis immobilibus hypothecam generalem pro debiti securitate consequi (b). 4) Vir-

(a) Cf. L. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bav. P. II. c. 2. §. 2.

(b) Decret. Elect de A. 1701. 1. Aug. Vid. Annot. in Cod. civ. Bav. P. II. c. 2. §. 4. n. 3.

tute alterius legis (c) corpora ecclesiastica (excipe ecclesias parochiales, seminaria, hospitalia) consolidare dominium utile cum directo nequeunt, sed id genus bona forte ad se redeuntia intra semestre eodem, vel alio modo rursus in feudum, aut emphytheusin etc. concedere tenentur. Demum 5) titulo *lucrativo*, seu etiam in modum dotis, legitimæ, stipendii, legali etc. ultra bis mille, et piæ confraternitates ultra quinquaginta florenos *simulter* adquirere prohibentur. *Cf. L. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bav. P.* II. *c.* 2. §. 4. *n.* 3. *seqq. et P. V. c.* 19. §. 39. *n.* 10. *seqq.*

§. 710.

Ecclesiæ et collegia ecclesiastica II. in *acquirendis bonis* regulariter *jure* utuntur *communi*, etiam civili. Nempe quoniam bona temporalia Principum potestati subjiciuntur, ad *Principum* quoque *leges* adquisitio horum bonorum adtemperata sit opportet. Unde illa 1) regitur legibus non solum ecclesiasticis, sed præcipue civilibus; 2) maxime patriis, 3) quibus standum quousque exceptio probetur.

§. 171.

III. Plura tamen hac in re ecclesiis tributa sunt privilegia: scilicet præter privilegia minorum, ecclesiæ singularibus, et ubivis fere per Germaniam receptis gaudent juribus in *acquisitione*, quæ fit tum 1) *per donationem* inter vivos, * tum 2) mortis caussa, seu per *ultimam voluntatem.* **

* 1) *Donatio* contractus est beneficus, quo quis rem, vel jus suum gratuito, et libere in alium transfert. Atque 2) ante traditionem quidem a *conven-*

(c) Pragmatica A. 1764. 13. Oct. Annot. ibid. P. 5. c. 19. §. 39. n. 11.

ventionalis, facta rei traditione b) *realis donatio* dici potest. 3) Quum ad pacti essentiam mutuus consensus, seu promissio, et acceptatio requiratur: patet, quod *liberalitas* nondum *acceptata* proprie donatio dici nequeat: atqué etiam revocari absque alterius læsione possit: contra quum pacta servari debeant, 4) donatione acceptata tradi res donata debet, nec jure saltem naturali etiam ob quamcunque donatarii ingratitudinem revocari potest. At 5) jure Romano donatio rescinditur, a) quatenus *inofficiosa* est, seu liberorum legitimæ detrahit: b) quatenus summam quingentorum solidorum (jure Bav. mille florenorum) excedit, si insinuata judici haud fuit: c) ob insignem donatarii ingratitudinem a donante: d) ob supervenientiam liberorum a patrono revocari potest. 6) Donatio equidem vulgo dividitur in donationem inter vivos, et mortis gratia. (§. 708.) At hæc proprie non est donatio, et pactum, sed pactum inter et ultimam voluntatem fluctuat. 7) Differunt autem *inter vivos*, et *mortis caussa donatio*, quod a) illa sine arbitris, hæc nonnisi coram testibus valeat: b) quod illa, si quingentos solidos excedat, judici insinuanda sit, hæc non item: c) quod illa sit sua natura irrevocabilis, hæc revocabilis: d) quod illa facta traditione demum, hæc etiam sine traditione transferat Dominium; modo morte donantis firmetur: e) quod in illa beneficio *competentiæ*, in hac quartæ *Falcidiæ*, de qua paullo post, sit locus. Vid. *Heineccii Elem. Jur. civ. Instit. L. II. tit.* 7. §. 454.

** 1) Legitima dispositio, seu declaratio de eo, quod quis cum suo post mortem fieri velit, *ultima voluntas* dicitur: 2) rerum a defuncto relictarum universitas *hæreditas*; et qui hæreditatis fit Dominus, *hæres*; hæredem vero instituens *testator* nominatur. 3) Ultimæ voluntatis species sunt a) *Testamentum*: b) *Codicillus*: c) *Legatum*: d) *Fideicommissum*. Porro 4) *Testamentum* est ultima voluntas, qua *hæres*

directe

in ipso jure canonico (k) videtur rejectum.

* In L. 23. Cod. de SS. Ecclesiis donatæ rei conceditur *vindicatio*, quæ nonnisi dominium habenti competit. Quodsi igitur res donata ecclesiæ, sed nondum tradita, donetur alteri, hic quidem rei ejus dominium haud nanciscitur, etsi is, cui res tradita est, præferri alioqui soleat. L. 15. *de Rei vindicat.*

§. 713.

Ultimæ quoque *voluntates* ad *caussas pias* pluribus gaudent privilegiis. 1) *Testamenta pia* sine ullis solennitatibus, modo de voluntate testatoris satis constiterit, vi juris canonici, (l) Bavarici civilis, (m) et Germanici consuetudinarii valida sunt. Neque duo testes tolennitatis, sed unius probationis caussa adesse jubentur. In illa enim Christi sententia: *In ore duorum aut trium testium stat omne verbum*: (n) quam Pontifex ceu decidendi rationem laudat, duos testes non solennitatis, sed probationis caussa exigi expeditum videtur. Quare satis est, si testamentum propria testatoris manuscriptum esse noscatur. (*) 2) *Legata pia* debentur, quandocunque de perfecta legantis voluntate, etsi non solenniter, constat: quocirca siquidem de testatoris voluntate dubium non sit, legata pia etiam in testamento

(k) C. 43. causs. XVII. q. 4. Cf. Boehmer in Notis ad h. Can.

(l) C. 4. et 11. de testament.

(m) Cod. civ. P. 31. c. 4. §. 5.

(n) Matth. XVIII. 16.

testibus facta valida declaravit. (f) Sed Germania, saltem quantum ad testimenta profana, jus Romanum fere retinuit. Item 10) legatum *rei alienæ* a jure Romano agnitum, in jure canonico (g reprobatur. De Clericorum testamentis supra (§. 579.) jam dictum.

§. 712.

Atque *Donationes* quidem *inter vivos* ad caussas pias factæ plura habent singularia: 1) quod acceptationem haud requirant, sed sola pollicitatione valorem nanciscantur: 2) quod dominium rei donatæ per solam donationem ipso jure, et absque traditione in ecclesiam transeat. (h) * Addunt alii, 3) quod donatio ultra *quingentos solidos* etiam absque insinuatione in ecclesiam facta subsistat. Atvero hoc privilegium legis civilis auctoritate destituitur: quæ enim in rem præsentem allegari lex (i) solet, non ad omnes caussas *pias*, sed ad *piissimas* duntaxat, scilicet, ubi singularis miseratio intercedit, e. g. in redemptione captivorum, restringitur. Docent item alii, 4) quod donatio in ecclesiam facta ob supervenientes liberos, nisi usque ad legitimam, nequeat revocari. Sed enim nec isthoc privilegium ullius legis nititur auctoritate; imo in

(f) C. 10 de Testament. Cf. Boeckhn L. c. n. 12.

(g) C. 5. de Testament. Cf. Thomassin P. 3. L. 1. c. 20.

(h) L. 4. ff. de pollicitat. et l. 23. Cod. de SS. ecclesiis.

(i) L. 34. Cod. de donation. Cf. Boeckhn comment. in J. C. L. III. tit. 24. n. 19.

tulo lucrativo adquisitis *quarta pauperum* detrahitur, nisi 1) jam pars legatorum piorum quarta pauperibus esset destituta. 2) Nec quarta pauperum locum habet in stipendiis studiosorum, nec in iis legatis, quæ hospitalibus, orphanotrophiis, fundationibus beneficiorum, quod ad congruam pertinet, cedunt; (u) 3) ea quoque, quæ monasteriis ceu Religiosi legitima, item quæ PP. Franciscanis, (x) et Capucinis (y) tanquam speciali modo paupertatem professis donantur, quarta pauperum non carpit. *Cf. Annot. in Cod. Bav. p. 3. c. 4. §. 5. n. 9.*

§. 714.

Denique 1) ubi testamentum deficit, in bonis ecclesiasticis, vel intuitu ecclesiæ adquisitis, jure communi succedit clerico ea, cui vivens ministraverat, ecclesia; (z) quodsi in pluribus ministraverit, pro rata inter eas ecclesias hæreditas dividenda erit. (a) 2) Monasteria successionis capacia omnem professi hæreditatem, et bona capiunt, (b) si nec de illis ante professionem disposuit, *) nec etiam lex singularis obstet. 3) Novitiis autem ab intestato monasteria haud succedunt. (c)

*) Novi-

(u) Decret. Elect. 1756. 3. Jan. et 1760. 16. Jan. Vid. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bav. P. III. c. 4. §. 5. n. 9.

(x) Resolut. ex Intim. 1766. 12. Dec.

(y) Resol. 1767. 11. May.

(z) L. 20. Cod. de Episc. et Cleric. c. fin. c. XII. q. 5.

(a) C. 12. de Testament.

(b) Authent. ingressi. Cod. de SS. Eccl. Nov. 123. c. 38. c. 9. causs. 19. q. 3.

(c) Nov. 118. Nov. Justin. 5. c. 5.

*) Novitii de bonis suis ante vota religiosa nuncupata disponere possunt, nec sua bona monasterio conferre tenentur. Ceterum vi Decreti Tridentini (d) omnis gratuita bonorum alienatio a Novitio ante duos menses professioni proximos, vel ante ingressum in monasterium, quamquam ad caussas etiam pias facta, et juramento sit vestita, prorsns nulla est. Quæ autem proximis duobus ante professionem mensibus fit, nonnisi secuta professione effectum sortitur. Attamen liberis Religiosi, si quos ante Religionis professionem suscepit, *legitima* statim post professionem tradenda erit. De Religiosorum vel ordine sublato, vel monasterio subpresso, vel post vota per dispensationem soluta in paternam hæreditatem successione vid. Godefrid. Wurschmitt *Diss. inaug. Can. jurid. De Successione Monialis in hæreditatem paternam monasterio subpresso* 1788. *Erfordiæ.*

ARTICULUS III.

De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione, Alienatione etc.

§. 715.

Penes quos bonorum ecclesiasticorum cura, et administratio tum superior, tum subordinata diversis temporibus fuerit, aut etiamnum resideat, supra (§. 366. sqq.) monuimus. (a) Porro quod ad ecclesiarum parochialium bona adtinet, supra dictis administratoribus fere duo alii inferiores curatores, (vitrici Kirchenpröbste, Heiligen- oder Kirchenmeister, Pfleger,

---

(d) Sess. XXIV. c. 16.

(a) Vid. Van Espen J. Eccl. un. P. II. tit. 36. c. 1.

ger, Vögte) et alicubi etiam in ratiociniis ecclesiarum examinandis Assessores (Juraten, Beisitzer) e plebe cujusvis parochiæ, non indiligentes, nec dubiæ fidei patresfamilias adjungi solent. *)

*) Hi ecclesiæ, quasi Patresfamilias in Bavaria 1) communi Parochi, et Prætoris politici consensu constituuntur: 2) etiam inviti, ubi ex caussa non adeo gravi reluctantur, ad id officium ceu publicum suscipiendum compelli possunt: 3) licet vero iisdem annuum stipendium vulgo constitutum non sit, culpam tamen levem præstare obligantur, (b) 4) et solum, siquidem sui officii caussa iis subeunda jactura est, ex ecclesiæ bonis indemnes sunt servandi.

§. 716.

Curatorum, et *administratorum munus* generatim eo redit, ut pro sua quisque officii parte bonis ecclesiasticis tuendis, servandis, adaugendis, et in fines, in quos destinata sunt, rite impendendis, curam, operamque sedulam navent. (Cf. §. 367.)

§. 717.

Subordinati autem *administratores* et curatores inprimis debent 1) inventarium summa cura conficere, 2) ærarium, seu armarium (Zechschreine, Heiligenkasse Kasten,) fideliter custodire, * 3) bona ipsorum administrationi credita adaugere, fundos, pecunias recte collocare, ** 4) nomina censusque justo tempore exigere; 5) negotia ecclesiæ tum extra tum

intra

(b) Arg. ex l. 7. Cod. arbitr. tut.
(c) Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 14 et 15.

tra judicium curare, tuerique; 6) ædificia ecclesiastica sarta tecta servare, reparare; 7) impensarum et proventuum calculos curate subducere, librumque rationum justo ordine conficere; 8) quotannis rationes iis, quibus debent, reddere; *** 9) in quibusvis majoris momenti rebus Superiorum ecclesiasticorum, et aliorum pro lege, vel more consensum exquirere. (d)

*) Armaria ecclesiæ vulgo sub duabus tribusve diversis clavibus, quarum una in Parochi, altera in Prætoris, tertia in Vitrici manu sit, solent custodiri. *Cf. Concord. Bav General. c. 1. ad fin.*

**) Ut omnis privatæ utilitatis quærendæ, et damni ecclesiæ inferendi præscindatur occasio, ipsi curatores cum ecclesia contrahere; aut bona ejus conducere regulariter prohibentur.

***) Rationes in Bavaria primum a Prætore politico et Parocho, cui quatuordecim diebus antea eum in finem inspiciendæ traduntur, examinantur, demum superioris magistratus civilis judicio subjici debent. De hucusque dictis *Cf maxime Annot. L. B. de Kreittmayr in Cod civ Bav P i. §. 42 Decret. Elect de administrat. bon. eccl. 1777. 29 Martii. item ordinat Consil. eccl. elect. de A. 1779. n. 24. seqq. etc.*

§. 718.

Ne porro bona ecclesiastica administratorum sive incuria, sive malitia dissipentur, iisdem tum per SS. canones, tum Principum constitutiones bonorum ecclesiastico um, plerorumque *alienatio* vulgo prohibita, et variis conditionibus circumscripta est.

(d) Cf. L. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. Bav. civ. P. I. c. 7. §. 42. n. 3. sqq.

*) Primis ecclesiæ seculis libera, et plena rerum ecclesiasticarum potestas penes Episcopos erat. At quum Episcopi quidam bona ecclesiæ quandoque dissiparent, aut in propriam verterent distraherentque utilitatem: 1) jam Seculo IV. bona ecclesiastica alienandi potestas comprimi, aut certis legibus circumscribi per canones (e) cœpit: 2) quos sec. V. Leo Imp. pro ecclesia Cpltana, (f) Anastasius pro ecclesiis eidem Patriarchatui subjectis: (g) Justinianus vero pro ecclesiis Orientis et Occidentis (h) datis legibus firmarunt. 3) Horum exemplum secuti Reges Carolingici latis ea de re pluribus, quæ in Capitularibus referuntur, legibus alienationem rerum ecclesiasticarum severe inhibebant: 4) iisdem accesserunt Constitutiones consonæ Imperatorum Rom. Germanicorum, e. gr. Conradi, Friderici I. et II. aliorum. Vid. apud Goldast Constit. imp. Tom. 3. p. 12.

§. 719.

Ex istis porro conciliorum, et principum hac de re constitutionibus hæc eruimus *axiomata*: I. *Alienatio* quarumdam rerum ecclesiasticarum *) per se prohibita, II. nec nisi gravibus ex caussis, et III. adhibitis debitis solennitatibus permissa est. IV. *Alienatio* heic sensu largiori intelligitur, et V. illegitime facta pro utroque foro nulla, VI. variisque pœnis

(e) E. g. Concil. Antioch. A. 341. Can. 24. Conc. Carthag. V. c. 4. vid. Gratian. c. 39. Causs. XVII. q. 4. et Causs. XII. q. 1.
(f) L. 14. Cod. de Ss. Ecclesiis.
(g) L. 17. Cod. eod. tit.
(h) Novell. 7. et 120. referuntur fere integræ post L. 14. Cod. de SS. Eccles. et apud Gratian. c. 2. Causs. X. q. 2.

pœnis obnoxia est; unde VII. diversis modis revocari potest et reparari.

*) Bonorum ecclesiasticorum nomine hic veniunt bona ac jura omnia, quæ ad *quævis loca pia, et venerabilia auctoritate Episcopi constituta* pertinent. *Nov.* 7. *princ. c.* 1. 2. *L.* 24. *Cod. cum auth. et L.* 19. *de Ss. eccles.*

§. 720.

I. *Alienatio quarundam rerum ecclesiasticarum regulariter prohibita est.* Licet res 1) mobiles non pretiosæ, et quæ servando servari nequeunt, seu quas incorruptas diu servare difficile aut impossibile est; atque immobiles exigui pretii alienari in bonum ecclesiæ possint; tamen 2) *sacræ, pretiosæ, mobiles, immobiles* magni momenti, et quæ his æquiparantur, * alienari regulariter vetantur.

*) Nempe rebus immobilibus heic æquiparantur jura incorporalia, decimæ, ususfructus, servitutes rebus immobilibus adhærentes, census annui, pecuniæ ad rem immobilem comparandam destinatæ.

§. 721.

Attamen dictarum (§. præc.) etiam rerum alienatio II. urgentibus *justis* gravibusque *caussis* permissa est: scilicet, 1) res *sacræ* nonnisi ob majorem ecclesiæ et pauperum, cui alio modo subveniri nequit, necessitatem, (i) 2) res *immobiles magni pretii* et ecclesiæ utiles, aut mobiles pretiosæ duntaxat vel *necessitatis*, vel saltem *pietatis* aut evidentis *utilitatis* caussa (k) alienari possunt, 3) judicium vero de

 caussæ

(i) C. 13. 14. 70. Causs. XII. q. 2.

(k) C. 8. de rebus eccles. non alienand. et c. 1. eod. tit. in 6. clem. 1. eod.

caussæ gravitate haud cuivis ecclesiæ Rectori, aut Administratori permittitur: Sed

§. 722.

III. Aliæ præterea *solennitates* requiruntur; videlicet 1) in ecclesia, quæ Capitulum habet, requiritur *consensus Capituli*, per actum capitularem præstitus, subscriptione Prælati et quorumdam saltem de Capitulo firmatus; (l) 2) consensus *Superioris ecclesiastici*, Episcopi vel intuitu exemtorum alterius Superioris proprii, immo ipsius Pontificis; *) (m) 3) annutus Principis **) saltem jure consuetudinario et Bavarico; (n) 4) *consensus* Domini directi in rebus, quas ecclesiæ in feudum dedit, atque adeo Imperatoris quoad feuda Imperii; 5) consensus aliorum, lege, pacto, observantia necessarius. ***)

*) Consensum Pontificis ad bonorum ecclesiasticorum in germania alienationem requiri plures generatim negant, affirmant alii: alii eundem saltim ad bona mensæ episcopalis præsertim in consanguineos Episcopi alienanda necessarium adserunt, tum 1) [illegible] Episcopi in propria caussa sint judices, tum [illegible] quod Episcopi, ad hæc bona absque Pontificis venia non alienanda, in consecratione jurisjurandi fide sese obligare soleant. Cf. Philip. Steinhauser Diss. de feudis ecclesiast. c. 3. §. 85. seq. et 10[illegible] seqq.

(l) C. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. clement. [illegible] eod. tit. c. 1. de his quæ a Prælato.

(m) Extrav. comm. un. de rebus eccl. non alienand.

(n) Vid. Annot. in Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 4[illegible] n. 11. Cf. van Espen J. E. un. P. II. tit. 36. c. 4 n. 35. Barthel Diss. de reb. eccl. non alienand. Art. *1. §. 10.* tom. 2. opusc. 8.

seqq. Thesau. J. Eccl. Tom. V. pag. 759. seqq. 766. Barthel. Diss. de reb. eccl. non alienand. Tom. 2. opusc. 8. Art. 3. §. 9. sqq. Schrodt Inst. L. 3. tit. 13 §. 315.

**) Princeps et qua providus reipublicæ Rector, et qua ecclesiæ Advocatus tenetur curare, a) ut ad congruentem ecclesiæ ministrorum sustentationem et ad externæ Religionis adparatum bona a civibus liberaliter conferantur: ut b) eum in finem collata recte impendantur, atque serventur. (§. 355. 367.) Proinde c) eidem et jus est, et officium incumbit invigilandi, ne ea bona improvide, et alios in usus alienentur: talis alienatio siquidem nec sine detrimento ecclesiæ, nec plerumque sine novo reipublicæ, quæ deinceps in usus ecclesiæ bona alia conferre deberet, onere fieret. Ex quo itidem liquet, in bonorum ecclesiasticorum alienatione Principis consensum haud esse negligendum.

***) Solennitates fuisse rite adhibitas, ceu rem facti, assertor probare debebit; nisi tempus hominum memoriam excedens hac in re probationis vicem subpleat.

§. 723.

Quum *alienatio* heic IIII. *sensu largiori* (o) ebeat intelligi: *) *alienationis* nomine hic veiunt non solum actus, vel contractus tum *ratuiti*, tum *onerosi*, **) per quos a) *domiium plenum*, sed et quibus b) *dominium miius plenum* (Cf. §. 359.) aut c) *jus* quodvis in e, immo d) jus *ad rem* ad alium transfertur, ut per quos ecclesia in bonis suis *gravamen* atitur, resque ecclesiæ deteriorem in statum etruduntur.

 *) *Alie-*

(o) C. 5. de rebus eccles. non alienand. Cf. Annot. in Cod. civ. Bavar. P. 2 c. 2 §. 6. n. 4.

*) *Alienatio* sensu strictiori accepta illos denotat actus, quibus dominium rei ab alio in alium transfertur: sensu autem latiori eos etiam comprehendit actus, queis dominium directum vel utile restringitur, aut minuitur, » ita, ut non so» lum emptio, venditio, permutatio, donatio, trans» actio, divisio, mutuum, solutio, dotis datio, » præscriptio, successio, sed etiam feudi, vel em» phyteuseos constitutio, oppignoratio, servitutis, » ususfructus, vel cujuscunque oneris impositio, » imo etiam quandoque promissio intelligatur etc. » etc. « *Calvin. Lexic. voce Alienatio.* Cf. *Shwader de Alienat. ad manus mort. c.* 1. §. 2. *Fæhr. Diss. quid sit alienare.*

**) Amplissimam, quæ juris naturalis, civilis romani, et germanici Interpretum ingenia operamque exercet, de *pactis contractibusve* materiem more antiquorum Decretalistarum fusius persequi, nec, quem propositum habeo, scopus, nec, quem ætas nostra scientiis posuit, limes finit. Sufficiat heic monere, 1) quod jus canonicum, licet, ceteroqui ad simplicitatem juris naturalis proprius accedere soleat, a juris tamen romani, hac, siqua in re alia, tricis, subtilitatibus obsiti, placitis haud omnino (p) recedat: 2) quod pacta quædam, de quibus suo loco monemus, rejiciat: 3) quod præcipua quædam, de pactis singillatim, de quibus paullo post dicturi sumus, præcipiat. Probe itaque notandæ hæc propositiones: I. Pacta jure naturali illicita, invalidave jure positivo valida reddi nequeunt. II. Pacta naturaliter valida, seu queis nil deest, quod jus naturæ ad pacti perfectionem exigit, pro foro ecclesiastico valida sunt habenda, quousque iis jure positivo vim ademtam esse *luculenter* constet. III. Pacta per leges romanas patriasque valida, nisi jus ecclesiasticum, quod

(p) Vid. Paul de Riegger Instit. J. Eccl. P. II. §. 421. seqq. Cf. Martini Positiones Jur. Nat. c. 15.

legum scita imitari non dedignatur, aliud statuat, in foro itidem ecclesiastico robur suum obtinebunt: IV. Pacta non solum ad juris communis, sed maxime ad patrii ecclesiastici, et in mixti fori rebus etiam ad juris civilis patrii normam exigenda erunt. Igitur V. probe distinguendi contractus 1) natura sua validi, 2) naturaliter quidem *validi*, queis tamen exteriori in foro actio negatur; 3) *irriti* ipso jure, seu a jure positivo jam in irritum missi; 4) *infirmi*, atque per sententiam judicis demum *irritandi*. Demum VI. ob oculos habendæ, quas de dolo, de culpa lata, levi, levissima circa contractus admissis tum jus, tum naturalis æquitas dictat, *Regulæ:* (*dolus* est improba alterum lædendi voluntas, *culpa lata*, *levis*, *levissima* dicitur omissio *diligentiæ* infimæ, mediæ, summæ, seu quam omnes vulgo non indiligentes, quam diligentiores, quam diligentissimi adhibere solent. *Casus* adpellantur inopinatus eventus, qui cujusdam hominis quidem consilio, diligentiave præviderí, aut averti non potuit.) Nempe regulariter 1) damnum per *dolum culpamque latam* datum in omni negotio et a quovis ejus culpæ reo præstandum est: 2) ab iis, qui ex contractu nullum ferunt commodum, solum *culpa lata* luitur: 3) *culpa levis* ab utroque contrahentium in iis præstanda est contractibus, quæ in utriusque commodum vergunt: 4) *levissima* etiam *culpa* præstatur ab eo, cujus solius utilitatem contractus respicit: 5) *casus fortuitus* regulariter a nullo præstatur, nisi quis eundem speciali conventione in se receperit; proin uni Domino rei, cui res utique perit, nocet. *Cf. Pl. Bæckhn comment. in J. Can. L. I. Tit.* 35. *n.* 60. *seqq. Daries Instit. Jurispr. privat. Romanogerm. P. I.* § 58. *seqq. Heineccii Element. Jur. civ. secund. ordinem Pandect. P. III.* §. 113. *seq.*

§. 724.

Alienationi itaque, quæ non nisi ex gravibus caussis adhibitisque solennitatibus permittitur, accensendi *contractus gratuiti*: I. *Donatio* (§. 711.) quæ ecclesiæ nocumentum adferre possit (q): quo referenda donatio rerum etiam mobilium, et pecuniæ, saltim si nimia fuerit. II. *Mutuum*, quo rei fungibilis, seu quæ usu consumitur, dominium gratis transfertur in alium ea lege, ut post certum tempus in eodem genere tandundem restituat. Per mutuum enim et dominio et usu rei suæ saltem ad tempus ecclesia privaretur, sæpeque rem mutuam datam haud recuperandi periculo fieret obnoxia. *) III. *Commodatum*, quo res non fungibilis, seu quæ usu non consumitur, alteri ad certum tempus et usum gratis et ea lege traditur, ut post definitum tempus res eadem in specie reddatur. Quum etenim plurimum intersit ecclesiæ, ne rei suæ usu saltem per longius tempus destituatur, concessove aliis usu res ipsa fiat deterior; patet ratio, cur res ecclesiasticas ad longius tempus commodare absque solennitatibus Prælato haud liceat. Contra quoniam, si id ad tempus breve fiat, dicta ratio solet abesse, Prælatus res etiam sacras ad usus sacros ad brevius tempus commodare non prohibetur. (r) **) IV. *Fidei jussio*, qua vulgo gratis recipitur obligatio ad aliquid pro altero, qui obligatus est, præ-

(q) C. 2. de Donation.
(r) Arg. Extrav. comm. de reb. eccl. non alienand.

præstandum, si ille satisfacturus non est. Prælatus ita obligans ecclesiam magno hanc onere esset gravaturus: proinde eandam absque solennitatibus hac in re obstringi haud posse, (s) ex dictis (§. præc.) consequitur.

*) Quocirca, si Administratores neglectis solennitatibus pecuniam ecclesiæ dederint mutuam, eorum periculo erit erogata, debebitque, si debitores solvendo non sint, ab ipsis Administratoribus restitui.

**) Jure Bavarico *Commodatarius* præter regulam (J. præc. not. 2.) damnum etiam fortuito casu secutum partim ad judicis arbitrium ferre jubetur. Et *Depositarius* depositum etiam gratis recipiens culpam levem luit (t). Quodsi vero ecclesiæ Prælatus *commodatum*, aut *depositum* sine Capituli consensu recipiat, ecclesia ultra, quam inde locupletior evasit, non obligabitur (u).

§. 725.

Prohibitæ absque solennitatibus *alienationis* nomine itidem veniunt *contractus onerosi*: I. *Permutatio*, qua res ea lege datur, ut pro ea alter rem aliam reddat. Etenim res majoris momenti permutando ecclesia lædi facile et insigniter posset (x) *). Nihilominus quum pecunia majori, quam res aliæ, dissipationis periculo obnoxia esse soleat, facilius vulgo permutatio rerum ecclesiasticarum concedi solet, quam II. *Venditio*, seu contractus de re pro certo pretio (pecunia) tradenda. Quodsi nihilominus res ecclesiastica illicite sit vendita:

pos-

(s) Arg. ex c. 2. de solut.
(t) Cod. civ. Bav. P. 4. c. 2. §. 5. et 7.
(u) C. 1. 2. de Deposit.
(x) C. 1. de rerum permutat.

possessor ad restitutionem tenetur, nec repetere pretium potest, nisi in bona fide fuerit, et pretium in ecclesiæ utilitatem versum fuisse probaverit: III. *Locatio*, seu contractus, quo certus usus fructusve rei, aut opera pro pretio ad tempus definitum conceditur. Vetantur autem Rectores ecclesiarum sine solennitatibus *locare* ad longum tempus, id est, jure communi ultra triennium. (y). At more jureque Germanico Bavaricoque ad longius nonnihil tempus id permissum creditur (z). Ceterum locatio legitime et nomine ecclesiæ a Prælato facta etiam successores obligat. Quodsi Rector ecclesiæ nomine tantum suo prædia, mensæ et sustentationi suæ destinata locarit: ea locatio ultra beneficiati vitam, seu ultra tempus possessionis beneficii haud porrigitur. IV. *Concessio novi feudi*, (§. 364. not.) sive *infeudatio* rei ab antiquo infeudari non solitæ, qua rei immobilis dominium utile sub onere fidelitatis, et personalis obsequii conceditur. Item V. *Concessio novæ emphyteuseos*, **) qua res immobilis ita alteri ad tempus non modicum, vel in perpetuum utenda fruenda datur, ut in recognitionem dominii directi et pro fructibus canonem annuum solvat, nisi fors res sterilis ad culturam con-

(y) Extrav. commun. un. de rebus eccles. non alienand.

(z) Bœhmer de Administrat. honor. eccles. c. 2 §. 6. B. de Kreittmayr Annot. in Cod. civ. Bav. P. I. c. 7. §. 42. n. 10.

concedatur. Item VI. *Impositio servitutis* vel cujusvis *oneris realis* qua e. g. ecclesia aliquid pati vel non facere *in suo*, seu re sua teneretur ad alterius utilitatem: atque adeo VII. *Concessio ususfructus*, qua res fructifera alteri utifrui salva ejus substantia conceditur finito usufructu in specie restituenda. VIII. *Concessio precariarum*, seu concessio usus rei immobilis ad preces sub certis conditionibus facta: (a) quae varie a precario differunt. ***) Item IX. *Constitutio pignoris* aut *hypothecae* saltem *specialis*. ****) demum X. *Transactio*, discessio a lite dubia non gratuito, sed aliquo dato, aut promisso, aliquo retento facta.

*) Jus canonicum 1) mancipia ecclesiastica, nisi ad libertatem commutare vetat (b), 2) De permutationibus beneficiorum jam antehac (§. 522.) dictum. 3) De vetita permutatione rerum sacrarum cum profany posthaec erit dicendi locus.

**) At res ab antiquo in feudum, aut emphyteusin tradi solitae, nisi specialia statuta obstent, absque solennitatibus denuo in feudum, aut emphyteusin, modo conditione non deteriori id fiat, concedi queunt (c): immo in Bavaria intra semestre debent (d).. Ceterum e emphyteusi ecclesiastica excidit emphyteuta, qui per biennium solutionem canonis neglexerit; ea tamen, dummodo celeri satisfactione culpam purgaverit, non expellitur *c. ultim de locat.*

***) Usus

(a) Extrav. comm. unic. de reb. eccles. non alienand. vid. c. 1. et seq. de Precariis. Cf. Schrodt Instit. J. eccl. P. 3. tit. 13.
(b) C. 3. de rerum permut.
(c) C. 20. de feudis.
(d) Pragmatica A. 1764. n. 14.

***) Usus precariarum, quæ in datas, oblatasque dividuntur, hodie fere exolevit. Differunt autem *Precariæ* a precario, quod a) illæ contra, ac istud, non sint ad nutum revocabiles: quod b) per mortem accipientis non cessent, sed ad successores transeant; quod c) fere in solis rebus immobilibus locum habeant etc. Vid. Schrodt Instit. Jur. Can. P. III. tit. 14. §. 328. seqq.

****) *Oppignorari* res dicitur, quæ creditori a debitore in securitatem debiti obligatur, ut nisi suo tempore solvatur debitum, ex eadem satisfiat. Res ita obligata, si reapse tradatur creditori, *pignus*; sin, *hypotheca*, appellatur, *specialis*, si res certa in specie: *generalis*, si generatim bona debitoris obligentur. *Hypotheca generalis*, si alioquin debitum sit legitime contractum, a Prælato sine solennitatibus constitui posse videtur. Sane 1) unica prohibitæ alienationis ratio est imminens ecclesiæ damni, aut oneris novi periculum: atqui si debitum alioqui sit rite contractum per adjectam hypothecam generalem, nec damni nec faciendæ vetitæ alienationis periculum subit ecclesia, alias ad debitum eodem modo exsolvendum obstricta (e). Nam etsi absit hypotheca generalis, ex bonis ecclesiæ debet satisfieri, ita, ut primo, si desit pecunia, res mobiles minus pretiosæ, tum etiam pretiosæ, et his non sufficientibus immobiles quoque ad expungendum debitum distrahere necesse sit. (f) Idem autem, nec aliud faciendum, si hypotheca generalis sit constituta. Contra hypotheca specialis plus præjudicii continet. Unde 2) in jure inter prohibitæ alienationis species refertur (g) nominatim una *hypotheca specialis*, ex quo ipso *generalis* tacite permissa esse recte creditur. 3) Consonat jus civile:

(h)

(e) C. 2. causs. X. q. 2.
(f) C. 1. de solut. c. 2. causs. X. q. 2.
(g) C. 5. de reb. eccl. non alienand.

(h) *Licebit Præpositis earum* (ecclesiarum) *usque ad generalem hypothecam stare, nullum tamen speciale pignus creditoribus præbere.* 4) Nec obstat, quod in celebri Extravagante: *Ambitiosæ* etc. constitutio hypothecæ generatim inter veritas alienationes referatur. Etenim a) dum Paulus II. vetita hypotheca subdat: *præterquam in casibus in jure permissis*, generalem permissam esse recte infertur: dein b) ex clarioribus ac magis determinatis locis heic minus determinatus exponendus: c) vere adhuc dici potest, hypothecam vetitam esse, etsi *specialis* una inhibita esse concedatur. Vid. *c.* 34. *de reg. jur. in* 6. *Cf. Pl. Bækhn comment. in Jus Can. L. III. tit.* 13. *n.* 4. *seqq. ubi raciones opponi solitas dissolvit.*

§. 726.

Demum ad alienationes regulariter prohitas itidem verosimilius referuntur I. *Repuatio* hæreditatis, legati, donationis ecclesiis ɜlatæ iisque non inutilis: *) atque II. *Cessio* ːtionis, ceu juris, quod ex caussa habet ecesia; actio enim pretio æstimabilis est, et, ɹemadmodum hæreditas, vendi etiam post (i).

*) Asserti hujus rationes sunt: 1) heic alienatio latiori sensu accipitur, proinde ad alienationem quoque referenda erit dimissio juris, tanquam rei incorporalis: præsertim quum 2) ecclesia Dominium rei sibi donatæ absque speciali acceptatione jam verosimilius (§. 712.) acquirat; 3) repudiatio legati pupillo relicti absque Prætoris decreto non valet

cum

(h) Novell. VII. cap. 6. §. 1.

(i) L. 23. Digest. de acquir. vel omittend. hæred. et Arg. ex L. 7. Cod. de Arbitr. Tut. Vid. Annot. in Cod. civ. Bavar. P. 1. c. 7. §. 42. n. 9. Cf. L. 18. tit. IV. de hæreditate vel actione vendita.

cum res sit pupilli (k); proin ea nec intuitu ecclesiæ valida esse poterit, quæ itidem jure minorum, et pupillorum gaudet. 4) Neque vero repudiatio hæc mere in *acquirendo* negligentia est; sed reapse *abdicatio juris jam quæsiti*, e. g. hæreditatem adeundi, quod est pretio æstimabile. 5) Quum jus hoc non Prælato, sed ecclesiæ delatum sit, nec ab illo repudiari, ceu *jus haud suum*, potest. 6) Textus juris in speciem contrarii loquuntur de alienatione *stricte sumpta*; aut in materia odiosa, ubi alienatio sensu arctiore accipienda est; heic vero de favore ecclesiæ, de alienatione in sensu largiori agitur. Cf. Bœckh. l. cit. n. 7. et Heineccium Element. Juris civil. secund. ord. Pandectæ. P. III. §. 282. seqq. ad Pandect. L. XVIII. ut 4. de hæreditate vel actione vendita.

§. 727.

Porro V. *alienatio* quæcumque illegitime facta, id est ubi et caussa gravis, et solennitates, vel alterutrum duntaxat defecerint, non modo pro foro externo, sed et pro interno *nulla* esse cognoscitur. *) Etenim 1) illa in jure canonico prorsus *non valere*, non *tenere*, *nullius* omnino *roboris*, et *momenti* esse; nec jus recipiendi tribuere, nec præscribendi etiam caussam parere, conceptis verbis (l) dicitur. Dein 2) male alienata sub anathematis pœna restitui jubentur (m). Licet vero ecclesia id genus

(k) L. magis 5. §. fundum 8. ff. de reb. eor. qui sub tutela.

(l) C. 12. de rebus eccl. non aliénand. c. 2. eod. tit. in 6. Clem. 1. ibid. Extrav. comm. unic. eod. tit.

(m) C. 6. de reb. eccl. non alien. Extrav. comm. *ambitiosæ*. eod. tit.

genus contractu haud obligetur; illum tamen, qui cum ipsa contrahit, si Superior talem contractum deinceps ratihabere velit, a contractu resilire non posse, tum ex utroque jure (n), tum ex eo multi colligunt, quod ea, quæ in favorem ecclesiæ statuta sunt, in ejus odium detorqueri haud debeant.

*) Ceterum id etiam obtinet, si alienatio fiat ab alia ecclesia ad aliam. Nec obstat axioma istud: quod *privilegiatus non utatur suo privilegio contra æque privilegiatum*. Nam in pari privilegio ex æquitate naturali melior est conditio ejus, qui de damno vitando, quam qui de lucro captando agit. Porro alienantem ecclesiam agere de damno vitando, acquirentem de lucro captando, patet. Dein nostra sententia colligitur ex c. 1. de rebus eccl. alien. vel non.

§. 728.

Porro ut a prohibita alienatione administratores eo fortius absterreantur. VI. *male alienantes gravibus* mulctantur *pœnis*: et 1) *Episcopus* quidem vel *Abbas* ingressu ecclesiæ interdicuntur, atque per semestre haud emendati, a regimine suæ ecclesiæ suspenduntur: 2) inferioris gradus *Clerici* excommunicationem ipso facto incurrunt, simulque beneficiis, quorum bona alienarunt, privantur (o): ceterum 3) omnes ad restitutionem obligantur.

*) Has

(n) Princip. Instit. de auctor. Tutor. c 42. caus. 12. q. 2. c. 3. de his, quæ ad Prælat.

(o) Extrav. un. de reb. eccl. non alienand.

*) Has tamen pœnas haud ubivis receptas esse, easque, ubi receptæ sunt, non per ipsum contractum, sed per rei ecclesiasticæ illicitam traditionem incursum iri, monet *Engel J. Can. L.* III. *tit.* 13. *n.* 18.

§. 729.

Male facta *alienatio* VII. variis *reparatur* modis. I. Jus est ecclesiæ bona sua indebite alienata a quovis possessore *vindicandi* una cum fructibus, nec refuso etiam *pretio*, si sit *malæ fidei* possessor, sed restituta ea solum pretii parte, in qua ecclesia facta est ditior. Porro bona hæc sic *vindicare* denuo possunt a) ipsemet male alienans Prælatus, b) ejus successores, c) Capitulum; immo d) persona quælibet ecclesiastica, aut etiam e) patronus ecclesiæ (p). II. Datur *actio* ecclesiæ adversus alienantem, ejusque hæredes (q) ad damnum ecclesiæ ex suo patrimonio reparandum. III. Prælatus aut Capitulum in *possessorio* munitur *Interdicto recuperandæ possesionis*, seu *unde vi.* Quin imo, quum ex stilo curiæ per injustam alienationem non tantum jus non transferatur, sed etiam *possessio civilis* maneat penes ecclesiam; heic quoque locum habere dicitur IV. *Interdictum retinendæ possessionis* (r), ita, ut is qui modico etiam tempore possessionem habuisset, hacque esset spoliatus, non deberet ante omnia

(p) C. 4. 6. et 9. de reb. eccl. non alien.
(q) C. 18. causs. XII. q. 2. c. 3. de pignor.
(r) C. 3. causs. III. q. 1. c. 2. de Restit. spolit. in 6.

nia restitui, nisi postquam in continenti evidenter justitiam tituli (s) probasset. V. Facta etiam cum solennitatibus alienatione ecclesia forte læsa juvatur *beneficio restitutionis in integrum*, *) quod per quadriennium a tempore factæ, vel cognitæ læsionis peti potest. **)

*) In integrum restitutio generatim est beneficium juris, vi cujus negotium ob læsionem intervenientem auctoritate judiciali ob justam caussam rescinditur. 1) Hoc beneficio potissimum minores utuntur, et ecclesiæ, seu corpora ecclesiastica: modo 2) læsio probetur: et restitutio petatur intra quadriennium a die factæ læsionis, nisi fors dolus, vis, metus ab agendo impedivisset, numerandum. (t) 3) Restitutio hæc fit etiam contra aliam ecclesiam lædentem. (u) Porro 4) *petita restitutione* a) omnia in suo statu relinqui debent: b) executioque sententiæ latæ suspenditur. (x) 5) *Impetrata restitutione* omnia in statum pristinum sunt revocanda, resque tradita unacum fructibus restituenda, exceptis iis, qui bona fide sunt consumti, atque refusis expensis in rem factis. (y)

**) Huc usque dicta non solum de ecclesiarum, sed et de aliorum religiosorum, piorumque, si modo Episcopi auctoritate sint erecta, locorum bonis intel-

(s) Cf. Barthel Annot. in Engel. J. C. ad L. III. tit. 13 n. 17.
(t) C. 1. 2. de integr. Restit. in 6. et Clem. un. eod. tit.
(u) C. 2. eod. tit.
(x) C. 6. eod. tit.
(y) C. 1. de integr. Restit. c. 11. de rebus eccles. non alienand.

telligo. Ceterum horum bonorum integritati et alia consulunt privilegia. Ita 1) *mutuo* ecclesiæ sese exceptione a) *non numeratæ pecuniæ*, et b) *non factæ in rem versionis* contra creditorem tuentur, donec hic pecuniam numeratam et reapse in utilitatem ecclesiæ fuisse versam, aut nomine saltem consensu Prælati Capitulique facta probaverit. Porro 2) ecclesiis, et collegiis piis *ære alieno* oppressis succurritur a) *remissione usurarum* vel in totum, vel ex parte, ne in futurum currant: aut b) *datione in solutum*; quod beneficium nec aliis debitoribus negatur: attamen in debito ecclesiastico contra, ac in aliis fit, creditori electio haud conceditur (z). Item 3) Præscriptio contra ecclesiam quoad res sacras vulgo nulla, quoad bona immobilia non nisi ea, quæ sit longissimi temporis, scilicet 40 annorum valet. Attamen præscriptio talis contra ecclesiam vivente Prælato alienante dormit. Cf. *Schrodt Inst. Jur. eccl. P.* 3. §. 325.

JURIS

(z) *Novell.* 120 c. 6. §. 3. Auth. Hoc jus porrectum etc. *Cod.* de Ss. eccles. c. 4. de fidei juss. c. 1.

JURIS ECCLESIASTICI PRIVATI.

SECTIO III.

DE JUDICIIS, DELICTIS, PŒNIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De Judiciis Ecclesiasticis.

ARTICULUS I.

De Judicio Ecclesiastico generatim.

§. 730.

Quum in ecclesia christiana sacrum detur Imperium, atque adeo potestas *judiciaria*: (§. 24. — 27. seqq.) caussæque aliæ ex natura sua ad forum ecclesiæ pertineant: (§. 370. seqq.) aliæ etiam civiles per observantiam privilegiaque vel olim (§. 377.) a judicibus ecclesiasticis definiri consueverint (a): vel hodieque, uti caussæ personales clericorum (§. 351. et 441. seq.) in foris ecclesiasticis disceptontur; indubium est, quod semper fuerint, et etiamnum in ecclesia existant *jurisdictio*, *judices*, *judicia*, *tribunalia* etc. Porro 1) *Ju-*

(a) Cf. Thomassin V. et N. Disc. P. II. L. 3. c. 107. seqq. Rupprecht Not. in J. Can. L. II. tit. 1. n. 15. seqq.

Jurisdictio generatim heic (Cf. §. 36. not. 2) intelligitur publica juris dicendi, seu caussas controversas discutiendi definiendique potestas: 2) *Judex* vir est *jurisdictione*, seu publica juris dicendi potestate ornatus. 3) *Judicium* est curata caussæ controversæ discussio, et a competente judice facta decisio. 4) *Processus* est ordo actuum judicialium lege præscriptus, seu ratio legitima, qua caussæ in judicium deducuntur, et definiuntur. 5) *Forum* locus seu tribunal est, in quo contentiosa jurisdictio exercetur, judiciave habentur.

*) *Jurisdictio* vel est *contentiosa* vel *voluntaria*. Hæc est, quæ in volentes, illa, quæ in invitos exercetur. *Voluntaria* iterum dicitur vel *simplex*, quæ sine caussæ cognitione exercetur; vel *mixta*, cujus exercitium caussæ cognitionem requirit. *Contentiosa* vel est ordinaria vel extraordinaria: ordinaria etiam vel *propria* esse potest, aut *vicaria*, (§. 36 not. 2 et §. 284. not. 1.)

§. 731.

Judicium dividitur ratione judicis 1) in *seculare* et *ecclesiasticum*, prout coram judice laico, aut ecclesiastico qua tali agitur: *) ex genere caussæ 2) in *criminale*, ubi de pœna in delinquentes, et facinorosos decernenda, et de satisfactione universitati præstanda, et *non criminale*, *civile*, ubi de aliis rebus, juribusve disceptatur, et de satisfactione ad privatum interesse agitur: item 3) in *petitorium*, ubi de rei proprietate, et in *possessorium*, ubi de possessione actio instituitur: **) quoad formam et ordinem procedendi 4) in *ordinarium*,

in

in quo omnes juris, et curiæ solennitates; et *extraordinarium*, *summarium*, in quo omnibus vel plerisque juris positivi solennitatibus omissis ea solum, quæ natura ipsa judicii requirit, adhibentur (istud jure Bavarico *summarissimum* audit.) ***)

*) Judicium insuper *ecclesiasticum* aut *seculare* ex objecto et indole caussæ appellatur. Quoniam vero caussæ aliæ ex natura sua, (§. 344 et 370.) aliæ ex consuetudine vel Principum privilegio ad forum ecclesiasticum pertinuerunt olim, (§. 351. 377. seq.) aut hodieque pertinent: quo se ex jure *primigenio*, quo ex *adventitio* judicio ecclesiastica porrigant, probe dispiciendum.

**) Aliquando non de sola possessione aut de proprietate rei, sed de utraque simul in judicio agitur; quod *cumulare possessorium cum petitorio* vocant.

***) 1) *Judicia* ecclesiastica omnia erant quondam summaria, 2) *forma* enim judiciorum ecclesiasticorum, ut jus ipsum, olim simplex admodum fuit, et omnium ambagum tricarumque expers. 3) Quem *simplicem* procedendi modum per decem priora ecclesiæ secula perdurasse vel ex eo conjicimus, quod de alio processus ordine, aut de solennitatibus per Decretales subin stabilitis omnes ante Burchardum et Ivonem canonum collectores altum sileant. 4) At vero a seculo XI. et inprimis a seculo XII. judiciorum ecclesiasticorum forma prorsus a nativa simplicitate degeneravit, ubi occasionem præbente legum civilium studio etiam a clericis frequentato Pontifices plura *peculiaria de judiciis* juri canonico inserebant, formulæ juris civilis Romani, et subtilitates in veneranda ecclesiæ tribunalia velut agmine facto immigrabant; variaque etiam in iis *caussarum*, *processuum* et *actionum* genera exoriebantur. (§. 115.) Cf. Thomassin de V. et N. Disc. P. 2. L. 3. c. 101. seqq.

et Rupprecht Not. in J. C. L. II. tit. I. n. 46. seqq.

§. 732.

I. *Partes* judicii sunt 1) caussæ *disceptatio*, sive cognitio, et discussio, 2) *decisio*, seu sententia judicis, quam, si opus, sequitur 3) latæ sententiæ *exequutio*. II. *Gradus* judicii, seu *instantia* prima, aut ulterior vocatur prima vel repetita coram eodem, aut superiore judice caussæ disceptatio et decisio.

§. 733.

Tribunalia, in quibus judicia ecclesiastica exercentur, 1) olim præcipue erant loca *synodorum*, aut domus episcopales, in quibus caussæ controversæ decidebantur. *) 2) hodie summum, quo caussæ contentiosæ disceptantur, Romæ constitutum tribunal est *Rota Romana*: 3) in aliis regionibus sunt *Nuntiaturæ* apostolicæ (§. 230.), **) 4) in Episcoporum dioecesibus ad caussas, vel omnes, vel quasdam definiendas unum plurave tribunalia erecta sunt, quæ diversis locis *Consistoria*, *Vicariatus*, *Regimina ecclesiastica* etc. (§. 284. n. 2.) dicuntur.

*) in Germania judiciorum, ac tribunalium ecclesiasticorum varia olim habebantur genera, 1) *Judicia synodalia*, (das Sendgericht) in synodis tum episcopalibus, sive dioecesanis, tum archidiaconalibus, (b) tum archipresbyterialibus constituta: 2) *Judicium Chori*, (das Chorgericht) seu synodale ab Episcopo, Archidiacono vel Decano Capituli

(b) Vid. Pertsch Abhandlung vom Ursprung der Archidiakonne, und Archidiakonal-Gerichte c. 7.

tuli in Choro templi habitum: 3) *Judicium parochiale;* (das Kirchengericht) item 4) *Judicium Dei,* (das Gottesgericht) maxime in tribunalibus olim usurpatum. Cf. *Haltaus Gloss. med. æv. ad has voces.* Cf. Ant. Schmidt *diss. de synodis archidiaconalibus, et archipresbyteralibus. Thesau. J. Eccl. Tom.* III. *pag* 314.

**) Addidit hic Corrector ac editor meus Coloniensis: *Sed hæc (Rota Romana) nonnisi territorium romanum adficit ...* At nonne ab aliis quoque nationibus ad id tribunal deferri caussæ quædam solent? cur non una ex natione Auditores in eo tribunali assident? dein qui hæc consonant cum D. Hedderich, (qui editionis illius Coloniensis Censorem episcopalem se subsignavit) sententia scribentis: (c) *Rota Romana, quæ est supremum Pontificis tribunal, quod cognoscit caussas utriusque fori, ecclesiasticas, et civiles. Sed has solum pro territorio Pontificis.* Ergo ecclesiasticas pro aliis etiam ecclesiis cognoscit? Atqui nec ego de aliis sermonem habui; caussas enim profanas aliarum regionum illuc deferri posse, ne somniavi quidem: et id in Germania severe inhibitum esse, jam (§. 235. et 373.) monui. Ceterum 1) Rotæ Romanæ *assessores* numero sunt duodecim, ex diversis nationibus assumti: *Germanus* unus, qui ab Imperatore designatur: *Gallus* itidem unus, *Hispani* duo ab eorum Regibus nominandi: reliqui itali sunt; *Romani* tres, *Venetus, Bononiensis, Mediolanus, Florentinus, Ferrariensis.* 2) Auditores isthi in tres dividuntur classes; unus eorum dicitur *Ponens,* vel proponens, reliqui Correspondentes. 3) A prima ad alteram, ab hac ad tertiam licet provocare. 4) In eo tribunali accuratissimus procedendi modus servari dicitur. (d) 5) Decisiones Ro-

(c) Element. Jur. Can. Tom. I. pag. 120. §. 106.
(d) Vid. Pertsch kurze Historie von dem Kanonischen, und Kirchenrecht fünfte Abtheilung. §. 19. seq.

competens, id est, auctoritate, et jurisdictione tum a) in *caussam* controversam, tum b) in *reum* conventum præditus, seu ut reus ratione talis caussæ forum apud ipsum sortiatur (a). Sufficit tamen in rebus, in quibus ecclesia subplere valorem potest, quod communi, et probabili errore habilis legitimusque habeatur (b).

*) *Inhabiles* porro censentur mente capti, surdi, muti, annis viginti aut saltem octodecim minores, hæretici item, schismatici, suspensi, excommunicati saltem publice denuntiati, et non tolerati etc. Vid. *c. 42. de offic. et potest. Judic. deleg.*

**) Subinde partes litigantes judicis, ceu suspecti, cognitionem sententiamque respuunt. Attamen ista *judicis recusatio*, absque *juramento perhorrescentiæ*, ut vocant, quo quis a tali judice justitiam sibi haud fore administrandam se credere jurat, simulque timoris rationes exponit, non admittitur (c); nec contra Ordinarios, qui per dicasteria jus dicere solent, quibusque jus primæ instantiæ toties firmatum est, facile locum habet.

§. 737.

Competentia porro judicis vel a) ex *lege*, b) *delegatione*, aut c) *voluntate litigantium* manat. Ex *lege competens* est 1) ratione *domicilii*, vel quasi *domicilii*, seu loci, in quo quis habitat cum animo vel perpetuo, vel ad longum tempus ibidem commorandi. Unde quivis a) coram *judice domicilii* in actionibus tum rea-

(a) C. 18 de foro compet.
(b) Ex L. Barbarius 3 ff. de offic. Præt.
(c) C. 61. de appell. Cf. Lauterbach diss. de *jurament.* perhorrescentiæ.

ne, si a jure, d) *delegatus a jure* adpellatur. Is, cui ab altero delegato jurisdictio committitur, *Subdelegatus* dicitur. Delegatio generalis et specialis rursus si fiat intuitu certæ personæ, dicitur e) *personalis*, si fiat intuitu dignitatis, f) *realis* vocatur. *) Hic de judicis I. *qualitatibus*; II. *officio*; III. *potestate* dispiciendum.

*) Censetur autem delegatio *personalis*, si nomen legati exprimitur, et nomini dignitatis præponitur: *realis*, si vel dignitatis vel locorum nomen unum exprimitur: e. g. Episcopo Ratisbonensi: vel nomen quidem exprimitur, sed nomini dignitatis et loci postponitur: e. g. Episcopo Ratisbonensi Christophoro.

§. 736.

Judex ceu vir publica caussas controversas discutiendi, et recte deficiendi potestate instructus; *qualitatibus* quoque huic potestati rite exercendæ aptis præditus sit oportet. Igitur sit 1) *vir habilis* et *bonus*, tum ex parte *intellectus*, tum ex parte *voluntatis* dotibus ad æquum, justumque discernendum, et constanter exequendum necessariis instructus; a defectibus, et vitiis contrariis immunis, et expeditus. Judicii nempe *maturitate*, scientia juris non mediocri, immoto æqui rectique studio ornatus; a pravis animi affectibus, partium studio, avaritiaque alienus, in id intentus, ut, lites non necessarias amputet, partes patienter audiat, ad normam legum judicet, probabiliora sequatur, stanteque dubio æquali, in nullius favorem pronuntiet. Sit 2) com-

*) Nempe complures hanc officii judicis in nobile, et mercenarium distinctionem ad veteris juris formularii reliquias referunt: officium judicis utrumque ex natura caussarum statuunt, et mercenarium in caussis privatis civilibus obtinere dicunt. Hanc tamen regulam quibusdam limitant exceptionibus: I. ex *officio* judex supplere debet, quæ sunt *juris communis*, in illo foro recepti, non item quæ juris sunt *specialis*, cui partes, quum ejus beneficio non utantur, renuntiasse censentur: II. quæ sunt *facti*, supplere non potest judex, nisi quatenus ex actis constat: attamen et heic supplenda esse monent, 1) quæ ad auctoritatem, dignitatemque judicis, et judicii integritatem spectant: uti juramentum calumniæ tam generale, quam speciale exigere, punire advocatos calumniantes, mendacia, fraudes, contumaciam compescere: 2) quæ omissa judicium reddunt nullum, uti est legitimatio ad caussam: quæ ad publicam quietem, 4) et ad lites breviores reddendas pertinent. Item 5) plura in caussis piis, privilegiatis, aut personarum miserabilium, et eorum, qui judicum officium implorare nesciunt, aut nequeunt, a judice suppleri debent.

§. 740.

Potestas judicis ordinarii his fere absolvitur: potest 1) in quocunque territorii sui loco judicia exercere; personas, si merita exposcant, punire, omniaque ad officium judicis pertinentia (§. 739) exequi; 2) caussis discutiendis, quos velit, modo capaces sint, judices præficere, seu jurisdictionem delegare, * 3) sibi, licet superiorem agnoscat, jus primæ instantiæ vindicare.

*) Pontifex nisi in dignitate ecclesiastica constitutos, vel Canonicos cathedrales (§. 297.) delegare non

con-

consuevit (m); neque caussæ ecclesiasticæ nisi clericis rite committuntur (n). Ceterum aut integræ caussæ cognitio etiam cum facultate exequendi, aut pars caussæ, sive sola ejus executio delegari potest (o).

§. 741.

Potestas judicis delegati generatim ex natura caussæ delegatæ, et rescripto delegatorio æstimanda est; unde 1) delegatus hoc rescripto exhibito delegationis suæ fidem facere (p) debebit. 2) *Delegati a Pontifice* potestas, quam ceterorum, est amplior; quare is velut ordinarius, immo in caussa delegata ordinario censetur major: potest quippe partes citare, contumaces compescere, ordinarium ad sententiam suam exequendam obligare, et eo renuente ipse eam effectui mancipare; (q) jurisdictionem suam aliis subdelegare (r) etc. 3) *Delegatus* ad *universitatem caussarum* haud quidem caussas universas, aliquas tamen ex iis ex recepta praxi potest subdelegare, *) nisi speciatim prohibeatur, aut personæ industria singulariter esset delecta. 4) *Delegatus* ad *certam caussam* subdelegandi facultate, nisi hæc ipsi expresse, taciteve sit concessa, non gaudet. 5) Si *pluribus indefinite* delegata sit caussa,

(m) C. 11. de rescript. in 6. Cf. Trid. sess. 25. c. 10. de reform.
(n) C. 2. de judic. et c. 12 et 18 de foro compet.
(o) C. 24 de rescript. c. 7 26 de offic. jud. deleg.
(p) C. 31 de offic. jud. deleg. c. 24. de rescript.
(q) C. 5. 7. 28. de offic. jud. delegat.
(r) C. 27 et 28. de offic. judic. deleg.

sa, iis conjunctim sumtis commissa censetur, ideoque alter sine altero in caussa procedere nequit: sin: processus est nullus, neque etiam, si alii deinceps approbent, convalescit. (s) Unde si caussa *duobus* committitur, sententia unius non tenet, (t) et si caussa simpliciter delegetur *tribus*, duo sine subdelegatione tertii procedere vetantur: (u) et uno delegato rebus humanis forte exemto eorum exspirat officium: (x) 6) quodsi caussa pluribus commissa sit *in solidum* vel per clausulam alternativam vel conditionalem e. g. *isti vel illi; aut si non omnes, duo, unusve* (samt, und sonders) *procedant;* in casu primo alterum præveniens, in secundo, si aliqui nolint, nequeantve, unus, aut ceteri caussam agitabunt; et hos inter vota majora in regula rem conficient (y).

*) Neque *Cooperatores* Parochorum vices suas, neque *Religiosos* facultates suas a Pontifice sibi concessas subdelegare posse, Doctores monent; eoquod illis solum potestas delegata competat; his vero privilegia non sint concessa ratione officii, aut dignitatis; sed præcise ceu certi ordinis membris. *Wolg. Schmidt Inst. J. E. L.* 4. *tit.* 3. §. 13. *Pirrhing j. e. tit. de off judic. deleg. n.* 25. *Layman Theol. moral. L.* 5. *Tract.* 6. *c.* 10. *n.* 14.

§. 742.

(s) C. 16. et 21. eod. tit. et L. 39. Digest. de re jud. et Reg. juris. c. 18. in 6.
(t) C. 26. de offic. jud. deleg.
(u) C. 6. 22. 30. eod. tit.
(x) C. 42. eod. tit.
(y) C. 84. eod. tit. et c. 8. eod. tit. in 6.

§. 742.

Denique *potestas* judicis *delegati* varia ratione *exspirat*, 1) *morte delegantis re adhuc integra* (§. 735. not. 2.): * 2) *morte delegati*, nisi delegatio sit *realis*, seu intuitu dignitatis, non personæ facta; (z) (§ 735. n.) 3) *revocatione* mandati: ** 4) negotio finito vel caussa perfecta, si sit delegatio specialis: item 5) elapso, ad quod erat restricta, tempore (a) etc.

*) Gesta a delegato mortem delegantis ignorante adhuc valida fore, etsi mors illius re adhuc integra evenerit, sunt, qui affirmant. At vero quum jus aperte pronuntiet, jurisdictionem delegati per mortem delegantis exspirare (b), nec mortis ignorantia jurisdictionem, quæ jam cesserat, possit tribuere, nec, quæ nulla sunt confirmare; ejus generis gesta invalida habenda esse, vero est similius.

**) Revocatio mandati in arbitrio est delegantis, non autem subdelegantis, nisi a) res adhuc sit integra, aut nisi b) sibi jus revocandi reservaverit, vel partem tantum jurisdictionis delegaverit (c).

§. 743.

Judex discutit caussam inter *Actorem*, qui in jus vocat, seu *agit*, et *Reum*, qui in judicio conventur. (§. 734.) Possunt autem I. *agere* 1) vulgo *omnes*, qui natura aut lege speciali non prohibentur, etiam 2) *minores*, modo decimum quartum ætatis annum egressi, in

(z) C. 14. 30. 42. de offic. judic. deleg.
(a) C. 4. 24 de offic. jud. deleg.
(b) C. 30. de offic. et pot. judic. deleg. c. 36. de Præbend.
(c) C. 28. §. 2. et c. 37. de officio jud. delegat. et c. 6. et 7. eod. tit. in 6.

caussis ecclesiasticis, e. g. in caussis matrimonium, beneficia etc. concernentibus: (d) item 3) Prælati etiam sine consensu Capituli, nisi forte caussa valde ardua, et magnarum sit expensarum; aut jus singulare obstet (e). Jure tamen canonico *ab agendo* removentur per judicem *excommunicati* a) non tolerati; ope saltem exceptionis etiam *tolerati*, præterquam in caussa excommunicationis suæ et appellationis in eadem (f). II. *Conveniri* possunt communiter 1) omnes etiam excommunicati, ne ex peccato commodum reportare videantur: 2) *minores* quoque sicut agere in caussis ecclesiasticis, ita et conventi se defendere possunt; g) 3) *fœminæ*, nisi in caussis jure expressis, ut invitæ per se ipsas in judicio stent, jure canonico compelli nequeunt. (h).

§. 744.

Præter Actorem et Reum in judicio sæpe adesse solent *Advocati*, qui pro aliis in judicio *postulant*, seu jura aliis suggerunt, et ad controversæ caussæ disceptationem pertinentia exponunt. *) I, Ad Advocatorum antea *dotes* et *officia* quod attinet: *Advocati* 1) viri sint jurium periti, 2) probique et diligentes: 3) caussas, nisi saltem probabiles et ini-

(d) C. ult. de judic. in 6. et c. 14. de restit. spoliat.
(e) C. 21 de rescript.
(f) C. 5. de excepti.
(g) C. 7. de judiciis.
(h) C. 2. ac ult. de judic. in 6.

nitis prius de caussæ probabilitate clientibus, non suscipiant, 4) diligenter, sincere, absque dolo, tricis, collusionibus, machinis caussas defendant, ambages præcidant, honorarium laborem et operam excedens non exigant: nec aliis rabularum malis artibus munus suum dehonestent. (i) II. *Advocati munere* perfungi seu postulare jure canonico vetantur 1) hæretici, ** 2) excommunicati, 3) infames, 4) aliique ad id officium inepti (k). 5) *Clerici* coram judice laico, et in negotiis secularibus (l) nonnisi pro se, ecclesia sua, et personis miserabilibus, 6) *Monachi* item et *Canonici regulares* vulgo duntaxat pro monasterio suo et ex speciali Superioris mandato postulare possunt (m). 7) Clericus pro extraneis postulans contra ecclesiam suam, beneficio, quod in illa possidet, est spoliandus (n).

*) Quidquid Advocatus cliente vel præsente, vel ea, quæ scripto exhibentur, subscribente in judicio proponit, perinde, ac si ab ipso cliente proferatur, haberi solet. Permittitur tamen admissum fors errorem eodem die revocare (o). Ceterum etsi caussam suam quilibet per Advocatum proponere regulariter queat; immo quandoque partibus Advoca-

(i) Vid. van Espen J. eccl. univ. P. III. tit. 6. c. 2.
(k) C. 13. §. 5 de hæreticis c. 8. sentent. excommun. in 6.
(l) C. 1. et 3. de postulando.
(m) C. 2. hoc tit.
(n) C. 3. eod. tit. Neller diss. de Postulando §. 2. n. 2.
(o) C. 26. de Appellat. et c. 20. de caussis.

vocati ex officio sint dandi (p): partes tamen per se ipsas comparere tenentur 1) in caussis criminalibus, quoad responsionem ad articulos, ad confrontationem, nisi civiliter agantur (q): 2) in matrimonialibus saltem in primo termino: 3) alicubi in juramento calumniæ (r) præstando: vel 4) ubi alias id necessitas exegerit. *Cf. Neller diss. de Postulando. Trevir.* 1757.

**) Quod ipsum tamen in Germania nec ad toleratæ in Imperio Religionis consortes, nec ad alios, qui publice tolerantur, applicari posse, patet ex *Art. V. Pacis Westph.* §. 35.

§. 745.

Procurator (Anwalt, Gewalthaber, Bevollmächtigter) dicitur, qui aliena negotia mandato domini intra vel extra judicium, administrat. Inde Procurator alius est judicialis, alius extrajudicialis, atque pro eo, ac genus quoddam aut certa species negotiorum ei demandatur, *generalis* vel *specialis* dicitur: (s) solet item Procurator quandoque constitui per mandatum munitum clausula: *cum libera*, sive faciendi ea omnia, quæ ipse Dominus potest. Nos heic de *Procuratore* maxime *judiciali* loquimur. Porro I. generatim *Procurator* 1) omnia ea et sola jure agit, quæ ei mandatum, observantia, aut justa præsumptio tribuit, 2) hacque ratione ab ipso gesta in judicio rata sunt; (t) 3) lite contestata alium substituere pro se Procuratorem,

(p) C. 1. de judic. et c. 5. de Procuratorib. c. 40. Caus. 2. q. 6. c. 15. de accusat.

(r) C. 3. de jurament. calumn.

(s) C. 1. de Procuratorib.

(t) C. 1. et 14. eod. tit.

rem, (u) et 4) si instructus sit mandato munito clausula: *cum libera*, fere ea omnia, quæ ipse dominus, agere potest. 5) Si plures sint designati, idem quod de pluribus delegatis (§. 741. n. 5.) diximus, tenendum. II. *Cessat* vero *Procuratoris munus* 1) morte domini, si lis nondum est contestata: 2) mandati revocatione expressa, vel tacita: uti si alius Procurator constituatur, vel ipse Principalis caussam in judicio tractet: 3) Procuratoris renuntiatione ob justam caussam facta (x). Unde factum Procuratoris *revocati*, aut *falsi*, i. e. mandato vero aut præsumto destituti, noxæ haud erit domino. (z)

*) Procuratores I. *constituere* possunt 1) omnes, qui et proprio nomine litigare seu agere (§. 743.) queunt, 2) excommunicati ad se defendendum, non vero ad agendum (a); II. *constitui* Procuratores possunt omnes, qui speciali ratione non prohibentur. Jure canonico a Procuratoris officio repelluntur 1) minorennis, seu viginti quinque annis minor (b), 2) infamis (c), 3) excommunicatus (d), 4) Clericus, et 5) Religiosus, nisi in caussis mox (§. præced.) recitatis (e).

(u) C. 1. eod. tit. in 6.
(x) C. 2. 3. 8. hoc tit. in 6. et clem. 4. eod. tit. c. 33. de Rescriptis.
(z) C. 3. 4. 14. de Procurat. c. 1. 2. ibid. in 6.
(a) C. ult. de Procurat.
(b) C. 5. 2. §. de Procurat. in 6.
(c) C. 1. caus. 3. q. 7.
(d) C. 7. de Probat.
(e) Clement. 3. de Procurat.

§. 746.

Procurator ad caussas universitatis agendas constitutus *Syndicus* audit 1) *perpetuus*, *publicus universalis*, qui ad omnes omnino caussas constitutus officium publicum gerit; 2) *temporalis privatusque*, qui ad unam alteramve caussam speciali mandato, quod *syndicatum* dicunt, constituitur. 3) Potest vero a probata quavis universitate vel extraneus, vel ex gremio ad caussas agendas (etiam ad spirituales *laicus*) immo debet (f) constitui ad caussas judiciales, nisi sint tales, quas ecclesiæ Prælato vi beneficii aut prælaturæ administrare integrum est. 4) Constituitur autem a Prælato cum consensu majoris partis Capituli: 5) attamen ita constitutus nullum actum majoris momenti, nisi speciali mandato instructus, peragere poterit; cetera cum Procuratoribus aliis fere communia habet. (g) *)

*) Discrimina tamen Procuratorem inter et Syndicum hæc proferuntur: 1) quod Procurator *libere*, Syndicus *necessario* constituatur; 2) et ille quidem per solam *nominationem*, hic per *electionem* et suffragia majora Capituli: 3) quod Syndici officium vulgo sit *publicum*, Procuratoris *privatum* etc. 4) quod Syndici officium nec a) morte constituentium exspiret; quia communitas nunquam moritur; nec b) *finita instantia* cesset; eoquod generaliter ad omnes lites, adeoque ad appellationem quoque sit constitutus etc. Cf. *Schrodt Inst. J. E. P.* 2. *tit.* 39. §. 23. *seq.*

**) *Ad-*

(f) C. un. de Syndico.
(g) C. 7. et 9. de Procurat.

**) *Adsessores*, *Notarii*, *Tabelliones* etc. sint viri idonei, honesti, probi, officiique sui, quod ex cujusvis Dicasterii ordine maxime determinatur, partes curate, fideliterque exequantur.

ARTICULUS III.

De his, quæ fiunt ante Contestationem, seu ingressum litis, de Libello, Citatione, Contumacia, de Exceptionibus, et de ipsa Contestatione litis.

§. 747.

Ante omnia Auctor judici exponere debet facti speciem, fundamentum agendi, suumque desiderium. Imploratio judicis, qua facti species, fundamentum agendi, petitio Actoris continetur, I. *Libellus* audit, a) *scriptus*, et solennis, si scripto; b) *nuncupativus* et minus solennis, si viva voce hæc exponantur; c) *conventionalis*, quem primo Actor, d) *reconventionalis*, quem reus Actorem reconveniens offert. II. *Libellus* sit *brevis*, *clarus*, *aptus*, *certus*, *contineatque* 1) *nomen* judicis, Actoris, rei, 2) *caussam* petendi, et quidem, si actio est *realis*, seu proxime rem ipsam insequitur, saltem caussam *proximam*, id est, dominium sibi competens, si actio sit *personalis*, quæ proxime in personam Actoris obligatam tendit, caussam exprimat *remotam*, seu titulum, ex quo nata est obligatio; * 3) *narrationem facti* brevem et perspicuam; 4) *petitum* ex facto, et caussa descendens. III. *Declarari* libellus potest quovis judicii tempore

pore usque ad sententiam; IV. *mutari* libellus quoad substantiam ante litis quidem contestationem, non deinceps potest, nisi reus indemnis servetur. (a)

*) In actione *personali*, eoquod res ex pluribus titulis debita esse possit, caussa etiam *remota* exprimenda est, ut sciat reus, num litigare expediat, necne. Atvero in Germania in actione etiam *reali* caussam remotam esse exprimendam, jurisconsulti monent.

**) Libello ex stylo passim recepto adjici plures solent *clausulæ*: e. g. a) *clausula salutaris*, ut vocant, qua *nobile* judicis *officium* imploratur: b) qua *refusio expensarum* litis petitur: c) res cum *pertinentiis* omnibus exigitur: d) calumniandi suspicio removetur etc. Has tamen plerasque ceu inutiles, aut supervacaneas tuto omitti posse Jurisconsulti asserunt.

§. 748.

Libello oblato sequitur *Citatio*, quæ est denunſiatio jussu vel decreto judicis facta, ut quis actus in judicio expediendi caussa in foro compareat. I. *Citatio* est vel 1) *realis* vel *verbalis*, prout vel per personæ, vel rerum ejus apprehensionem, quam arrestum vocant, *) vel viva voce tantum aut scripto fit. 2) *Verbalis* vel est *privata* v. g. per nuntium, apparitorem, litteras, vel *publica* et *edictalis* per præconem, aut edictum publicum facta. 3) Citatio erit vel *simplex* vel peremtoria, pro eo, ac ulteriorem dilationem patitur, aut sub pœna contumaciæ et præclusi dilationem non patitur.

(a) *L.* 23. *Digest.* de judic. arg. ex c. 15. de judic. *et c.* 3. de sentent. et re judic. in 6.

titur. Citatio 4) vel *generalis* est vel *specialis*, tum a) ratione *judicii*, quatenus vel ad *totam* caussam, vel ad *specialem* judicii actum fit, tum b) ratione *personarum*, quatenus aut generatim omnes, quorum interest, aut determinatæ solum personæ in jus vocantur: 5) *directa* seu immediata, qua judex vi suæ jurisdictionis quemquam in jus vocat: mediata et *subsidiaria*, qua ab alio judice reum sibi sisti petit. II. *Citatio*, ut sit legitima, *contineat*, 1) *Nomina* judicis, actoris, rei, 2) *caussam* citationis, (b) ** 3) *locum* judicii tutum, et honestum, 4) *diem* termini justum, eumque non feriatum. III. Citatio debet *insinuari* 1) intra citantis territorium, 2) die non feriato, 3) in faciem rei, vel si absit, ad ædes. 4) Edictalis citatio tunc demum fieri debet, (c) siquis alia ratione citari nequit: et quidem in locis vicinis, aut ex quibus verosimiliter ad notitiam citandi pervenire possit. IV. *Effectus citationis* est 1) quod citatum ad comparendum obliget; 2) quod insinuata præventionem inducat; 3) quod per eam lis pendere incipiat; *** 4) quod per eam judicis delegati jurisdictio fiat firma, (§. 738. n. 2) et 5) interrumpatur præscriptio.

*) Quum

(b) Clem. 2. ut lite pendente c. 2. de dilationib. Cf. Ordinat. Camer. P. 3. tit. 13.

(c) C. 3. de dolo et contumacia. Clem. un de foro compet.

(d) C. 19. de foro competent. et clement. ut lite pendente.

*) Quum arresto non quadret definitio citationis eaque in criminalibus, vel adversus suspectos d fuga, vel contra contumaces duntaxat locum h beat; plures putant, illam non tam citationem esse, quam remedium, quo utendum, ne citat effectu careat. Cf. *Heineccii Elem. Jur. civ. s cund. ord. Pandect. P. 1.* §. 283.

**) In Bavaria laici, a) *litis consortes*, ad judic ecclesiastica expressa citationis caussa immediat alii vero b) *litis non participes* e. g. testes, p requisitorias tantum litteras seu compassus, v vocant, expressa citationis caussa duntaxat gen rali, sunt citandi. Legitime autem citati non s lum a judice laico adesse non prohibeantur, s etiam ad comparendum compellantur (e).

***) Lite pendente, seu durante, nil ab una litiga tium parte in alterius præjudicium circa rem tigiosam fieri valide potest (f). Unde salva deb esse possessio, nisi forte *sequestratio* rei *necess ria* aut *voluntaria* fiat, id est, res durante li aut per judicis sententiam ex gravi et probata jure caussa (g) aut ex libero partium consen alteri custodienda committatur. Solet autem n rerum solum, sed jurium quoque, immo et p sonarum, ut earum securitati consulatur seque tratio decerni. C. 14. *de sponsal.*

****) Citationi affinis est *novi operis Nunciatio*, qua quum jus canonicum itidem agat, quæd heic admonuisse non erit inopportunum. Est a tem *Nunciatio novi operis* legitima prohibitio qui contra pristinam formam opus novum facere c natur, facta, eum in finem, ut non pergat, d nec vel caussa plene cognita, vel satisdatum sit. P

ro

(e) Elect. rescriptum circulare. 1756. 30. Aug. co formiter concordatis præviis A. 1583. c. 3.

(f) C. 1. et fin. Ne lite pendente.

(g) C. 1. et 3. de sequestrat. possess. c. 14 de spo *sal. c.* 8. et 13. de Restit. spoliat.

ro 1) Nuntiatio hæc fit vel a) *privatim*, sive olim aversa manu, aut injecto lapillo, quæ *realis* dicitur; vel b) *publice* per decretum judicis, qui unus opus novum nuntiandi modus in Bavaria obtinet: 2) fieri debet, antequam opus sit perfectum. 3) Possunt vero novum opus nunciare, quorum ex jure in re interest e. g. Domini, bonæ fidei possessores, Emphyteutæ etc. 4) Sufficit eam nunciationem fieri sive ædificanti, sive, qui ejus nomine adsunt, fabris et opificibus. 5) Facta nunciatione tenetur ædificans ab opere inchoato abstinere; atque, si nihilominus perrexerit, debet novum opus demoliri, antequam a judice audiatur. 6) Immo nuncians potest propria auctoritate destruere, quod in suo fundo post nunciationem ædificatum est. Attamen, nisi jus ipsius liquidum sit, cautionem legitimam admittere tenetur. Ceterum a Protestantibus novum opus nunciari non posse, si Princeps in territorio suo protestanticæ Religioni addicto, templum Catholicis ædificare velit, ex alibi (§. 387 et 673. not. 2) dictis liquidum est. Cf. *Heineccii Element. Jur. civ. secund. ord. Pandect. P. VI. L.* 39. §. 93. *seqq. Bæckhn comm. in J. can. L. V. tit.* 32. *Cod. civ. Bav. P.* 4. c. 16. §. 9.

§. 749.

Qui legitimæ citationi aut aliis justis judicis mandatis præfracte non obedit, *Contumaciam* committere dicitur, *dolosam*, si dolus, *culposam*, si culpa, *veram*, si reapse culpa dolusve intercessit, *præsumtam*, si intercessisse præsumitur. *) Porro I. *contumacia*, quæ demonstratis impedimentis plane purgatur, nil pænæ habet; qui dolum quidem, non tamen culpam justa excusatione removerit, expensas saltem feret. II. *Reus* contumax; 1) *ante litem* con-

testatam variis modis multatur, et intentatis gravioribus pœnis, censurisque ecclesiasticis (h) comparere compellitur, decreta etiam quandoque immissione (h) actoris in rei bona. Hæc tamen immissio in camera imperiali (i) et jure patrio (k) abrogata est, nec, ubi de beneficio obtinendo agitur, (l) locum habet. 2) *Post litem contestatam* in actoris erit arbitrio aut iisdem remediis uti, aut suscepta probatione judicis exspectare sententiam. III. *Actor contumax* 1) *ante litem contestatam* reo petente, nisi refusis expensis, et præstita cautione de lite prosequenda, ad agendum rursus non admittitur; (m) 2) post *litem contestatam* præfixo peremtorio termino reus negativæ probationem potest in se suscipere, quo facto judex, aut pro hoc ferat sententiam, aut eum, si in ea minus felix fuerit, actore in expensas condemnato (n) instantia absolvat.

*) Si in *contumacem* procedere velit judex, regulariter facienda est citatio *tribus edictis*, vel *uno peremtorio*, tantum fere temporis, quantum alias ad tria edicta requiritur, continente. (o)

§. 750.

(h) C. 1. et 2. de eo, qui mittitur in possessionem etc. c. 1. ut lite non contestata non procedatur etc.
(i) Recess. Imp. de An. 1654. §. 36.
(k) Cod. Jur. Bav. c. 5. §. 10.
(l) C. un. de eo, qui mittitur in possess. in 6.
(m) C. 1. de dolo et contumac.
(n) C. 3. eod. tit. in 6.
(o) C. 5. de in integr. Restit. c. 6. de dolo et contum. c. 1. de dol. et contum.

§. 750.

Reus conventus, si quas habet, *Exceptiones* allegationes rationum, quibus se adversus ac- onem motam defendat, eamque vel excludat, el differat proponere potest. I. *Exceptiones* ero 1) *dilatoriæ* sunt, quibus solum impugna- ır judicium, quo actio proponitur, atque deo jus actoris non perimitur, sed ad tempus ıspenditur; *peremtoriæ*, quibus impugnatur ıs ipsum in judicium deductum, et ipsa ac- o perimitur. 2) *Dilatoriæ* rursus sunt aut fori *declinatoriæ*, quibus judicium ratione ri (e. g. ratione judicis incompetentis, in- ıbilis, suspecti, præventionis, primæ instan- æ, caussæ connexæ, non dividendæ etc.) aut *dilatoriæ simpliciter*, quibus illud ex alia tione (e. g. ratione litigantium, modi pro- ssus, libelli, procuratoris etc.) impugna- r. 3) *Peremtoriæ* vel sunt a) *litis ingres- m impedientes*, vel b) *peremtoriæ* stricte dictæ, pro eo, ac litis contestationem præ- diunt, vel non præpediunt. *) Porro II. xceptiones 1) *dilatoriæ*, et *peremtoriæ* litis gressum *impedientes* ante litem contestatam, die intra terminum a judice præfixum, oponendæ sunt, et probandæ: (p) imo 1) *eremtoriæ* etiam stricte sic dictæ jure germa- co (q) eventuali litis contestationi debent an-

(p) C. 20. de sentent. et re judic. c. 4. de exceptionib.

(q) Per Recess. Imp. A. 1570. §. 89. et Rec. J. A. 1654. §. 37. 40. Item c. 4. de Except.

annecti, alioqui omissæ in progressu jud non admittuntur. Quod quidem quum ad tes decurtandas faciat, in foris etiam eccl asticis germanicis servari oportet. **) III. exceptione rei peremtoria simplici nec conf sio intentionis actoris recte infertur, (r) litis contestatio, (s) seu litis susceptæ prof sio, de qua paullo post. III. Reus a) *p bata exceptione litis ingressum impediente* actione erit absolvendus: b) eadem vero continenti *non probata* ad litem contestand obligatus manet: poterit nihilominus exc tiones nondum satis probatas litis contestat ni annectere. Magno enim litigantium co modo jus germanicum (t) decernit, ut r *salvis exceptionibus omnibus* litem in primo t mino eventualiter contestetur, sub pœna *e pensarum termini* restituendarum, si ad lit contestandam deinceps obstrictus fuerit jud catus.

*) Ad exceptiones *peremtorias litis ingressum im dientes* pertinent exceptiones e. g. *rei judicat transactionis*, litis per *jusjurandum finitæ*, ut q bus litem jam sublatam esse demonstratur. (u)

**) Exceptiones tamen *fori declinatorias* seorsim re proponere potest. Item post litis contestation proponi possunt exceptiones a), post litem cont statam

---

(r) Regul. Jur. 63. in 6. et c. 6. de Exceptioni. Objectiones solvit Schrodt Inst. J. C. P. II. 448. sqq.

(s) C. 2. de litis contest. in 6. vid. Schrodt l. §. 134.

(t) Cit. Recess. Imp de A. 1654. §. 37. 40.

(u) C. 1. et 2. de litis contestat. in 6.

statam natæ, aut cognitæ b), nullitatem insanabilem processui adferentes, (x) c) exceptio loci non tuti. (y) Demum d) exceptio excommunicationis in ipsius odium omni tempore poterit opponi. (z).

§. 751.

Inter exceptiones peremtorias memoranda ›ræcipue *præscriptio*, quæ est modus rem, aut us acquirendi, vel obligationem, aut onus ollendi per possessionem legitimam tempore ›gibus definito continuatam. Est porro præcriptio alia 1) *acquisitiva*, qua res vel jus an- non habitum præscribenti acquiritur; alia *rivativa* vel *extinctiva*, qua jus alterius pe- imitur; 2) *immemorialis*, cujus initium ho- inum viventium memoriam excedit; * 3) *rdinaria*, seu *longi temporis*, quæ possessione iennali in rebus mobilibus, in ceteris decenali inter præsentes, vicennali inter absentes ossessione completur; 4) *extraordinaria* seu *ongissimi temporis*, quæ triginta aut quadra- inta, aliquando et centum annorum posses- one firmatur. Equidem de præscriptionis peciebus per decursum jam sæpius facta est ientio; at heic generatim de præscriptionis *requisitis*. II. *effectibus*. III. *contrariis* quæ- am principia subnectimus.

*) Præscriptionis immemorialis probandæ testes jure Bavarico quinquaginta quatuor annos sint nati, qui se per quadraginta annos nec de possessionis initio

(x) C. 4. 12. de except. c. 31. de testib.
(y) C. 47. de Appellat.
(z) C. 1. de exceptionib. in 6. et Clem. un. eod. tit.

initio quidpiam nosse, neque ab aliis audivisse testentur. (a) Concilium Trident. (b) immemorialem probationem non agnoscit, nisi præsentationes non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio fuerint cum effectu continuatæ.

Præscriptionis I. *Requisita* fere sunt 1) res *apta* præscribi, * 2) *bona fides*, (c) seu conscientia ab injustitiæ peccato illæsa, toto possessionis tempore nullo practico, quod prudenti ratione sublatum non sit, dubio interrupta; ** (d) 3) *justus titulus* (factum ad acquirendum dominium vulgo sufficiens) vel a) *coloratus*, qui licet defectu occulto laboret; idoneus tamen creditur, vel b) *existimatus*, qui censetur intervenisse, licet reapse haud intervenerit, vel c) *præsumtus*, quem jura ex longissima possessione intervenisse præsumunt; *** 4) *Possessio* a) vere talis in corporalibus, in reliquis b) *quasi talis*, eaque haud *interrupta*, nec a) *naturaliter* amissione possessionis, nec b) *civiliter* interpellatione intra vel extrajudiciali, quæ pro interruptione per leges habetur: (e) 5) *tempus legibus* definitum, de quo mox (§. præc. n. 3.) et per decursum sæpius diximus. ****)

*) Sci-

(a) Cod. civ. Bav. P. II. c. 4 §. 9.
(b) Sess. XXV. de Reform. c. 9.
(c) C. ult. Præscriptionib.
(d) Vid. Bœckhn appendic. ad J. Can. Diss. III. Art. 1 n. 2 — 7. et Art. II. n. 1. — 8.
(e) Cod. civ. Bav. P. 2. c. 4. §. 11. vid. Annot. in h. l.

*) Scilicet 1) tum res a) *in se*, tum ab *hac persona* debent posse *præscribi*. Possunt vero 2) *præscribere* omnes, qui jus in certas res acquirere vel ab obligatione liberari queunt. 3) *Præscribi* seu *acquisitiva* præscriptione obtineri possunt res omnes, nisi speciatim exceptæ; excipiuntur autem a) quæ sunt *extra commercium*, velut homo liber, res juris divini, res sacræ, sanctæ, religiosæ, quamdiu tales manent, nisi ad communitates ecclesiasticas transeant: rursus præscribi nequeunt b) res *vitiosæ*, (f) uti furtivæ, vi aut mala fide possessæ. Atque hæ quidem a malæ fidei possessore nunquam, a bonæ fidei possessore autem tempore tantum extraordinario præscribi queunt. Item c) a *Laicis*, qui horum jurium capaces non sunt, acquisitiva præscriptione nunquam obtineri poterunt *jurisdictio ecclesiastica, jura spiritualia:* (g) 4) *Extinctiva præscriptione* nequit præscribi obedientiæ, Reverentiæ, visitationi canonicæ etc. (h) Demum 5) jure canonico a præscriptione immunes censentur limites diœcesium, parochiarum, si scilicet de iis liquet; secus si incerti sint. C. 4 *seqq. causs.* 16. *q.* 3. *c.* 2. *ibi q.* 4.

**) Jure civili romano *bona fides* initio duntaxat usucapionis erat necessaria, nec secuta mala fides, licet fructuum acquisitionem impediverit, usucapionem interrupit. (i) Id tamen correctum voluit Jus canonicum, quod tam in principio, quam in progressu bonam fidem necessariam esse decrevit. (k)

(f) C. 17. de judic c. 29. de Decimis.

(g) C 6 et 7. de Præscript. c. 2. et 6. de Judic. Cf. Pl. Boeckhn Diss. de Præscript. P. II. de jurib. Episcop præscribendis.

(h) C 4. 11. 12. 16. de Præscript.

(i) L. 48. §. 1. Dig. de acquir. rer. Domin. L. 44. §. 2. de usucap L. un. cod. de usucap. transformanda.

(k) C. ult. de Præscriptionib.

Quæ constitutio, etsi a quodam (l) vehementer impetita, in utroque tamen foro hodie recepta est. Ceterum 1) *bona fides* heic est dictamen conscientiæ, quo quis persuasus est, se nihil agere contra justitiam. 2) An in præscriptione extinctiva *scientia alieni juris*, seu debiti, quod ab altero non exigitur, inducat malam fidem, an potius jure alterius per temporis lapsum extincto, debitum ipsum extinguatur: inter Ictos non convenit (m). 3) Bona fides *in dubio* præsumitur, ac proin *mala* fides ab allegante *probari* (n) debet: 4) *mala fides* præscriptioni jam completæ superveniens eam validam relinquit. 5) Mala fides *compossessoris*, bonæ fidei possessori nil nocet; 5) *bona fides antecessoris* bonæ itidem fidei successori seu universali, seu particulari prodest, ut tempus antecessoris sui ad complendam præscriptionem computare possit: 7) *mala fides antecessoris* equidem impedit, quo minus sive universalis sive particularis bonæ fidei possessor illius tempus computare sibi queat; non tamen obstat, quo minus præscriptionem tempore consueto complere possit. Licet enim jus Romanum de successore universali qui eadem persona cum antecessore esse *fictione juris* existimatur, aliud statuat, (o) imo et a particulari successore rem immobilem ab antecessore mala fide possessam nonnisi triginta annis Domino nes-

---

(l) Coccenii in Exercit. curios. disput. 91. et 92. De finibus bonæ fidei in præscript. Jur. can. vid. P. Bœckhn. L. cit. Art. 1. n. 9. qui ejus argumenta refutat.

(m) Vid. Barthel Annot. ad J. C. P. Engel L. II. tit. 26. n. 10. Pl. Bœckhn L. c. Art. 2. n. 9 seqq. Schrodt Inst. J. C. P. II. tit. 26. §. 460. seqq.

(n) Arg. ex c. ult. de Præscript. Reg. Jur. 47. in 6.

(o) §. 12. Inst. de usucapi L. 11. Digest. de diver. temporalib. Præscriptionib.

nesciente præscribi posse decernat: (p) nihilominus et juri certe Bavarico et verosimilius juri etiam Canonico. Quod *fictam malam fidem* bonæ fidei successoris universalis ceu haud *peccaminosam* non adtendit, prior opinio magis consentanea est: *Cod. civ. Bav. P. 2. c. 14. n.* 10.

***) Ceterum 1) ad præscriptionem *ordinariam* sufficit titulus *coloratus*, aut *existimatus*, qui excusabili facti alieni errore nititur: 2) ad *extraordinariam*, ubi ipsum temporis spatium tituli loco est, sufficit *præsumtus*, donec titulus vitiosus probetur: nisi præscribere volenti jus commune, aut præsumtio adversetur, (q) quo in casu titulus erit probandus. 3) Ad præscriptionem *immemorialem* nullo opus est titulo, quin allegare quemdam sæpe consultum quidem erit.

****) Tempus præscriptionis uti supra (§. 751.) dictum 1) ratione *mobilium* est *triennium*. 2) ratione *immobilium* a) inter præsentes est decennium, b) inter absentes vicennium; contra *ecclesias* anni quadraginta (r) et contra *ecclesiam romanam* anni centum requiruntur. (s) Quod tempus aliqui ad mobilia etiam ecclesiarum præscribenda requirunt; eoquod Jus canonicum generatim nonnisi tanti temporis præscriptionem adversus ecclesiam admittat, imo id de rebus etiam *mobilibus* expresse jus civile (t) statuat. 4) Ad res *incorporales* præscribendas Jure Bavarico absque titulo triginta, cum titulo decem inter præsentes, viginti inter absentes anni requiruntur. *Cod. civ. Bav. P. 2. c. 4.* §. 8. Cf. Pl. *Böckhn Diss. VI. Præscript. de tempore Præscript.*

(p) Novell. 119. c. 7.
(q) C. 1. de Præscript. in 6.
(r) C. 4. 6. 8. de Præscript.
(s) C. 13. de Præscript. Novel. 131. c. 6.
(t) L. 23. Cod. de SS. Ecclesia.

§. 753.

Præscriptionis II. *effectus* præcipuus est, quod præscribentem pro foro utroque in dominio rei præscriptæ securum reddat; quam vim 1) ob bonum publicum (acuendam dominorum diligentiam, dominiorum certitudinem etc.) eidem potestas publica virtute alti dominii *potuit*, et, ut satis declarat, etiam *voluit* tribuere; 2) neque vero hunc finem, nisi pro foro utroque præscriptio valeret, efficaciter obtentura erat. *) *Effectus* singulares *præscriptionis immemorialis* sunt, quod 1) vim præsumti privilegii habeat, atque 2) ad eas quoque res se extendat, quæ nulla alia præsciptione, aut nonnisi speciali privilegio, et urgentissimis ex caussis adquiri alioqui queunt; 3) quod præscriptione generatim exclusa immemorialis haud exclusa censeatur.

*) Unde per perscriptionem obtenta ceu publica justaque potestate in se translata qui retinet, jure facit. Id enim, quod Novella IX. præscriptio *impium præsidium* dici videatur, nonnisi de præscriptione leg timis requisitis destituta, intelligi posse novellam illam perlegenti dubium esse nequit.

§. 754.

Præscriptionis III. *contraria* sunt, quæ 1) vel initio eam *impediunt*, ubi scilicet requisita (§. 572.) ad eam necessaria deficiunt, vel 2) *ad tempus suspendunt*, uti e. g. tempus belli, (u) pestis etc. * 3) cœptam *interrumpunt* e. g. superveniens mala fides, possessionis amissio, vel 4) completam *rescindunt*, uti in singu-

(u) C. 10. de Præscript.

singularibus casibus restitutio in integrum; quæ tamen vulgo, nec ex titulo ignorantiæ, nec jure Bavarico intuitu minorum, neque in præscriptione longissimi temporis, id est, quadraginta annorum intuitu ecclesiarum (x) et vix unquam in immemoriali locum habet.

*) Præscriptio itidem suspenditur 1) contra minorennes minorennitatis tempore, 2) contra ecclesias tempore, aut quo Rectoribus viduatæ sunt, aut, ut plures statuunt, quo Prælatus excommunicatus, vel suspensus est, vel idem qui ecclesiæ damna intulit, vivit. *C.* 4. *et* 15. *de Præscript. vid. Pl. Bœckhn Diss. VII. De iis, quæ impediant præscriptionem.*

§. 755.

Reus exceptionibus litis ingressum impedientibus destitutus, dum intentioni actoris declaratæ contradicens animum litigandi prodit, *litem contestari* dicitur. Est itaque *litis contestatio* responsio rei ad petitionem actoris, animo cum actore litigandi facta, eaque vel 1) *vera*, si vere fiat a reo, vel *ficta*, quando ob contumaciam rei lis pro contestata habetur; 2) *generalis*, si reus narratis ab actore generatim contradicit, *specialis*, si quidem ad singula capita singillatim respondet; 3) *pura*, vel *eventualis*, prout vel simpliciter, vel adjecta conditione fit.

 *) Spe-

(x) Arg. ex c. 4. 8. eod. tit. et c. 6. 2. Caus. 16. q. 4.

*) Specialem equidem jus Germanicum (y) non item canonicum (z) requirit.

§. 756.

Litis contestatio ut sit legitima I. *requiritur* 1) ut animus litigandi per verba non ambigua nec obscura significetur; 2) fiat coram judice competente; 3) vel a reo ipso, vel ejus nomine a procuratore etc. II. ea non est *necessaria* 1) in caussis adpellationis, si in prima instantia jam facta sit; 2) in caussis notoriis; 3) in caussis, ubi judex *ex officio nobili* procedit. III. *Effectus* litis contestatæ præcipui sunt 1) ex *parte judicis* a) ut proroget jurisdictionem judicis, modo non plane ad judicandam caussam incapacis: (738.) b) ut, quum per litis contestationem partes in caussam ab hoc judice decidendam consenserint, post eam recusatio judicis, (§. 736. n. 2) nisi ex nova caussa locum non habeat: (a) Ex *parte actoris* a) ut mutationem libelli impediat, (§. 747.) b) ut actio reddatur perpetua et in hæredes transeat: 3) Ex *parte Rei*, a) ut regulariter occludat viam exceptionibus dilatoriis, et fori declinatoriis, (§. 750.) b) possessionem bonæ fidei interrumpat. (752. 4) Ex parte *utriusque litigantis*, ut litigantes ad prosequendam hanc instantiam, et comparendum in judicio obliget. etc.

*) Litis

(y) Recess. J. N. de 1654. §. 37. Cf. Hahn Diss. de Necessitate et utilitate litis contestationis specialis ejusque prærogativis. Mogun. 1747.

(z) C. 6. de juram. calum.

(a) *L. 16. Cod.* de judic.

*) Litis contestatio ita necessaria habetur, ut antequam *eventualis* saltem fiat, 1) nec testes recipi, nec 2) alia probatio admitti queat, (b) nisi aut a) natura caussæ, e. g. ob pericula animarum in caussis matrimonialibus, aut provisionis Prælaturæ etc. aut b) periculum amittendæ probationis aliud exigat, quo casu examini testium *ad perpetuam rei memoriam* (c) locus erit. 3) Attamen ejusmodi examen testium extraordinarium actori difficilius longe, quam Reo conceditur. Cf. *Schrodt Inst. Jur. Can. P. II. tit.* 6. §. 148. *seqq.*

ARTICULUS IV.

De his, quæ post litis contestationem fiunt, de Probationibus per Confessionem, instrumenta' Testes, Juramenta, de Dilationibus etc.

§. 757.

Lite contestata descenditur ad probationem. *Probatio* autem est actus, quo judici per argumenta idonea de re aut facto dubio vel controverso fit fides. *Substantialia probationis* sunt, quæ ex natura, et ex essentia probationis intelliguntur, *solennia* ejus sunt, quæ a lege addita sunt ad efficiendam probationem exactiorem. Est igitur probatio 1) alia a) *ordinaria* et solennis, in qua tam substantialia, quam Solennia servantur: alia b) *summaria*, in qua substantialia servare sufficit. * 2) Probatio est vel a) *plena*, quæ fit per ea argumenta, quæ secundum

(b) C. 5. ut lite non contestata.

(c) Vid. Diss. de examine testium ad perpetuam rei memoriam. Heidelb. 1776.

cundum leges ad facti veritatem evincendam sufficiunt: sin! erit b) *non plena*. Hæc que rursus vel *semiplena*, vel *major*, vel *minor*, quam semiplena esse poterit. (a) **)

*) Probatio *ordinaria* in judicio ordinario exigitur, *summaria* admittitur tum in judicio summario, tum in caussis in ordinario judicio *incidentibus*, quæ caussæ principali præjudicium non inferunt.

**) Ita e. g. Probationem a) *semiplena majorem*, si priori accedat testis alter, sed non omni exceptione major: c) *semiplena minorem* unus testis vel plures etiam haud omni exceptione majores efficere censentur. *Cf. Stryck Diss. de semiplen. probat. exist.*

§. 758.

De Probationibus hæc tenenda axiomata:

I. Probatio ceu actus judicialis nonnisi in *judicio* fieri potest:

II. Probandum autem est factum *dubium* et controversum, et

III. Quivis quidem factum, cui suam intentionem superstruit, probare tenetur:

IV. Finis probationis est, ut fides fiat judici.

Ex I. consequitur, quod probatio fieri debeat 1) *lite contestata*, et *ante sententiam*, nisi a) forte probationi *ad perpetuam rei memoriam* (§. 756. not.) locus sit, et b) in criminalibus, ubi probatio innocentiæ etiam post sententiam admittenda: 2) *coram judice* caussæ: 3) intra *tempus*, quod lex, aut judex pro qualitate caussæ locorumque distantia statuerit: idque sub pœna *desertionis* aut *præclusi* nisi dilationis

(a) C. 2. de probat.

lationis prorogatio fuerit impetrata. *) II. quum *factum dubium* sit probandum, intelligimus, non probanda esse 1) quæ sunt juris communis, quæ alioqui judici nota esse censentur: nec 2) quæ juris *præsumtione* sunt munita: (b) nec 3) notoria: nec 4) ab adversario admissa. At probanda sunt 1) ab adversario *negata*, modo litis decisioni directe, vel indirecte inserviant: item 2) jura partium, et 2) consuetudines (c) quarum vigor in facto constitit. (§. 153. n.) Inde consequitur III. quod onus probandi ei incumbat, qui allegat factum, ex quo jus sibi competere *intendit:* nisi pro eo præsumtio juris militet, vel possessio. (d) Quare 1) *actor* actionis et replicationis, reus autem exceptionis, et duplicationis fundamentum probare debet. (e) 2) Idem etiam obtinet, sive *fundamentum* agendi, et excipiendi in facto *affirmativo*, sive *negativo* consistat. Atque adeo et propositio negativa probanda est, nisi pro ea præsumtio juris pugnet. (f) 3) *Neganti* vero factum ab altero allegatum per se probatio haud incumbit, nisi in negatione virtualiter novi facti assertio contineatur, quod ad exceptiones pertineat.

(b) C. 2. de restit. spol. in 6. et c. un. ut Eccl. Benef. sine diminut. confer.

(c) L. 1. Cod. de probat.

(d) L. 11. Dig. de probat. c. 2. de Restit. spoliat. in 6.

(e) C 1. 2. 3. Causs. 6. q. 5. c. 3. de probat.

(f) C. 14. de fide instrum.

tineat. (g) **) Quæ etiam Ratio est, cur Reus exceptionem suam, et negans etiam negata probare plerumque debet. Tandem IV. ex *fine probationis* intelligitur, 1) quod probatio quævis debeat directe, vel indirecte pertinere ad merita caussæ: 2) quod clara, et quantum caussæ ratio sinit, perspicua certaque esse debeat; 3) quod actore plene probante reus condemnari: eo non probante reus debeat absolvi: 4) quod probatio semiplena major per juramentum suppletorium, aut etiam semiplenam adjunctam compleri, semiplena minor per juramentum purgatorium elidi possit.

*) Nempe actori et reo certa temporis intervalla, intra quæ ad actum judicialem se commode disponere possunt, indulgeri solent; quæ 1) quidem generatim *dilationes* dicuntur. 2) Dies autem ad actum judicialem peragendum destinati *termini* vocari solent. Alii 3) *Dilationum* nomine intelligunt termini prolongationes, seu induciarum illarum, quæ litigantibus ad certum actum in judicio peragendum dantur, prorogationes. Porro sensu priori, quo heic utimur, 4) *Dilationes* sunt vel a) *conventuales*, quæ a partibus sibi invicem conceduntur, vel b) *Legales* quæ ab ipsa lege, vel c) *judiciales*, quæ a judice constituuntur. Quum 5) jure canonico certæ dilationes definitæ non sint, eæ judicis arbitrio determinandæ relinquuntur. 6) Est autem *Dilatio* judicialis, quæ congruum pro rerum adjunctis tempus continere debet; (h) vel a) *peremptoria*, qua neglecta præjudicium

---

(g) C. 11. de probat. et c. 5. de renunciat.

(h) C. 1. seqq. de Dilat. c. 24. de offic. judic. de leg. c. 5. de appellat.

judicium intuitu actus in judicio expediendi decerni potest, vel b) *non peremtoria*, si tale præjudicium decerni nequeat. (i). Ceterum 7) non prima, aut secunda, sed tertia demum dilatio, aut una pro omnibus tribus data, quemadmodum de citatione diximus (§. 748.) peremtoria esse solet. (k) In Bavaria vero, ubi dilatio ad excipiendum, replicandum, et duplicandum regulariter unius mensis, seu triginta dierum a die insinuationis numerandorum spatio concludi consuevit, dilatio quævis peremtoria est, (l) nisi dilationis, prorogatio seu termini prolongatio petatur. 8) Prolongationem hanc judex quidem concedere, imo urgente justa caussa ne petenti quidem negare potest. (m) Ea tamen 9) siquidem secunda, tertiave etiam vice petatur, nisi ob impedimentum manifestum, aut nisi præstito, si judici videatur, calumniæ juramento præsertim vi juris germanici, bavaricique (n) concedenda haud erit.

**) Ex heic dictis sensus triti illius axiomatis: *Actori, non reo, affirmanti non neganti incumbit probatio*: rite est determinandus. Addendum et illud: *Reus excipiendo fit actor*. Cetera Cf. §. 749. *item Schrodt Instit. Jur. Eccl. P.* 2. *tit.* 19. §. 326. *seqq.*

§. 759.

Probationum variæ sunt species: I. Rei *evi- ntia* aut *notorium*, idque vel a) Notorium *cti*, quod ita hominum sensibus patet, ut lla tergiversatione celari queat, vel b) no- rium *juris*, quod ex certo jure vel in judi- cio

(i) C. 3. et 4. de dolo et contumac.
(k) L. 6. 8. seq. dig. de judiciis.
(l) Cod. Bav. Jud. Bav. c. 6. §. 16. et c. 9. §. 11.
(m) L. 36. dig. de jud. L. 4. cod. de dilat.
(n) Recess. Imp. A. 1654. § 50. et Cod. Jud. Bav. c. 16. §. 16.

§ 761.

V. *Confessio* (asseveratio ejus, quod adversarius intendit, aut facti proprii ab alio nobis imputati affirmatio) alia est 1) *vera*, quæ reapse, conceptis verbis, vel signis æquivalentibus fit, alia *ficta*, quæ a jure fingitur intervenisse, dum factum e g. fuga, contumacia etc. pro confessione habetur: 2) *judicialis* in judicio, *extrajudicialis* extra hoc facta, 3) *discreta*, in quo obligatio et caussa obligationis specifica, *indiscreta*, in quo illa solum, non ista exprimitur; 4) *simplex*, quæ pure, *qualificata*, quæ fit adjecta conditione, restrictione. De confessione hæc notanda axiomata: I. ut Confessio ad evincendam facti veritatem idonea sit, certis *requisitis* vestita sit oportet: atque, si sit II. *judicialis*, habet vim plenissimæ probationis: si III. *extrajudicialis*, vim probandi pro varietate caussarum variam obtinet: IV. Confessio regulariter *nocet* soli confitenti Porro I. *Requisita* legitimæ *confessionis* sunt, ut sit 1) libera, sponte, et scienter facta, (u) 2) clara, certaque, 3) seria, non erronea: error tamen statim quidem, seu in continenti, ut ajunt, etiam absque probatione: adjecta vero probatione semper revocari utiliter potest; (x) 5) judicialis debet *coram judice* competente, et præsente adversario, vel ejus procuratore saltem de jure civili (y) fieri. Quum II.

(u) C. 16. de offic. et potest. jud. deleg.
(x) C 7. de Testib. cogend. c. 3. de confessis.
(y) L. 6. §. 3. dig. de confess.

II. *Confessio judicialis* simplex *) *vim plenæ probationis* habeat: 1) actorem ab onere probandi liberat; immo 2) vim sententiæ, et rei judicatæ in civilibus obtinet ita ut sententia proprie dicta porro ferrenda haud sit, sed solum declaratio (z) super confessione facta accedere debeat: 3) notorium juris inducit, 4) appellationem etiam excludit. (a) Impugnari tamen potest, vel probato errore, vel restitutione in integrum adversus confessionem nocivam impetrata. (b) **) III. Confessio *extrajudicialis*, 1) si sit legitima, seria, deliberata, præsertim si fuerit diversis locis, et temporibus, aut coram adversario facta, et per duos testes probetur, in caussa civili plenæ probationis vim habet: 2) in *criminalibus*, ubi probationes luce meridiana clariores requiruntur, plerumque solum semiplene probat. ***) Attamen IV. *Confessio* per se *nocet soli confitenti* non tertio: quare 1) confessio adulteræ nec plane convincit adulterum designatum: c) nec gravat liberos, quos illa illegitimos asserit; alliganti enim propriam turpitudinem in præjudicium tertii non creditur: (d) nec 2) confessio unius nocet ceteris litis consortibus, præsertim si caussa sit dividua. At vero 3) procuratoris

(z) C. 10. de Transact.
(a) C. 7. de cohabit. Cleric. et mul. c. 2. de confess. c. 3. de appell. in 6.
(b) C. 3. de confess. et c. 2. de Restit. in integr. in 6.
(c) C. 5. de adulterio.
(d) L. fin. ff. de Probat. et præsumt.

curatoris specialis aut mandato *cum libera* muniti, item tutoris, et Prælati confessio nocet etiam mandanti, pupillo, ecclesiæ, si illi *necessitate officii*, et in judicio, non vero, si *sponte* aut extra officium et judicium respondeant (§. 745). Hac tamen in re ecclesia beneficio restitutionis in integrum juvatur. (§. 729.)

*) Confessio *qualificata* vulgo nequit *dividi*, seu partim recipi, partim onere probandi in confitentem translato rejici. Sic, qui e. g. sponsalia, pecuniam etc. sed adjecta conditione se promisisse fatetur, non potest simpliciter ad solvendum obligari, nisi actor, qui debet plene probare, aut conditionem adimpletam, aut obligationem fuisse puram demonstraverit. Aliud est 1) si fortis contra qualitatem adjectam militet præsumtio: e. g. verba contumeliosa protuli, sed non injuriandi animo, occidi; sed necessariæ defensionis ergo: item 2) si confitens alleget factum dictinctum e. g. si fateatur mutuum, sed simul solvisse affirmet, ubi primum admittitur, alterum probari debet. Vid. *Barthel Annot. ad J. C. P. Engel L. II. tit.* 18. *pag.* 174.

**) Porro 1) ad eliciendam partis adversæ confessionem introductus est usus *positionum* seu *articulorum*; id est, propositionum, in quas factum litigiosum dissolvitur, quasque pars altera veras esse asserit, alterique parti ad respondendum proponit. Porro 2) iisdem, actor non minus, quam reus (e), ad faciliorem reddendam actionis et exceptionis probationem uti potest; 3) Ut vero in dandis positionibus, et in responsione ad easdem fraudibus et calumniæ via præcludatur, adhiberi solet jura-

(e) C. 2. de confessis in 6. et clement. un. de verb. sign.

juramentum *dandorum*, et *respondendorum*, quo alter se nihil per calumniam posuisse, alter se nil per eandem responsurum jurat (f). 4) Ad positiones, modo obscuræ, captiosæ, aut a re præsenti alienæ haud sint, respondere a judice jussus qui recusat, pro confesso habetur (g) 5) Per Recessum Imp. abrogati quidem sunt articuli et positiones olim occasione Libelli fieri soliti (h); ii contra, qui in vim probationis adhiberi solent, ibidem (i) confirmati potius inveniuntur.

***) In *criminalibus confessio* etiam a) *judicialis* ad condemnationem rei una semper *haud* sufficit, sed insuper de corpore delicti, siquid post se vestigii reliquit, constet, necesse est: b) *extrajudicialis* sæpius repetita ad leviorem pænam infligendam sufficere a quibusdam creditur. Cf. *Barthel l. cit.*

§. 762.

VI. *Attestatio*, seu probatio per *testes*. *Testium* nomine veniunt *generatim* personæ ad facti veritatem suo testimonio evincendam idoneæ; heic autem intelliguntur personæ fide dignæ ad judicium evocatæ, et auditæ, ut in caussa controversa testimonium ferant. De testibus notandæ hæ regulæ: I. Testes debent esse *fide digni*: II. ad testimonium dicendum legitime *evocentur*: III. rite *examinentur*: IV. eorum testimonia *publicentur*: V. fides et auctoritas testium a numero, conditione, adjunctis per judicem recte æstimetur. Igitur 1) *habi-*

(f) C. 2. de confess. in 6. c. 2. de Testib. in 6. c. 3. de juram. calum. in 6.

(g) C. 2. de testib. in 6. et c. 2. de confess. in 6.

(h) Recess. Imp. de A. 1654. §. 34. 37. et Ord. Camer. P. III. tit. 15.

(i) Recess. eod. §. 41. Pütter in Epitom. §. 161.

habilitas et dotes, 2) *productio*: 3) *examen* testium: 4) *publicatio* testimoniorum, et 5) auctoritas eorum expendenda. *Testium* I. *Habilitas*: habiles generatim censentur, qui veritatem dicere, et *possunt*, et *velle* præsumuntur; seu qui nec scientiæ defectu laborant, nec de falso dicendo quodammodo suspecti sunt; nec, dum ferunt testimonium, reverentiam, officiumve lædere videntur: nec per leges aut Canones a testimonio ferendo arcentur: quocirca quidam vel 1) *absolute*, vel 2) *respectu* certarum *personarum* aut *caussarum* censentur inhabiles. *) II. *Productio* testium: 1) regulariter nemo se ultro, ni suspectus esse velit, (k) testimonio dicendo, ingerat. 2) Producendi autem sunt testes a partibus, harumque sumtibus; (l) 3) Producturus testes a) articulos probatoriales judici exhibeat, adnexa testium denominatione, et directorio seu designatione articulorum, super quibus singuli sint interrogandi: b) petatque, ut testes citentur, et quisque ad certos articulos rogetur. Quo facto 4) judex præstituto productionis termino testes vel immediata, vel subsidiaria (§. 748.) citatione vocat, simulque productum, seu eum contra quem producti sunt testes, communicatis articulis probatorialibus citat ad *videndum recipi, et jurare testes* (m); et ad *dandum interrogatoria*. Porro 5) testis legitime vocatus

(k) C. 2. de Testib. et Attestat.
(l) C. 11. §. 8 de Rescript. in 6.
(m) C. 2. de Testib. et Attest.

tus a testimonio dicendo se, nisi arctiori secreti, aut necessitudinis naturalis, obligatione excusetur, subtrahere nequit. Immo testimonium dare jussus qui recusat, variis ad id dicendum modis cogi, atque censuris etiam compelli a judice competente potest: nec obstat, quod quis se testimonium haud dicturum esse juraverit (n). 6) Productus, adversus quem testes producti sunt, a) contra testes, aut articulos excipit, vel b) dubias exceptiones post testium productionem sibi reservat: simulque c) exhibet interrogatoria tam generalia, quam specialia ad caussam, personasque testium spectantia; quæ tamen si injuriosa, si ad rem haud pertinentia, si captiosa fuerint, a judice rejiciuntur. Subin 7) testes plerumque præsente parte adversa recipiendi, et jurisjurandi religione ad dicendum verum obstringendi sunt, nec excipiuntur etiam Clerici; aut religiosi, nisi partes litigantes in caussa privati arbitrii, aut consuetudo **) id eis remiserint (o). Sequitur III. *Examen testium:* 1) testes *in judicio*, nisi sint personæ impeditæ (e. g. ægroti, senes, etc.) aut privilegiatæ (p), 2) seorsim, et *secreto* remotis partibus interrogati ad articulos, tum a partibus oblatos, tum a judice ex officio additos singillatim respondeant; 3) responsa in scripturam fideliter redacta respondenti iterato prælegantur; 4) con-

---

(n) C. 18. 33. seq. de Test. c. 5. 6. 9. de Testib. cogend.

(o) C. 17. 29. 39. de Test.

confectus inde *rotulus* (instrumentum publicum, in quo testium depositiones singulis articulis et interrogatoriis subjectæ exhibentur) ad petitionem ejus, qui testes producit, partibus præsentibus *publicatur.* Atque hæc est IV. rotuli seu attestationum *publicatio*, qua facta quidem 1 mutua impugnatio, defensioque attestationum, an sufficienter probent, locum habet (q): attamen deinceps nec iidem, nec alii testes communiter, super articulis iisdem; aut his directe contrariis admittuntur; nisi specialis ratio, aut qualitas caussæ, e. g. matrimonialis, aut criminis (r) id exigat: 3) attestationes *publicatæ* in alia instantia fidem faciunt (s); nisi sint coram judice incompetente receptæ: neque 4) porro exceptiones contra personas testium admittuntur; nisi quis jus excipiendi sibi reservarit, aut excipiendi caussam post ea primum cognoverit simulque se malitiose non excipere juret. (t) V. *Auctoritas* et *fides testium* ex numero, conditione testium, aliisque adjunctis dijudicanda. Porro 1) *duo testes* consentientes omni exceptione majores nisi ubi jus expresse plures requirit, ***) *plene* probant: 2) *unus* ad plenam probationem non sufficit, nisi aut Princeps aut persona publica de actibus vi officii gestis

(p) C. 8. de Testib. et Attest.
(q) C. 15. eod. tit.
(r) C. 26. eod. tit.
(s) C. 11. eod. tit. et cap. fin. de probat.
(t) C. 31. 36. de Testib. et Attest.

gestis testetur, aut de peccato impediendo agatur (u): 3) testes *singulares*, seu de diversis facti adjunctis testimonium ferentes, ceteris paribus (x) si a) sibi in testimonio adlato plane adversentur, sese mutuo elidunt, nihilque probant: si b) sibi adminiculo sunt v. g. si deponant de pluribus actibus ad idem factum successivum vel continuum pertinentibus) in civilibus plerumque *plene* probant; si c) de eodem facto specifico (e. g. unus, quod viderit Titium mutuum dantem, alter, quod id ab aliis audierit) plus quam semiplene probant. 4) Testis *vacillans* seu sibi *contradicens* in judicio, nisi in continenti errorem revocet, aut posthæc se errasse argumentis doceat, nil probat; si alia extra judicium, alia in judicio loquatur, his potius habenda fides. 5) *Variantis* testimonium non illico enervatur, sed an fraus nulla subsit, videndum etc. (y)

*) Quare *inhabiles* aut certe non omni exceptione majores censentur I. *absolute* 1) rationis impotes, aut rei, de qua agitur, cognitione destituti, 2) perjurii aut falsi convicti, 3) pretio corrupti, aut facile corrumpendi, ut sæpe pauperes, vilesque personæ; 4) infames, hæretici, excommuni- cati.

(u) C. 4. 22. et 28. de Testib. et Attest. c. 6. de Renunt.

(x) De concursu, et collisione testium vide Cod. Bavar. Judic. c. 19. §. 20.

(y) C. 23. de testib. c. 23. et 32. de elect. c. 9. de Probat. Hammer diss. de probatione gener. et in *specie per testes*, Bamberg. 1741.

cati. (z) etc. II. Removentur a testimonio intuitu *certarum personarum* e. g. 1) Judæi pro Judæo contra Christianum, 2) inimici contra inimicum, 3) sanguinis, subjectionis, et simili nexu cum iis, pro quibus vel contra quos testentur, juncti, nisi in casibus jure exceptis; (§. 658.) et iis, in quibus veritas aliter haberi nequit. Rejiciuntur vulgo 4) laici contra Clericos in caussis criminis, nisi in delictis notoriis, scandalosis, et ubi haberi testes Clerici nequeunt (z) III. Intuitu *certarum caussarum* 1) Clerici in caussa sanguinis contra reum, 2) in caussa propria, 3) in caussis universitatis, beneficii, aliisque, ex quibus speciale in testem commodum, vel incommodum redundat. (a)

**) Ita 1) Religiosi ordinum, et monasteriorum, quæ in Bavaria statibus provincialibus adnumerantur, ad jusjurandam adstringendi haud sunt, sed fidem sacerdotalem vel religiosam ab iis interponi sufficit. (b) Item 2) in judicio summarissimo multa ex hucusque dictis omitti, aut arctius constringi soleut. (c)

***) Plures testes expresse requiruntur 1) in purgatione canonica; (d) 2) in caussa de impotentia conjugum ad dissolvendum matrimonium; (e) 3) in condemnatione personarum ecclesiasticarum et quidem contra episcopum 72. contra Cardinalem Presbyterum 44. contra Cardinalem Diaconum 27. contra Subdiaconum, aut contra alium Clericum 7.

(z) C. 1. 9. 47. 54. de testib. et c. 10. de Præsumt. c. 1. de hæret. c. 8. de sent. excomm. in 6.
(z) C. 21. §. 22. 24. 14. de testib et attest.
(a) C. 12. 20 eod. tit. C. 3. §. 2. Causs. 4. q. 2.
(b) Vi Resolut. Elector. ex Intimo A. 1765. 29. Mart.
(c) Vid. Cod. Bav. Judiciar. c. 10. §. 3.
(d) C. 10 12. de purg. can.
(e) C. 5. 7. de frigid. et malefic.

7. testes requiruntur. (f) Hoc tamen usu receptum haud est.

§. 763.

VII. *Instrumentorum* fides. *Instrumenta* heic sunt scripturæ ad fidem de veritate facti judici faciendam idoneæ: 1) vel a) *privata*, quæ a personis privatis scripta sunt; vel b) *publica*, quæ a persona publica *qua tali* sunt confecta: his æquivalent *authentica*, id est, *sigillo publico* munita, aut ex archivo *publico* depromta, aut subscriptione trium testium ad huc superstitum et manus suas agnoscentium firmata, aut quæ ex consuetudine fidem publicam faciunt (g). Instrumenta rursus sunt 2) vel a) *originalia*, seu scriptura primigenia, aut primitus condita; vel b) *transsumta*, seu exempla inde desumta (*copiæ*, quæ si a persona publica cum originali sint collatæ, a *vidimus vidimatæ* dicuntur). Heic notanda I. instrumentorum vis et *auctoritas*: 1) *publica*, et *authentica* in originali, ut ajunt, producta, aut adhibitis solennitatibus *) *vidimata*, plenam fidem faciunt (h): 2) *privata* a) pro scribente, nisi alia adminicula accedant, nihil probant; sed b) contra ipsum, modo ab eo agnita, vel aliunde ejus esse constet, plene probant. 3) Scripturam suam neganti *difessionis*, quo eam non esse suam juret, juramen-

 tum

(f) C. 2. et 3. Causs. 2. q. 4.
(g) C. 2. 9. de fide inst. c. 13. de Præscript.
(h) C. 2. de fid. instr. C. 13. de Præscript. C. 11. de Præsumt.

tum injungitur: **) II. *Productio instrumentorum*: 1) Jure germanico (i) instrumenta cum libello possunt judici offerri: 1) id tamen post litem contestatam fieri consuevit: 2) jure autem canonico (k) id usque ad conclusionem in caussa licebit. Et 3) primum quidem vulgo exempla transumta (copiæ) probationibus adjici solent, post etiam ipsa *originalia* præsente adversario, intra terminum a judice præfixum, aut saltem ante conclusionem in caussa in judicio sunt producenda: 4) post hæc instrumenta dissentiente adversario produci nequeunt: nisi a) in caussis matrimonialibus, aut b) criminalibus, ut in quibus sententia in rem judicatam non transit; aut c) ubi instrumenta noviter reperta esse juramento calumniæ quis probarit. Ceterum 5) ne occasione exhibiti instrumenti plures suscitentur lites, instrumentum parti adversæ duntaxat quoad articulum, qui ad præsentem litem pertinet, judici autem integrum debet exhiberi. 6) Producta autem instrumenta adversarius *recognoscere*, vel *diffiteri* debet; aut *falsa* probare (l). Siquis ipsus instrumenta non possideat. III, *Editio* instrumentorum requirenda ab iis, qui illa tenent. Porro 1) *Actor reo*, et *hic illi* edere debet instrumenta a) *communia*, b) *petentis propria*, item c) ea, sine quibus veritas haberi nequit. 2) *Actor* Rei

(i) Recess. Imp. Nov. §. 35. et 45.
(k) C. 9. de fide instrum.
(l) C. 4. de Except. c. 8. de Elect. in 6. c. 5 de fid. instrum.

Reo instrumenta omnia, quibus ad probandam *defensionem* et exceptionem: *Reus* vero Actori nonnisi ea, quibus ad probandam *replicationem* fuerit opus, (m) edere compellitur. 3) *Tertius* etiam, modo inde nil damni sensurus ad edendum instumentum, uti ad testimonium ferendum, siquidem exigens id ad caussam suam tuendam necestarium fore ostenderit, jure quidem Romano, non itidem Bavarico (n) cogi posse videtur. Editionem recusans juramento *manifestationis* quo se nec possidere instrumentum: nec dolo possidere desiisse juret, justam occultationis suspicionem purgare cogitur. IV. *Impugnatio instrnmentorum* fit 1) ostenso vitio suppositionis, rasuræ in loco suspecto, non congrui sigilli etc. 2) per instrumentum reapse contrarium, quod sit æqualis, vel majoris auctoritatis: 3) per testes seu *inscriptos*, qui suas manus adpositas negant; seu *extraneos*, qui de instrumenti falsitate testantur; quorum in conflictu ex eorum numero, auctoritate, rerum adjunctis judicandum (o).

*) Diplomata, seu instrumenta 1) a *forma, objecto, modo*, et *tempore*, queis confecta sunt, variis distinguuntur nominibus: a) a *forma* dicuntur *tabulæ, codicilli, chartæ*: b) ab *objecto* acta, quæ de factis, *documenta* stricte dicta, quæ de juribus, obligationibusque testantur: c) a modo et tempore *auto-*

(m) C. 12. de fid. instrum. L. 2. 5. et 7. Cod. de fid. instrum.

(n) C. 1. de probat. L. 22. Cod. de fid. instrum. Cod. Bav. civil. c. 11. §. 6 n. 3.

(o) C. 3. 6. 11. 13. de fid. instrum. c. 1. de Probat.

autographa, apographa, singularia etc. 2) Notanda in instrumentis a) *scriptum*, b) *signa*, c) *formulæ*, d) *sigilla* etc. (p) 3) De *solennitatibus* requisitis sive ad exaranda publica instrumenta, sive ad vidimanda, ut plenam fidem faciant. Vide *Cod. Jud. Bav. c.* 11. §. 2. *et* 4.

**) In casu diffessionis 1) comparatio litterarum sigillorumque concurrentibus aliis adminiculis summum semiplene probat. 1) Publica documenta nemo; et instrumenta privata ille, qui jam semel illa esse sua confessus est, diffiteri nequit (q). 3) Siquis intrumentum sibi præsto fuisse, suo autem casu deperditum asserat, dum quidem, id per testes eidem inscriptos demonstret, plenam faciet fidem, non item si per extraneos id velit ostendere. 4) Ceterum uti examen testium, ita productio instrumentorum *ad perpetuam rei memoriam* locum habet. (§. 756.)

§. 764.

VIII. *Jusjurandum*, per quod nunc fit, nunc completur, nunc diluitur probatio, est actus religiosus, quo quis Deo in veritatis teste et perjurii vindicem vocato quidpiam seria adfirmat. Jusjurandum 1) *promissorium* dicitur, quod de futuris, de veritate promissorum, servandisque pactis: *assertorium*, quod de præteritis præstatur; hocque vel *veritatis* vel juramentum appellatur *credulitatis*, prout aut facti *veritas* ex certa cognitione, aut *credulitas* ex probabilibus rationibus asseritur. 2) *solenne* vel *minus solenne* erit, si aut publice ad reliquias sanctorum, ad sancta Evangelia

etc.

(p) Cf. mea Synopsis Proleg. et Period. I. Hist. eccl. §. 34. seq. Ratisb. A. 1787.

(q) Cod. Jud. Bav. c. 11. §. 7. et 8.

*) aut absque speciali solennitate inlerpour; 3) *judiciale* aut *extrajudiciale*, siquidem ra aut extra judicium præstetur. Judiciale rro est 4) vel *litis decisorium*, quod litis iendæ caussa datur, vel *litis æstimatorium*, jue aut *veritatis* aut *affectionis*, quo rei liiosæ æstimatio vel ex vero pretio, vel ex peliari in illam affectu asseritur. *Litis decisoim* rursus est 5) vel *voluntarium* vel *necessaim*, prout id aut pars parti *defert*, seu altеab altera præstari exigit, aut judex ipse o sua auctoritate ad complendam probatiom imperat. 6) Si istud Actori ad complenm probationem ingungatur, *suppletorium*: reo ad elidendas præsumsiones contra se ·olatas, *purgatorium* adpellatur. Hejc I. :neralia quædam tum de *jure jurando genetim* II. tum de quibusdam *juramenti specious* subnectemus.

*) Quum juris jurandi vis in Dei tanquam testis, et vindicis, si jurans sciens fefellerit, invocatione contineatur: varia adhibita sunt solennia symbolaque ad injiciendam jurantibus Religionem metumque sacrum comparata. Ita 1) apud Germanos, quibus juramenti Religio inprimis sanctissima fuit, juratum est a) tactis Evangeliis: b) cum tactu reliquiarum: c) super corpora sanctorum: d) apprehensa manu, vel armis judicis: e) ad arma sacrata, ad spatham, ad capulum ensis: f) ad tumulos mortuorum: g) ense in terram fixo: h) super candelam. Demum viri manu erecta; fœminæ duobus digitis ad pectus positis jurarunt: qui etiamnum solennis jurandi mos est (i). 2) Episcopi juran–

(i) Ant. Schmidt diss. de eo, quod justum est circa Juramenta Religionem concern. §. 1. et cit. ibid. auctores Thesau. Jur. eccl. Tom. VI. pag. 65. seq.

jurantes tangere Evangelium haud tenentur; s[ed] eo in conspectu ipsorum posito jurare solent; que[m] ritum jure utroque (s) probatum Carolus V[I] etiam a S. R. I. Electoribus ecclesiasticis retine[n]dum esse in Bulla A. constituit. 3) *Clausula ve[ro] jurisjurandi* olim in Germania receptæ, atque i[n] Bulla A. itidem probatæ: *Ita me Deus adjuvet, [et] omnes sancti*; quum Protestantes eam adhibere [re]cusarent, hæc substituta est: *ita me Deus adjuv[et] et S. ejus-Evangelium.* 4) De Juramentis Reli[gionem] præsertim in Germania concernentibus vi[d.] *Ant. Schmidt diss. Thesau. J. eccle. Tom. VI. p.* [...]

§. 765.

De Juramento generatim hæc nota axioma[ta]. I. Juramentum consistit in Invocatione Dei [ut] testis, et vindicis: II. tres comites, *verita[tem]*, *judicium*, et *justitiam* habeat, neces[se] est. III. Jusjurandum novam obligatione[m] actibus validis adjicit, infirmos quosdam a[c]tus, modo licitos, confirmat. IV. Cetera na[tu]ram actus, cui accedit sequitur. Ex I. co[l]ligimus: jusjurandum 1) Dei nomine invoca[to], ac per verba vim juramenti exprimentia et animo jurandi prolata *) fieri: 2) nec inter[esse] esse, num hæc a) *ore*, vel *scripto*, b) num a[b] ipso jurante, an ejus speciali mandato profe[]rantur ab alio; quod *juramentum in alteri[us] animam* dicunt. Sæpe tamen juramentum i[n] propria persona præstandum in jure (t) exi[]gitur. — Quum II. jusjurandum *veritatem*, *judicium*, ac *justitiam* habere comites debeat, patet

(s) C. fin. de juramnt. calumn. Novell. 123. c. 7.
(t) C. 4. de sent. excomm. C. 47. de test. c. 4. de Elect. in 6.

tet cur 1) ad jusjurandum is solum admit-
ndus sit, qui vim ejus et *intelligere*, et *re-
reri* creditur: inde 2) non solum mente
pti, ebrii, infantes, sed etiam vulgo im-
beres, seu quatuordecim annis minores
); item ii, quorum fides vacillat, repellun-
r. Impuberum temen loco tutores de re
tis instructi admitti solent: cur 3) jusjuran-
ım omnes dolos, cavillationes, mentalesque
servationes excludat, 4) cur nec temere,
c nimis frequenter, nec absque necessitate
ci queat: 5) cur contra bonos mores, pie-
tem, religionem, vel in præjudicium ter-
præstari nequeat; aut, licet præstitum, neo
oliget, nec exequutioni dari possit (x). III.
ffectus jurisjurandi promissorii rite præstiti
nt 1) quod exsurgat nova obligatio religio-
s ex novo, et distincto omniscientiæ, vera-
tatis et justitiæ Dei titulo orta ad præstan-
ım id, quod juratum est; 2) quod actus qui-
m bonis moribus adversos vel lege prohibi-
s, aut in præjudicium boni publici, **) vel
rtii aut in salutis æternæ dispendium ver-
ntes invalidos relinquat; 3) eos tamen,
ibus solum jus non adsistit; item 4) actus
ı solum jurantis favorem, cui is renuntiare
ensetur, invalidos confirmat (y), ***) licet
ro foro *externo* actibus alioqui invalidis auf
muta-

(u) C. 14. 15. causs. 22. q. 5.
(x) C. 2. causs. 22. q. 2. c. 2. 26. 28. 33. de jurejur. c. 58. de Reg. Jur. in 6.
(y) C. 9. 26. 28. de jurejur.

mutabilibus novum robur jure saltem Bavarico (z) haud adjiciat. Quum IV. Jusjurandum ejus, cui adjicitur, actus naturam sequatur: patet, 1) omnia, quæ consensum et justitiam excludunt, obligationem quoque juramenti excludere; proinde jusjurandum, cui dolus malus, error substantialis, imo verosimiliter cui metus injustus caussam dedit, nullam parere obligationem: 2) juramento tacite inesse omnes conditiones, quæ actui, cui accedit, insunt: 3) obligatione ex pacto, e. g. ob fidem ab altero violatam, aut remissionem voluntariam, sublata, sublatam itidem censendam esse obligationem ex juramento ortam (a).

*) Quare 1) formulæ; *Deus scit, videt, ita esse; coram Deo dico*, item imprecationes et execrationes jusjurandum per se necdum constituunt: 2) minus affirmationes sub fide nobili, sacerdotali, per animam etc. jurisjurandi rationem habere videntur.

**) Boni publici ratio itidem requirere videtur, ut juramenta *metu gravi injusto extorta* (exceptis pactis publicis, §. 186. not.) nullam pariant obligationem; 1) siquidem enim juramentis per violentiam extortis sua constaret vis, et obligatio: profecto homines mali iis ad piorum vexationem, ad reipublicæ quietem turbandam, ad propriæ malitiæ incitamentum abuterentur. Sane 2) qui rem ei, qui vi injusta juramentum extorserat, promissam tradit, injustæ alterius acceptioni manum porrigit, aut certe, si donare etiam velit, bono officit publico. 3) Quis vero juramenti Religionem dicat eo valere, ut iniquitatem foveat? Quis

(z) Cod. Judic. Bav. c. 13. §. 7.
(a) C. 2. 8. 15. de jurejurand.

Quis credat male extorta juramenta a Deo acceptari, aut iis Religionis virtutem contineri? Neque 4) obstat, quod Pontifices extorta juramenta relaxari voluerint (b): id quippe solum propterea decrevisse censendi sunt, ne fraudibus, et perfidiæ locus detur, si quivis in propria caussa sit judex, et se injuste coactum, et ab obligatione liberum pronuntiet. Certe relaxationem talium juramentorum non tam *absolutionis*, quam *declarationis* vim habere, ipsi Pontifices haud obscure significarunt (c). *Cf. Zech. de Jud. eccl. Sect. I. Tit.* 28. §. 369.

***) Porro alii per juramentum actibus de se infirmis neque tamen illicitis non *Religionis* solum, sed justitiæ etiam obligationem accedere affirmant; alii contra justitiæ obligationem oriri verosimilius negant; eoquod juramento neque jus naturale, neque civile, neque etiam canonicum, eam vim tribuit, ut actus per se *invalidos* quoad *justitiam* firmet. Inde colligimus: 1) ex juramento actibus invalidis apposito personalem solum, quæ ad hæredes haud transeat, nasci obligationem: 2) eamque facta juramenti relaxatione cessare, nec ullam justitiæ remanere obligationem: 3) actum, vel tractatum tali juramento extrinsece firmatum actionem in foro externo non parere. Cf. *Schrodt Inst. J. C. P. II.* §. 415. *sqq.*

§. 766.

Juramenti *species* quod attinet, juramentum *litis decisorium* I. *voluntarium* et *extrajudiciale* quod pars parti extra judicium per modum conventionis defert, speciem *transactionis* habet. Atque eo ipso, quod per modum *conventionis* deferatur, patet: 1) illud non ultro, sed

(b) C. 2. 8. 15. de jurejurand. c. 6. de his, quæ vi metusve caussa.

sed altero deferente esse præstandnm: 2) idem invalidum fore, si non ea forma, et lege, qua defertur, fuerit præstitum: 3) contra pro præstito haberi, si alteri, ad jurandum parato, remittatur. (d) Quum juramentum isthoc speciem contineat *Transactionis* 1) illud non nisi ab eo et in iis rebus, qui, et de quibus *transigere* potest, deferri valet; proin nec in caussis publicis, nec contra matrimonium contractum, nec a procuratore, qui speciali mandato instructus non sit, poterit deferri (e) 2) invitus nec ad illud deferendum nec ad acceptandum obstringitur. 3) Semel tamen acceptatum nisi in caussa privati arbitrii ab altera parte remittatur, abs mora præstandum erit: 4) sic delatum qui præstat, adversus deferentem habet *actionem*, siquid sibi deberi juravit, habet *exceptionem*, quæ litis ingressum impedit, si se haud debere juraverit. II. *Voluntarium judiciale* 1) consentiente judice alterutra pars in rebus duntaxat sui arbitrii deferre, et juramento calumniæ prius præstito exigere a parte adversa potest; 2) delatum acceptari et præstari, vel referri alteri parti debet, nisi fors quis neglecto juramento per probationes ordinarias antea rem demonstrare præoptet; (f) 3) semel vero *accepta-*

(d) L. 3. 4. 5. 9 et 11. etc. Dig. de Jurejur. sive volunt. sive necess.

(e) L. 17. 18. 31. 34. Dig. eod. tit. et §. 11. Instit. de Act. §. 4. Inst. de except.

(f) C. fin. de jurej. c. 2. de probat. L. 37. 38. Pandect. de jurejur.

ceptatum in regula recusari nequit; eoquod illo acceptato parti alteri jus litem juramento definiendi quæsitum jam sit: 4) deferens juramentum acceptatum, sed nondum præstitum, revocare potest, si probationes de novo invenerit, vel metum perjurii committendi in continenti probarit. Semel relatum absolute præstandum est: nec a referente, sed potius a deferente juramentum calumniæ exigi debet. (g) 5) Actu præstitum id operatur, ut judex pro jurante ferre sententiam debeat, quæ vim rei *judicatæ* habeat, et *adpellationem* deinceps excludat. (h) III. *Necessarium judiciale* sola auctoritate judicis decernitur ob inopiam, et in supplementum probationum: igitur 1) *ex officio* partibus etiam non petentibus a judice deferendum est, vel a) parti *semiplene* probanti ad *supplendam* probationem suam; vel b) *parti*, contra quam præsumtiones, aut probatio semiplena minor adest, ad se ab iis *purgandum*; illud *suppletorium*, istud *purgatorium* adpellatur. (§. 764.) Id porro 2) a parte, cui injunctum est, nec sine gravi caussa *recusari* potest, nec referri. Ceterum 3) *purgatorio* in omni caussa locus est. 4) Juramentum *suppletorium* a) in caussis *civilibus* admodum arduis nonnisi circumspecte, b) in criminalibus contra reum, vel c) in matrimonialibus ad dissolvendum matrimonium, ubi probationes dun-

---

(g) C. 5. seqq. causs. 22. q. 5. et L. 34. S. 7. Pandect. de jurejur.

(h) L. 12. S. 1. 2. 3. Cod. de rebus creditis.

taxat perspicuæ admittuntur, nullatenus est deferendum. (i) 5) Jurare nolens pro confesso habetur: contra 6) pro jurante pronuncianda sententia est: 7) sententia tamen ex tali juramento necessario lata, tum rescissioni ob reperta nova instrumenta, tum querelæ de periculo et remedio appellationis obnoxia est. (k)

*) Quum utrumque hoc jusjurandum solum ob defectum plenæ probationis obtineat; colligimus illud haud posse imperari, 1) si pars utraque *semiplene* solum probet; eoquod his probationibus sese elidentibus nil reapse sit probatum. 2) aut si alterutra pars *plene* probat; quum facta plena probatione superflue atque hoc ipso temere, et illicite juramentum exigeretur. 3) Aliud videtur, si plena alioqui actoris probatio, per quædam Rei argumenta aliqua parte infirmetur. C. 2. *de Probat.*

§. 767.

Superest *juramentum calumniæ*, quo partes bona fide se litigaturas, et ab omni fraude, *) alienas esse adseverant: 1) *generale*, quod post litem contestatam intuitu totius judicii, *speciale*, juramentum *malitiæ* dictum, quod intuitu certi articuli, aut actus judicialis præstatur. I. *Generale* 1) tam ab actore, quam a reo per se ipsos, jure tamen canonico (l) etiam per procuratorem in omnibus caussis præstandum est 2) et a judice toto litis pendentis tempore (m) exigi potest: 3) nec illud partes sibi *expresse*,

(i) C. 34. de Jurejur. c. 1. 4. 8. 16. de purg. can.
(k) L. 31. ff. de jurejur. L. ult. §. 1. de appell.
(l) C. 1. de juram. calum. in 6.
(m) C. ult. ibid.

presse, (n) verosimilius tamen *tacite* remittere possunt: etenim si nec a judice nec a partibus exigatur, judicium haud invalidum censetur. (o) Immo vero usus hujus juramenti particulari locorum lege varie determinatur, atque multis in locis etiam cessavit. (p) 4) Juramentum istud sibi imperatum *recusans reus* pro confesso habetur, *actor* caussa cadit. II. Juramentum calumniæ *speciale*, seu malitiæ 1) exigere pars altera ab altera potest in omnibus judicii actibus, quoties ex judicis arbitrio justa fraudis vel calumniæ suspicio adest: 2) exactum, et a judice probatum præstare recusans commodo illius actus, propter quem jurandum est, excidit. (q)

*) Juramentum calumniæ his fere capitibus continetur: nempe jurandum, 1) quod partes se justam habere caussam credant: 2) quod in ea agenda velint bona fide versari: 3) quod judici nil dederint, promiserint, aut deinceps daturi sint: 4) quod juste quæsiti verum inficiari nolint etc.

ARTICULUS V.

De Sententia, et Remediis contra eandem.

§. 768.

Caussæ disceptioni et probationibus finem imponit, et ferendæ sententiæ viam aperit *conclusio in caussa*, qua partes ulterioribus pro-

 batio-

(n) L. 2. §. 4. Cod. de juram. calumn.
(o) Arg. ex c. 1. de juram. calum. in 6.
(p) Van Espen Jur. Eccl. univ. P. III. tit. 7. c. 4. n. 4. — 7.
(q) C. 7. de juram. calum. et c. 2. §. 2. ibid. in 6.

bationibus renuntiant, et caussam controversam judicis decisioni submittunt. Est vero *conclusio in caussam* vel 1) *generalis*, quæ totam caussam, vel *specialis*, quæ aliquem caussæ articulum respicit: *expressa*, *tacita*, vel *ficta*, prout partes vel expressis verbis sententiam petunt, vel sine reservatione ulterioris probationis caussam judicis arbitrio relinquunt, vel elapso termino peremtorio pro *facta* habetur: 3) facta conclusio in caussa novam quidem probationem partium vulgo *) excludit, nec tamen 4) judicem impedit, quo minus, quæcunque ad caussæ decisionem decernenda videbuntur, decernere queat.

*) Probationes post conclusionem in caussa admittuntur 1) in caussis criminalibus pro reo; 2) in caussis, ubi peccati subest periculum e. g. circa matrimonium. 3) in caussis pupillorum, minorennium, ecclesiæ; item 4) novis instrumentis repertis; 5) per confessionem partis alterius; 6) per facti evidentiam. (a)

§. 769.

Conclusionem in caussa sequitur *sententia*, quæ est caussæ controversæ rite disceptatæ facta a judice decisio: 1) *definitiva* vel *interlocutoria*, prout caussam principalem, aut articulum quemdam incidentem, qui in decursu caussæ emergit, definit. *Interlocutoria* erit 2) *mixta*, si cum caussæ principalis decisione nexum habeat, aut præjudicium eidem inferat, sin, *simplex*. Dicitur autem 3) sententia inter-

(a) C. 9. 10. de fide instr. c. 7. 11. de sent. c. 4 *de except.*

interlocutoria *vim definitive habere*, si ab illius decisione caussæ principalis eventus pendeat, ut in caussa incidente vincens in principali vincere debeat. Porro *sententia* I. *ferenda* est 1) a judice competente (§. 737. seqq.) et 2) per vota majora, si plures sint judices; (iis paribus reus absolvitur,) 3) conformiter legibus in hoc foro et caussa receptis, *) secundum allegata et probata 4) *certa* et pro ratione materiæ sat *determinata*, *pura* et ad nullam conditionem, nisi quæ in continenti impleri possit, nec ulteriore cognitione indigeat, adstricta: 5) debitis *solemnitatibus* adhibitis: (b) II. *publicanda* 1) ex scripto, 2) partibus ad id citatis, 3) a judice ipso (nisi sit Episcopus aut persona illustris) pro tribunali sedente, 4) die non feriato. (c) III. *Effectus* sententiæ latæ, et publicatæ est, ut, si vel partes eidem expresso consensu acquiescant, vel intra decem dierum spatium adpellationem haud interponant, vim *rei judicatæ* consequatur; cujus tanta vis est, ut 2) pro veritate habeatur, 3) probationem oppositam, et actionem nisi in casibus exceptis **) excludat, atque adeo 4) inter partes, non item inter alios litis plane exsortes, jus perpetuum constituat. (d) Atque

*) Quodsi ergo sententia juribus receptis in *thesi*, ut ajunt, repugnet, nulla est: sin solum allegatis et probatis, et juri litigantis, seu *juribus receptis in hypo-*

(b) C. 1. 24. de sent. c. 4. de jud.
(c) Clem. 2. de sent. c. fin. ibid. in 6. c. 1 de fer.
(d) C. 13. 15. 25. de sent. et re jud.

hypothesi sit contraria, remediis juris infirmari debet. C. 1. 13. *de sent. et re.*

**) *Excipiuntur* sententiæ 1) interlocutoriæ, 2) definitivæ in caussa criminali contra reum, item 3) circa matrimonii valorem latæ, nisi etiam in his caussis res a consensu, et arbitrio partium pendeat, 4) *nullitate insanabili* laborantes, (e) uti a judice incompetente, contra rem judicatam, (f) in præjudicium absentis non contumacis, non servatis processus substantialibus pronuntiatæ; 5) latæ ex falsis instrumentis, (g) aut cum falso procuratore, aut contra jus in thesi, 6) si sententia pretio emta, et a corrupto judice fuerit lata. (h)

§. 770.

Non dubitandum quidem, quin rei judicatæ ea vis insit, ut 1) pro foro *externo* omnem probationem et actionem in contrarium excludat, 2) justum rei possidendae, et praescriptionis titulum tribuat, 3) et bonae fidei litigatorem in rei sibi adjudicatae possessione, quamdiu certo alienam non compererit, securum reddat. Atvero, quod etiam bonae fidei litigator statim rei sibi adjudicatae dominium firmum nanciscatur, atque, etsi paullo post rem alienam cognoverit, ab omni restituendi obligatione pro foro etiam *interno* excusetur, id adeo non certum est, ut contraria sentientium opinio propius a vero abesse videatur. *)

*) Enimvero 1) jus naturæ victorem in his adjunctis a restituendo non excusat; juri ergo naturæ eousque inhærendum, dum jure positivo eam vim rei

(e) L. res judicata 2. Cod. de re jud.
(f) Recess. Imp. Nov. §. 12. seqq.
(g) C. 20. de sent. et re jud.
(h) C. 6. de Except. c. 22. 24. de sent. et re jud.

rei judicatæ esse tributam *certo* comprobetur: at enim id ex ratione legis positivæ contra, ac in præscriptione fit, haud elucet; nam 2) rei judicatæ ea vis tributa est, ut ne *nullus esset litium finis*: (i) id autem obtinetur, si manente obligatione pro foro interno actio in foro externo denegetur. Unde 3) etiam jus canonicum, licet alioqui forum internum ab externo separere haud soleat, urgente tamen necessitate, ne lites essent perpetuæ, aut sub obtentu rei male judicatæ majora mala, et peccata orirentur, eandem vim rei judicatæ pro foro externo tribuere voluit. 4) Neque vero quis ex eo, quod actio negetur in foro externo, pro foro interno securus est; secus etiam, qui infra dimidium læsit, aliique, contra quos actio negatur, a restituendo excusarentur. 5) Dominiorum incertitudini, ceterisque incommodis, quæ ex hac sententia consequi videntur, satis medetur præscriptio, sufficitque, quod res judicata possidendi et præscribendi titulum tribuat. Demum 6) vis rei judicatæ præsumtione nititur, quam licet nulla exigente necessitate, veritati etiam in foro interno esse præferandam, quis æquum putet? Sane *Præsumtio juris et de jure* tantum ad forum externum pertinet: quod patet ex ejus definitione: et natura, in eo sita, quod oppositam probationem non admittat. 7) Res judicata igitur pro veritate habetur ex præsumtione, et in foro externo, non absolute. 8) Lex in foro externo justa in foro quidem interno itidem est justa, sed non nisi eo modo, quo in foro externo justa est. Scilicet Legislator post rem judicatam actionem esse negandam decernit, proinde hanc *recte* itidem *negat* judex. Postremo nec argumenta, quæ adversæ sententiæ patroni in medium adferunt, sunt ejusmodi, ut solvi æqua interpretatione nequeant. *Cf. Plac. Böckhn l. 2. tit. 27. n. 13. seqq.*

(i) L. 7. *Cod.* quando provoc. non est necesse.

§. 771.

Sententia quae in rem judicatam transit, *executioni* danda est. *Executio* porro est actus, quo res judicata, cui parere condemnatus non vult, judicis auctoritate per remedia coactiva in actum deducitur, estque vel a) *principalis*, quam judex vi propriae potestatis peragit, vel b) *subsidiaria*, quae fit ad judicis implorationem ab altero, cui victus, vel ejus bona subsunt. *) *Executio* igitur I.' fit 1) postquam sententia in rem judicatam transiit, et pars victrix executionem postulavit: 2) et a) *Principalis* executio quidem peragenda est a *judice* vel *ordinario* vi jurisdictionis ordinariae, vel a *delegato*; siquidem sit delegatus summi Principis, aut Pontificis, aut si ei executio etiam sit commissa; b) *subsidiaria* executio fit *ab alio*, qui a judice competente est imploratus, et potestatem in bona vel personam victi habet: 3) In caussa *reali*, ubi res certa per sententiam evicta est, *statim* sit executio, nisi restitutio impossibilis probetur; (k) aut tertius, cui haec praejudicio est, interveniat: in *personali* quadrimestre condemnato conceditur: attamen 4) terminum hac in re vel coarctare, vel extendere, judicis fere arbitrio hodie relictum est. (l)

*) Huc maxime spectat *invocatio brachii secularis*, qua judex ecclesiasticus judicis secularis auxilium petit: item imploratio potestatis ecclesiasticæ, qua et magistratus politicus ecclesiasticum pro sententiæ executione requirit. Id subsidii genus altera potestas

(k) L. 1. Cod. de Execut. rei jud. c. 15. de sent. et re jud.

testas alteri denegare juste nequit, præsertim in Germania, vi Recess. Imp. 1654. §. 160. Kammer=Ger. Ord. p. 3. tit. 9.

§. 772.

Executio sententiæ *impeditur* 1) exceptionibus, quæ sententiam retro nullam reddunt: 2) interventione tertii, cui executio præjudicio est; (m) 3) privilegio competentiæ saltem quoad modum; 4) in integrum restitutione; 5) appellatione etc.

§. 773.

Est autem *appellatio* remedium juris, quo judex superior imploratur, ut gravamen a judice inferiore illatum tollat: a) *judicialis*, quæ ob gravamen per sententiam definitivam, aut interlocutoriam; b) *extrajudicialis*, quæ ob gravamen alio modo e g. per decretum, mandatum a judice illatum interponitur. Porro appellatio I. in regula a *quovis* per judicem *gravato*, II. *in caussis*, si quasdam excipias, *omnibus* fieri potest: et III. ad judicis inferioris in ea caussa *superiorem* deferenda: IV. rite *interponenda*, *introducenda*, et *prosequenda* est. V. Recepta varios *effectus* habet.

§. 774.

Appellatio nititur *gravamine*; unde I. appellare potest quivis *gravatus* per judicem, etiam tertius, cujus interest, nisi 1) quis aut ob

(l) L. 2. 3. Cod. de usuris rei jud. c. 15. de sent. et re jud.

(m) L. 8. Cod. de re jud. L. 29. Cod. de jure dotium.

ob veram contumaciam sit condemnatus, 2) aut in judicio sponte confessus, aut 3) evidenter convictus, aut 4) expresse vel tacite appellationi renuntiaverit, aut 5) ubi gravamen jam sublatum est: (n) ceterum appellatio admittitur 6) tum ob gravamen *præsens*, tum ob *futurum* in certa caussa probabiliter imminens (o) Appellatio locum habet II. in *omnibus caussis*, exceptis illis, in quibus appellandi facultas specialiter restricta, et sublata est, veluti 1) in caussa possessionis momentaneæ 2) post tres conformes sententias; 3) in caussis moram non ferentibus, ubi saltem executio non suspenditur: (p) 4) in caussis per juramentum judiciale voluntarium decisis; 5) in re evidenti; 6) ubi summa legibus requisita deficit: etc. a sententia *interlocutoria* simplici: (q) aliud dicendum, si hæc vim definitivæ habeat. *) III. *Appellari* potest 1) ab *omnibus* judicibus superiorem habentibus, tum ordinariis, tum delegatis, nisi quis forte privilegio de non appellando gaudeat, 2) *ad superiorem*, cui judex in caussa *proxime* subjectus est: unde 3) *appellatio* in caussis ecclesiasticis ad superiorem ecclesiasticum fieri debet ordine et instantiis servatis: quodsi 4) appellatio sit forte per saltum facta, ad intermedium remittenda erit. (r) *)

*) Appel-

(n) C. 14. 28. 60. 61. 65. et c. 21. de Appellat.
(o) C. 18. de Appellat.
(p) C. 15. de Restitut. spoliat.
(q) Trident. sess. XXIV. c. 20. de reform.
(r) C. 7. de appellat.

Tandem Appellatio III· est *prosequenda*, vel, ut ajunt, *justificanda*, quæ justificatio fit tum 1) quoad *formalia*, si appellans solennia appellationum rite servata, id est, eam recte interpositam, et introductam esse doceat, tum 2) quoad *materialia*, si gravamina sua singillatim vera justaque esse demonstret. Demum 3) appellatio finienda intra annum, ex caussa tamen gravi conceditur biennium. (z)

*) Ex diversa judicis declaratione *apostoli* a se differunt, suntque vel 1) *dimissoriales* in quibus judex dicit, se appellationi tanquam probabili deferre; vel 2) *refutatorii;* quibus nullam adesse appellationis caussam significat, adeoque frivolam appellationem arbitratur: vel 3) *reverentiales*, quibus declarat, se appellationem solum ob reverentiam judicis superioris admittere. Hodie loco apostolorum acta primæ instantiæ a judice a quo, ut diximus, sunt requirenda. In Bavaria nec declarata apud judicem inferiorem appellatione, nec petitis apostolis, nec actis requisitis, statim ad superiorem judicem recurritur. *Cod. jud. Bav. c.* 15. §. 1. *et* 6.

**) Si fatalia, seu tempus ad appellandum determinatum, negligantur, appellatio dicitur *deserta*, et sententia judicis *a quo* transit in rem judicatam (a). Jure germanico (b) ad introducendam appellationem quatuor menses, et duo insuper pro reproducenda appellatione conceduntur: jure bavarico pro appellatione contra sententiam *definitivam* regulariter dies sexaginta, contra sententiam *interlocutoriam*, quæ *probationem* injungit, triginta tantum dies per omnes instantias præsribuntur. Neque horum fatalium prolongatio, sed sola

(z) C. 5. 33. 44. de appell. c. 12. de rescript.
(a) Clem. 6. de appellat.
(b) R. J. N. §. 67.

in integrum restitutio contra lapsum eorum justis ex caussis indulgetur. *Cod. jud. Bav. c.* 15. §. 6. *Cf. Annotat. Lit. a. et f.*

§. 776.

V. *Effectus* receptæ appellationis fere sunt hujusmodi: 1) facta appellatione, nisi in caussis speciatim exceptis, sententiæ executio omnis *suspenditur*, et 2) caussæ totius cognitio, et decisio ad superiorem *devolvitur*: unde effectus prior *suspensivus*, hic *devolutivus* dicitur. *) 3) Tota caussa ad eum, in quo antehac tempore *litis contestatæ* fuerat, statum reducitur, proinde in priore judicio nondum probata probari, nondum deducta deduci queunt (c): nova tamen per testes probatio super iisdem, vel contrariis articulis, nisi ex gravi urgenteque ratione, non admittitur (d). 4) Appellatio utrique parti omnibusque litis consortibus proderit, si modo adversus *totam* sententiam sit interposita, et caussa omnium sit communis (e): sin adversus certa solum capita est appellatum, is, contra quem appellatur, quoad reliqua capita non fruetur beneficio appellationis, nisi eidem intra decem dies adhæreat. 5) Finito appellationis judicio prioris instantiæ sententia vel confirmatur, vel reformatur. a) Si *confirmetur*, tum temere appellante in expensas condemnato, acta ad judicem primæ instan-

(c) L. 4. Cod. de temp. appell. Item Jure germ. rec. deput. 1600. §. 114. et rec. J. Nov. §. 73. clem. 5. de appellat.

(d) C. 2. de testib.

(e) C. 72. de appellat.

instantiæ (f) remittuntur caussa vel *executionis*, si a sententia *definitiva*, vel *ulterioris cognitionis*, si a caussa *incidente* fuit appellatum. b) Si sententia *reformetur*, pars utraque solvet expensas, et judex, ad quem appellatum est, executionem decernere; vel, si a caussa incidente tantum appellatum est, vi juris canonici cognitionem et totius caussæ principalis decisionem sibi sumere potest (g).

*) Unde 1) quidquid post interpositam appellationem in litis jam ad superioris judicis cognitionem pertinentis præjudicium suscipitur, *attentatum* audit, quod ad preces appellantis mox per judicem appellationis revocandum est et corrigendum (h), 2) atque hi effectus jure canonico statim obtinent, quamprimum nuntius appellationis caussa ad summum Pontificem est missus, aut quis iter Romam arripuit (i). 3) Ne vero appellatio disciplinæ ecclesiasticæ officiat, effectu *suspensivo* destituitur in caussis correctionis paternæ, et disciplinaris, visitationis episcopalis, censurarum, quæ ante appellationem sunt latæ etc (k)

**) Hoc loco Syntagmatis mei editor Coloniensis hæc verba addidit: » Sed appellationes ad curiam Romanam utpote correctionem paternam eludentes » ex antiqua, et probata ecclesiæ disciplina hodie » amplius locum non habent. « Oraculum ex tripode!

(f) C. 59. de appellat.

(g) C. 59. 61.

(h) C. 56 62. de appell. c. 19. de judic.

(i) C. 22. de offic. jud. deleg. c. un. de cleric. peregrinant.

(k) Trident. sess. XXI. c. 1. de reform. et sess. XXIV. c. 10 de ref. c. 8. de off. jud. ord. c. 53. de appellat.

pode! Ergo omnes appellationes ad summam sedem *eludunt paternam correctionem?* exolevere omnes? Qui hæc cum legibus etiam imperii (Cf. §. 774. **) ac canonicis consonant? Alia certe olim tradidit D. Hedderich episcopalis Censor illius editionis, qui in elementis Jur. Can. (l) ita scribit: » Cum jus appellandi notione sua generaliori non sit nisi jus provocandi ad judicem superiorem, dum quis a judice inferiori se gravatum sentit, jus recipiendarum appellationum eo sensu rite inter essentialia primatus pertinere consequitur. « (Cf. §. 210. **)

§. 777.

Remedium extraordinarium contra sententiam judicis præterea est *restitutio in integrum,* (§. 729. *) Restitutio in integrum I. in defectu remedii ordinarii, et 1) majoribus quidem viginti quinque annis raro, nec nisi ex speciali caussa in jure probata, et ubi læsio aliorum dolo, aut violentia accidit, conceditur: (m) 2) minoribus contra, et quæ horum jure utuntur, ecclesiis, corporibus ecclesiasticis ob læsionem quamcunque etiam ex eorum facilitate, aut incuria evenientem facilius dari solet (n). 3) Hoc beneficio utitur ecclesia non modo contra laicos, et privatos; sed et contra aliam ecclesiam (o): quum enim illa de damno vitando, ista de lucro captando agat, satis

(l) P. I. §. 29.

(m) C. 2. 4. 6. de his, quæ vi metusve causa fiunt.

(n) C. 1. 3. 8. de in integr. restitut.

(o) C. 3. 5. de in integr. restit. c. 1. 2. eod. tit. in 6.

satis dispar utriusque est conditio (§. 729. *) II. Restitutio in integrum *petenda* est 1) a judice competente illius, contra quem quis restitui cupit, 2) intra spatium quadriennii a tempore *factæ*, vel si probabilis ignorantiæ excusatio adsit, *cognitæ* læsionis, aut sublati impedimenti. III. *Effectus* restitutionis in integrum est 1) ut per eam omnia in priorem statum restituantur; proin 2) ea pendente nihil innovari, nec 3) sententia executioni dari queat: nisi restitutionem moræ tantum nectendæ caussa per fraudem postulari appareat: quo casu victor præstita cautione sententiæ executionem petere potest (p): * 4) si per illam sententia vel negotium gestum rescinditur, res cum fructibus, nisi bona fide consumtis aut præscriptis, restitui debet, refusis tamen impensis in rem factis. (q) Ceterum hoc restitutionis beneficium, ecclesiæ, aut minorenni concessum, nisi caussa sit individua, laico aut majorenni etiam consorti haud prodest.

*) Effectus *suspensivus* restitutionis in integrum in Bavaria per decretum Elect. de A. 1766. 24. Sept. sublatus.

§. 778.

Huc pertinet quoque *Revisio* seu remedium extraordinarium*, quo a singularibus ad hoc deputatis acta prioris judicii, lataque sententia ad examen revocatur, et si æqua inveniatur,

(p) C. 6 de in integr. restit.
(q) C. 1. eod. tit. c. 11. de rebus eccles. non alienand.

... confirmatur, si iniqua, corrigitur. Porro revisio 1) vel in continenti vel ex intervallo peti potest in rebus, ubi appellationi propriæ locus non est. 2) In Bavaria revisio fere appellationis tum quoad fatalia, tum quoad alia naturam sequitur (r).

ARTICULUS VI.

De Reconventione, de Processu summario et possessorio, de Compositione litium extra judiciali per Transactionem et Arbitrium.

§. 779.

Non inopportunum erit heic de *Reconventione*, de qua antehac (§. 442. *) injecta mentio est, seu de mutua petitione breviter dicere. Sunt autem *mutuæ petitiones* generatim actiones inter litigantes erga se invicem apud eundem judicem motæ, quarum altera, quam actor adversus reum suscipit, *conventio*, altera, quam reus adversus actorem durante conventionis judicio instituit, *reconventio* appellatur. 1) *Reconventio* a multis in *propriam impropriam*que dividitur. a) *Propria* dicitur, quæ ante litem contestatam instituta effectu *simultanei processus* gaudet, (a) et eodem cum conventione judicio terminari debet: b) *impropria*, quæ post litem contestatam opponitur, et non processum quidem simultaneum; pro-

(r) Cod. Bav. Jud. c. 15. §. 13.
(a) C. 1. de mutuis petit.

prorogationem tamen jurisdictionis necessariam operatur. (b) Est ergo 1) reconventio utraque species *actionis*, et fundatur in *regula æqualitatis naturalis*: (c) »ut cujus in agen»do quis observavit arbitrium, eum habere »etiam contra se judicem in eodem judicio »non dedignetur,« Porro ex eo, quod reconventio sit species *actionis*, inferrimus, 1) quod omnes reconvenire possint, qui possunt agere: 2) quod reconventio locum habeat in omni caussa, sive connexa, sive diversa, tum seculari, tum ecclesiastica; (d) si modo 3) judex caussæ reconveniendæ sit capax: *) et judicium conventionis adhuc duret. Nam usque ad sententiam reconventio jure canonico (e) admittenda videtur. **) Ex altera regula colligimus, 1) quod conventio institui possit coram eodem judice sive ordinario, sive delegato, etsi actor foro privilegiato gaudeat: (§. 442. *) item 2) coram judice sive competente, sive incompetente; eoquod reconventio vim prorogationis (§. 738.) habeat. Attamen 3) coram arbitro ex compromisso assumto ob defectum jurisdictionis, et ob arctos compromissi limites institui reconventio nequit: nec 4) reconventio, eoquod primæ instantiæ beneficium arctori eripi nequeat, (f) in

(b) C. 3. de rescript. in 6. c. 2. de ordin. cognit.
(c) C. 1. causs. 3. q. 8. L. 14. Cod. de sent. et interloc.
(d) C. 5. de except. c. 12. de fid. instrum.
(e) C. 3. de rescript. in 6.
(f) Arg. ex Clement. 5. de appellat.

in appellationis instantia locum habet. Aliud foret, si tantum extrajudicialis appellatio mota fuisset. (g)

*) Quocirca reconventio 1) in caussis *spirituali*, coram judice laico jurisdictionis spiritualis prorsus incapace instituti nequit. (h) Item nec 2) caussa *feudalis* in foro, ubi mere de allodiis agitur, agitari per reconventionem potest; neque 3) reconventio in caussa *spolii*, ubi spoliatus restitui ante omnia debet, admittenda. (i)

**) Nempe *reconventio propria*, ut diximus, initio litis proponenda, et eodem judicio terminanda est. Quæ serius proponitur, non quidem, ne conventio retardetur, actorisque conditio deterior fiat, eodem, et simultaneo processu debet finiri; attamen finito conventionis judicio in foro eodem potest disceptari.

§. 780.

Quum in *Processu summario* omissis solemnitatibus substantialia solum judicii observentur; (§. 731.) patet, illum absolvi 1) narratione facti, 2) citatione rei, 3) responsione hujus et defensione, 4) probatione necessaria, 5) simplici caussæ cognitione et 6) sententia.

§. 781.

Caussæ *summariæ* sunt vel *per se*, et ex legis dispositione, vel per *accidens* tales. Jure canonico *summariæ* I. *per se tales* sunt 1) caussæ spirituales, 2) matrimoniales, 3) beneficiales, 4) caussæ decimarum, 5) usurarum, 6) caussæ pauperum, viduarum, (k) II. caussæ

per

(g) C. 1. de elect. in 6.
(h) C. 2. de judic.
(i) Arg. ex c. ult. de ordine cognit.
(k) Clement. 2. de judic.

per accidens summariæ fiunt 1) per rescriptum Principis, 2) per consensum litigantium, si processum fieri summarium præoptent.

§. 782.

Processibus summariis fere accensetur itidem *possessorius*, (Cf. §. 731.) in quo de adipiscenda, retinenda, recuperanda possessione agitur. Possessorium dividunt in *ordinarium*, et *summarissimum*, seu momentaneum. I. In *ordinario* antiquior possessio, ejusque qualitas et justitia, examinatur, quod frequenter per processum etiam ordinarium fit: 2) in momentaneo autem possessio novissima, nulla temporis, aut modi, quibus ea obtenta est, ratione habita, summarie investigatur, et possessio velut ad momentum adjudicatur. 3) Is, qui in summarissimo succubuit, agere potest de possessorio ordinario, et qui possessorium ordinarium per sententiam amisit, de proprietate adhuc in petitorio coram eodem judice agere potest, modo sententiæ priori satisfecerit, et *spoliatus*, id est, rei, vel juris possessione dejectus, in possessionem sit restitutus, *) quod ante omnia, nisi in casibus exceptis, **) fieri debet. 4) Per jus canonicum fas est in eodem judicio simul de præsenti, vel momentanea, et antiqua possessione agere, seu *possessorium summarissimum*, et ordinarium *cumulare*: 5) item eodem jure probabilius licet rei possessionem, et proprietatem simul prosequi, seu cum *possessorio cumulare petitorium*; aut etiam

suspenso interim petitorio solum possessorium continuare. (l)

*) Nam quivis possessione spoliatus contra spoliantem, immo contra tertium malæ fidei possessorem agere potest, ut ante omnia in possessionem restituatur (m); quod nisi fiat, efficaciter conveniri nequit. Quare 1) si *actor* restitutionem spolii petat, ante factam restitutionem nulla exceptio rei, nulla Reconventio attenditur: 2) si *reus* actori spolii exceptionem objicit, actor nisi facta possessionis restitutione non auditur, nec reus respondere actori tenetur, priusquam restitutus sit: dummodo reus exceptionem suam intra quindecim dies probaverit (n). 3) Si actor et reus *mutuo* sibi spolium objiciunt, si a) de *re eadem*, tum ultimo spolians restituere tenetur, si velit audiri: si b) de re *diversa*: tum quidem, si reus objecerit spolium per modum exceptionis, reus non tenetur respondere, nisi antea restitutus: quia major in jure est favor rei, quam actoris, aliud est, si reus actorem de spolio solum reconveniat; tunc quippe, qui in conventione reus erat, in caussa reconventionis actor est; nec proin eodem juris favore fruitur (o). 4) Denique jus utrumque violentiæ, et spolio adeo resistit, ut jure Rom. (p) is, qui rem suam ab altero possessam violentia adhibita occupat, non modo possessionem, sed et rei dominium amittat, jure

(l) C. 3. 4. 5. 6. de causs. poss. Clem. un. ibi. Cf. Schrodt Inst. Jur. C. P. II. §. 217. seqq.

(m) C. 4. redintegranda, causs. 3. q. 1. c. 1. 18. de restit. spol.

(n) C. 1. de restit. spoliat. et c. 1. eod. in 6. c. 2. de ord. cognit. Clement. unic. de causs. possess.

(o) C. 2. et 4. de ordine cognit. Cf. Boeckhn Decr. L. II. tit. 13. n. 17. seqq.

(p) L. 7. siquis in tantam. Cod. unde vi.

jure autem canonico (q) is, qui beneficium per vim occuparit, omni, quod in illud habere potuit, jure excidat. Attamen

**) Restitutio haud facienda 1) si absque animæ, aut corporis periculo fieri nequeat (r); 2) si spoliatus rei possidendæ sit plane incapax, aut 3) eidem jus commune resistat (s): nisi forte spoliatio longioris temporis possessio (t) suffragetur: 4) si spolians, vel tertius liquido, et in contenti rei dominium demonstrare possit. c. 2. *de restit. spoliat. in* 6.

***) *Possessio* insignes habet in jure *effectus*. 1) Possessori in jure certa dantur remedia, seu interdicta suam in judicio possessionem defendendi. 2) Possessor etiam privata auctoritate se sua in possessione potest tueri, et ereptam sibi possessionem in continenti sibi vindicare (u). 3) Possessor regulariter liber est ab onere probandi. (§. 758.) 4) In pari caussa melior est conditio possidentis (x). 5) Possessio cum justo titulo ac bona fide tribuit jus percipiendi fructus, hosque faciendi suos: paritque 6) conditionem usucapiendi (y). Ceterum si duo possessorium ordinarium sibi competere contendunt: 1) ei possessio adjudicatur, qui possessionis jus a) aut *unus*, aut b) *fortius*, aut c) qui *antiquiorem* probaverit possessionem: nam hoc casu recentioris possessoris actus eo usque pro turbativis et vitiosis habentur, donec justum suæ possessionis titulum ostenderit. 2) Si

(q) C. 18. de præb. in 6.
(r) C. 8. de restit. spoliat.
(s) C. 2. eod. tit. in 6.
(t) C. 3. de causs. poss. et propriet.
(u) C. 12. de restit. spoliat. L. 17. Dig. de vi et vi armant.
(x) L. 3. § 9. Dig. uti possidetis.
(y) Cf. Bœckh comm. in Decr. L. II. tit. 12. n. 28. sqq.

ambo *æqualiter* probent possessionem ; secundum normam interdicti: *uti possidetis, ita possideatis*: utrique adjudicatur possessio pro indiviso: ut quisque tantum obtineat, quantum probavit, aut ambo concurrant in exercendis actibus, aut de loco, tempore, modo inter se conveniant. Quodsi concordiæ spes non sit, potest decerni sequestratio: donec transegerint, aut unus in petitorio victor evaserit. *Cf. Pl. Böckhn comm. Decr. L. II. tit.* 12. *n.* 64.

§. 783.

Superest, ut pauca dicamus de *extrajudiciali litium compositione*, quæ fit *conventione* litigantium, vel per assumtos *arbitros*. Est autem *conventionalis* compositio litigantium vel 1) *gratuita*, seu gratis, et deliberato animo facta remissio juris ad evitandum litigium, quæ item amicabilis compositio appellatur; vel 2) *onerosa*, quæ et *transactio* dicitur, seu conventio, qua res dubia dato aliquo, aliquo retento, vel promisso deciditur. De his jam notanda:

§. 784.

Conventionalis litis decisio I. *tum gratuita, tum onerosa* solum valet, ubi nec lex, nec boni mores, nec alia pactio obstat. Unde non valet 1) in rebus, quæ non sunt privati arbitrii, 2) quando in damnum tertii, ecclesiæ præsertim cedit, 3) ubi peccandi periculum subest; 4) aut aliorum consensus necessario requisitus deficit (z): 5) nec valet, si partes libere non consentiant: nam licet judex ad par-

tes

(z) C. 4. 5. 7. de pactis c. 8. de transact.

tes componendas impendere operam possit debeatque (a); eas tamen invitas, nisi quum publica fors utilitas hoc efflagitaverit; ad id cogere nequit; II. *Effectus* compositionis onerosæ aut gratuitæ, modo nec vi, nec dolo, neo alio illicito modo extorta, sed rite sit facta, fere sunt, 1) quod *jus* et *obligatio* inter paciscentes, non vero inter alios inde exurgat, quod 2) rei judicatæ vim habeat (b), 3) exceptionem peremtoriam ingressum litis impedientem pariat, 4) actionemque intuitu caussæ transactæ tollat (c), nisi beneficio restitutionis in integrum concesso agendi facultas reddatur (d).

*) Quæ semel per transactionem partium decisa, ex capite quidem doli, et minorennitatis; non vero ex capite læsionis, erroris, instrumentorum noviter repertorum, vel inspectorum, nec alia ratione impugnari possunt. *Cod. Jud. Bav.* c. 17. §. 1.

§. 785.

Alter extraordinarius litis decidendi modus est *arbitrium*, seu sententia *arbitrorum*. *Arbiter* autem est, cui a partibus litigantibus litis decisio defertur; *arbitrator*, cui ab his, qui in ineundo negotio dissentiunt, rei compositio committitur. *) Sunt porro *arbitri* alii, quibus ex dispositione juris, alii, quibus ex com-

---

(a) C. ult. de transact. c. 1. de mutuis petitionib.
(b) C. 5. 8. de transact.
(c) C. 1. de litis contest. in 6. c. 1. de transact. c. 20 de sent. et re jud.
(d) C. 3. de in integr. restit. L. 1. 2. Cod. si advers. transact.

compromisso seu partium conventione caussæ decisio committitur, illi a) *arbitri juris, legales*, aut necessarii, isti b) *arbitri voluntarii*, et *compromissarii* appellantur. I. *Arbitri juris* vocabantur 1) *jure romano* a) judices a Prætore in bonæ fidei, et arbitrariis judiciis dati: b) qui conciliandis partibus sine compromisso dabant operam: c) qui in contractibus aliquid definiebant (e): demum d) qui ad fidejussorum sufficientiam probandam constituebantur, a quibus appellari poterat (f): 2) *Jure canonico* arbitri juris constituendi sunt a) in caussa *suspicionis* judici objectæ (g): item b) si diversi judices de revocatione literarum apostolicarum dissentiant (h): c) si Episcopus cum clero sibi subjecto controversiam habeat (i). II. De *arbitris voluntariis*, qui per compromissum partium assumuntur, rem omnem his absolvimus quæstionibus: 1) *qui*, et 2) a *quibus eligi* arbitri queunt? 3) quanta *arbitrorum* est *potestas*: et quibus *modis cessat*? Porro I. *arbitri eligi* queunt 1) judices etiam ordinarii k), et 2) omnes, qui et judices esse possunt; 3) in caussis ecclesiasticis non-

(e) L. 15. pr. Dig. de re jud. L. 13. §. 3. Dig. de recept. et qui arbitrium receperunt. L. 76. Dig. pro socio.

(f) L. 9. Dig. qui satisdare cogantur.

(g) C. 39. de offic. jud. deleg. c. 4. et 11. eod. tit. in 5.

(h) C. 14. de rescript.

(i) C. 46. causs. 11. q. 1.

(k) C. 10. de arbitr.

nonnisi clerici, aut consentiente ecclesiastico Superiore una cum illis etiam laici (l), 4) feminæ etiam, modo jurisdictione ordinaria (m) gaudeant: 5) unus aut plures, si consentiant; cogi enim ad suscipiendum arbitrium nemo potest: semel autem receptum abjicere fas non est. II. Arbitros *eligere* seu in eos *compromittere* possunt, 1) qui liberam rerum administrationem habent, 2) in caussis privati arbitrii, 3) non in caussis matrimonialibus, criminalibus, aut spiritualibus, nisi quatenus de iis transigi potest (n). III. Arbitrorum *potestas* 1) tum ad *caussam*, ad quam eliguntur, tum 2) ad *formulam* compromissi, quo eliguntur, est restricta: 3) unde pluribus electis pauci, nisi id compromittentes concesserint, dicere sententiam nequeunt (o). Aliud tamen statuitur in jure canonico, vi cujus tribus arbitris electis uno interesse nolente reliqui duo dicere sententiam poterunt (p). 4) Vota arbitrorum *majora* valebunt, aut 5) si sint *paria*, ad superarbitrum (Obermann, Obirmann) eligendum cogi (q) possunt. 6) Sententia arbitrorum (*laudum*) si intra decem dies impugnata non sit, *laudum homologatum* adpellatur, adversus quod equidem appellatio opponi nequit; verosimilius tamen contra laudum, ut quod

(l) C. 8. et 9. eod. tit.
(m) C. 4. eod. tit.
(n) C. 9. de in integr. restit.
(o) L. 17. §. fin. Dig. de Recept. et qui arbitrium receperunt. L. 27 §. 3. Dig. eod. tit.
(p) C. 2. de arbitr. in 6.
(q) C. 61. de appellat. c. 39. de offic. jud. deleg.

quod judicis sententia firmius censeri nequit, intra decendium sive provocatio ad judicem ordinarium, sive reductio boni viri locum habere videtur. 7) Pœnam in eum, qui laudo non steterit, statutam solvendi a laudo recedere licebit, nisi fors clausula: *salvo manente compromisso*, fuisset adjecta. IV. *Finitur* arbitrium vel *arbitrorum potestas* 1) morte arbitrorum, vel compromittentium, nisi hæredum quoque nomine sit compromissum, 2) lapsu temporis præfixi, 3) sententia ab arbitris pronuntiata, 4) mutua remissione, 5) adito judice, 6) inita transactione (r).

CAPUT II.

De Delictis, Pœnis, ac Judicio ecclesiastico criminali.

ARTICULUS I.

De Judicio ecclesiastico criminali.

§. 786.

Quum in ecclesia sacrum veri nominis existat Imperium; (§. 24. seqq.) in eadem quoque non solum leges pro bono ecclesiæ *ferendi*, et de actionibus fidelium, an his legibus consentiant, *judicandi*, sed legum etiam observantiam *pœnalibus sanctionibus* urgendi, et legum prævaricatores *puniendi* potestatem, atque adeo *jurisdictionem criminalem* existere nemi-

(r) L. 27. §. 1. L. 21. §. 8. L. 32. §. 3. L. 9. §. ult Dig. de receptis, et qui arbitrium receperunt.

nemini dubium esse potest. (§. 5. seqq. et §. 28. 29.) (a)

*) Generatim 1) pæna est justa coërcitio delicti per inflictionem mali; 2) delictum est libera legis prævaricatio pœnis digna. 3) Jurisdictio criminalis est publica potestas delictorum reos pœnis adficiendi. 4) Pœnæ rursus sunt a) spirituales, quæ versantur circa bonum quoddam spirituale reo adimendum; vel b) temporales, queis reus jure, aut re temporali privatur, excluditurve; vel corporales, quæ ipsum rei corpus affligunt, torquent.

§. 787.

Prioribus ecclesiæ seculis 1) gravia quævis delicta sive a laicis sive a clericis commissa pœnis ecclesiasticis jam privatis jam publicis subdebantur: *) atque 2) hac coercitio in *laicos* et *clericos* ab Episcopis præsertim, accedente presbyterii consilio, in *Episcopos* autem a conciliis provincialibus potissimum fuerat exercita; subinde Episcoporum caussæ criminales sensim ad Pontificem Rom. devolvebantur. (b) 3) *Forma* autem judicii criminalis ecclesiastici admodm simplex erat et tricarum forensium expers; nec forum internum ab externo fuit secretum.

*) Pœnæ, a judicibus ecclesiasticis infligi solitæ, inquit Fleurius (c) »vel mere spirituales sunt, »ut depositio vel excommunicatio, vel aliquid »seculare involvunt, ut condemnatio ad eleemo-»synas

(a) Vid. Ultheimer Diss. de potestate punitiva ecclesiast. et sec. Bamb. 1772. Van Espen J. Eccl. univ. P. III. tit. XI. c. 1.

(b) Cf. Trid. sess. 13. c. 6.

(c) Instit. jur. eccl. p. 3. c. 18.

»synas, fustigatio, carcer. Prioris generis pœnæ »ita sunt propriæ ecclesiæ, ut eas semper exer»cuerit etiam in maximo persecutionum æstu; »posterioris generis pœnæ, quæ coactionem »quandam involvunt, pariter antiquis auctorita»tibus nituntur. Nam ab omni tempore eccle»sia peccatoribus pœnitentibus eleemosinas, je»junia, aliasque afflictiones corporis imperavit, »impenitentibus absolutionem denegavit, eosque »si diu hærerent in vitio, neque ad pœnitentiam »vel satisfactionem proni essent, excommunicavit, »Augustinus fustigationis per Episcopos exercitæ, »ad exemplum dominorum, qui servos, paren»tum, qui liberos, magistrorum, qui discipulos »castigarent, meminit etc. in epist. ad Marcell. »c. 1. causs. 23. q. 5. Cf. Annot. in Cod. civ. Bav p. 5. c. 19. §. 41. n. 1. *Cf. Thomassin P. II. L. 3. c. 79.*

§. 788.

Verum seculis posterioribus, præsertim quum facta esset fori exterioris ab interno et pœnitentiali separatio; Presbyteris in foro interno pœnitentiali delicta occulta, aut leviora fuere relicta; publica majora foro externo seu judicio ecclesiastico reservata sunt, quibus tum pænitentiæ illæ, quæ pridem ad correctionem delictorum fuere dictatæ, tum aliæ pecuniariæ corporalesque etiam in modum judicii forensis per sententiam judicis impositæ, per publicos justitiæ ministros inflictæ, et executioni mandatæ. (d) Atque exinde adoptatis juris civilis formulis, et ambagibus, in foro exteriore modus judicii criminalis eccle-

siastici

(d) Vid. Van Espen J. Eccl. univ. P. III. tit. 11. c. 1. n. 3. seqq.

siastici a seculari tam quoad processum *inquisitorium*, quam *denunciatorium* et *accusatorium* parum jam differt. *)

*) De *inquisitionum tribunalibus*, quæ a plus quam quingentis annis paullatim hæresum aliorumque criminum extirpandorum caussa per Italiam, Hispaniamque et alias quasdam regiones constituta fuere; de *processu inquisitionis* in his tribunalibus recepto strictim agit. *Fleury instit. Juris eccles. P. III. c. 9. et 10.*

§. 789.

Mutata igitur judiciorum ecclesiasticorum forma in processu criminali ecclesiastico delicta ecclesiastica in judicium deducuntur 1) per *accusationem*, 2) *denuntiationem*, 3) *inquisitionem*. Inde triplex genus processus *accusatorii*, *denuntiatorii*, *inquisitorii*.

*) *Processus criminalis* vel est a) *ordinarius*, qui instituitur ad accusationem præcedentem, vel b) *extraordinarius*, qui per viam inquisitionis peragitur. *Inquisitio* autem fit vel ad *denunciationem* antea factam, vel quandoque etiam denuntiatione non præcedente.

§. 790.

Accusatio heic est delatio delicti et personæ delinquentis facta apud judicem ecclesiasticum publicæ vindictæ, et pœnæ caussa. Videndum heic I. a quo *accusatio* fieri possit? II. quis *Modus accusationis*? III. qui *Effectus*? I. *Accusare* vulgo *nequeunt* 1) clerici laicos in judicis criminali seculari; (e) attamen ob suam suorum-

(e) C. 9. ne Clerici vel Monachi.

suorumque injuriam civiliter judicem implorare possunt, tantum non ad vindictam sanguinis; 2) laici non admittuntur vulgo ad accusandos solenniter clericos: (f) repelluntur item 3) excommunicatione majori irretiti: (g) 4) inimici, eorumque familiares, 5) alii, qui jure quoque civili prohibentur, aut fidem non merentur. (h) II. *Accusationis modus* est, ut 1) accusator fit præsens, 2) se ad talionis pœnam, si crimen non probaverit, in scriptis obliget, (i) quod tamen usu receptum haud est; 3) nec solet procurator vice seu actoris seu rei admitti; nisi forte, ut hujus absentiam excuset. III. *Effectus* accusationis est, quod 1) accusatus pendente accusatione a muneribus publicis suspendatur; 2) ad novas dignitates admitti, aut 3) accusatorem, quod ajunt, recriminare, nisi forte de graviore crimine, nequeat. (k)

§. 791.

Denuntiatio est simplex criminis occulti facta Superiori revelatio: 1) *evangelica*, quæ ad Superiorem ceu Patrem rei emendandi caussa, 2) *judicialis*, quæ fit ad eundem ceu judicem damni privati reparandi gratia. Illa fit

1)

(f) C. 10. de accusat.
(g) C. 7 de judic.
(h) C. 13. 19. de judic. c. 6. seq. causs. 3. q. 5.
(i) C. 4. Causs. II. q. 1. et c. 4. Causs. II. q. 8. c. 16. de Accusat.
(k) Arg. c. 2. de purg. can. c. 4. de accusat. c. 1. 2. 4. causs. 3. q. 11.

1) præmissa fraterna correctione, (l) 2) secreto, 3) absque obligatione crimen probandi; attamen accusans sæpe tenetur suggerere testes, indicia, probationes, ut procedi possit ad inquisitionem. Porro

§. 792.

Inquisitio est actus, quo judex, an, et a quo commissum sit crimen, ex officio inquirit: a) *generalis* est, qua generatim in delictum, ejusque auctorem, b) *specialis*, qua in certam personam, an delicti sit rea, inquiritur. I. Ad *generalem* sufficit 1) delictum esse patratum, 2) rumorem de eo commisso volitare, aut 3) aliquam adesse de crimine commisso justam suspicandi rationem; II. ad *specialem* requiritur, 1) ut de corpore delicti constet, 2) isque in quem inquiratur, merito de crimine suspectus, aut infamis sit. (m). Ceterum generalis inquisitio sæpe præmittitur, ut hac ratione ad specialem veniri possit.

*) *Torturæ* usum reprobant, et ex foris christianis eliminari exoptant quidam ex eo, 1) quod, ubi de crimine plane constat, etiam sine confessione ad pœnam ordinariam procedi queat, proindeque tortura porro mutilis sit: 2) quod, si confessi soli damnentur, *nocentes* torturæ exantlandæ spe inducti ad peccandum proniores sint futuri: 3) quod ea uti in homines, de quorum scelere nondum liquet, ab humanitate et æquitate alienum videatur: 4) quod tortura anceps ac incertum explorandæ veritatis sit medium etc. Alii contra usum ejus circumspecte adhibitum defendunt. Omnes

(l) Math. XVIII. 15.
(m) C. 19. 21. 24. de Accusat. et c. 2. eod. in 6.

nes eam nonnisi tunc, ubi alia explorandæ veritatis, ac tuendæ administrandæque justitiæ publicæ remedia deficiunt, recte adhiberi posse facile conceduut. Cf. *Van Espen Jur. eccl. univ. P. III. tit. 8. c. 3. n. 28. seqq.*

§. 793.

Quodsi facta inquisitione persona indiciis gravata invenitur; 1) ea pro ratione criminis et personæ, custodiæ vel carceri potest mancipari; 2) inde ad particulos positos respondere cogitur; 3) testes audiuntur; 4) aliquando satis gravatus, attamen crimen confiteri nolens, torturæ subjici solet; *) 5) aut si sola infamia, vel suspicionibus laboret, deficientibus aliis probationibus ad purgationem canonicam per jusjurandum, tactis SS. Evangeliis nuncupandum, (n) admittitur: **) 6) Demum lata sententia aut *absolvitur*, aut convictus vel confessus, vel aliquando etiam præsumtionibus violentis (o) gravatus ad pœnam ordinariam; aliquando ob varias rationes ad extraordinariam condemnatur.

*) Modus purgationis canonicæ olim varius obtinuit. Ea peragebatur 1) jam per sumtionem, 2) aut consecrationem eucharistiæ, (p) jam per jusjurandum tum ab accusato, tum a compurgatoribus (consacramentales appellabantur) dictum. (q) 4) Episcopi delicta minora per assertionem se iam sufficienter purgasse sæpe credebantur. *Vulgares pur–*

(n) C. ult. de purgat. can.
(o) Arg. c. 12. de Præsumtionib.
(p) C. 4. 8. 23. causs. 2. q. 4.
(q) C. 1. de purgat. can. Germanis in processu criminali sufficiebant consacramentales septem; unde fors ortæ voces: Besibnen, übersibnen.

purgationes, sub *Ordaliæ*, *Ordalii*, *judicii Dei* nomine notæ, queis non sine superstitionibus, et tentatione Dei per duellum, ignem, ferrum candens, per aquam ferventem, aut frigidam, per provocationem ad judicium Dei, per crucem (durch Wasser- Feuer- Kreuzprobe etc.) sese purgare homines rudes et superstitiosi volebant, non modo SS. canonibus, (r) sed et Principum legibus prohibentur; unde adhibitæ non modo non excusant, sed et nova pœna castigari merentur. De purgationis vulgaris speciebus, usu, ritibus, reprobatione vid. Van Espen J. Eccl. univ. P. III. tit. 8. c. 4.

ARTICULUS II.

De Pænis Ecclesiasticis.

§. 794.

Detectis per processum criminalem delictis determinatæ legibus, aut arbitrio judicis dictantur, infliguntarque pœnæ, quæ 1) sunt vel *spirituales*, si jus aut bonum quoddam spirituale adimunt, vel 2) *temporales*, si inflictione mali aut privatione boni temporalis absolvantur, quæ, si ad affligendum corpus pertinent, *corporales* dici solent *) (§. 786.) Utræque sunt vel 3) *positivæ* vel *privativæ*, prout earum executio vel inflictione mali positivi, vel, subtractione boni peragitur; item 4) sunt aut *ferendæ*, aut *latæ* sententiæ; prout ad eas incurrendas sententia condemnante est, vel non est opus; ** 5) *medicinales*, quæ in-

 pri-

(r) C. 7. et 20. Causs. II. q. 4. c. 9. ne Cleric. vel Monachi c. 1. 2. 3. de purgat. vulgar. c. 8. de purgat. can. c. 16. de excess. Prælat.

primis emendationem delinquentis, *vindicativæ*, quæ vindictam criminis proxime respiciunt. ***)

*) Pœnas etiam corporales ab ecclesia inflictas, siquidem ex parte caussæ efficientis et finalis considerentur, posse magis *spirituales*, quam *temporales* dici, non desunt, qui autument. *Cf Boehmer tit. de pænis* §. 3.

**) Pœna scilicet *latæ sententiæ* dicitur, quam lex aut judex actu constituit, quæ proin ipso facto, et criminis admissione incurritur, ita, ut ad eam incurrendam nunquam *sententia condemnante*, sed summum quandoque sententia *declaratoria* sit opus: *pæna ferendæ sententiæ*, quæ etiam *comminatoria* appellatur, est illa, quam lex aut judex minatur tantum infligendam, aut jubet infligi; quæ propterea non ipso facto vel delicto incurritur, sed per sententiam condemnatoriam infligitur. Ceterum pœnam esse 1) *latæ sententiæ*, colligunt a) ex formulis his vel similibus: *ipso jure, eo ipso, ipso facto, statim, mox* sit *suspensus, excommunicatus:* b) ex verbis *præsentis* aut *præteriti temporis; suspendimus, excommunicamus, noverit se suspensum:* item c) ex *imperativi* temporis verbis: *excommunicationi subjaceat:* nisi hæc verba ad judicem dirigantur, eique officium, censuram infligendi, committatur. Demum d) ea verba: *anathema sit, vulgo* latæ sententiæ pœnam dicuntur innuere. 2) *Ferendæ sententiæ* pœnas exprimunt a) verba *futurum* indicantia: *excommunicabitur,* item b) sub *interminatione anathematis*: demum c) quum alicui præcipitur, ut pœnam dictet, censuram ferat; *jubemus, volumus suspendi, excommunicari.* In dubio, eoquod *in pænis benignior interpretatio facienda est* (a), pœna, aut censura *ferendæ* potius, quam latæ *sententiæ* est credenda.

***) Cir-

(a) Reg. jur. 49. in 6.

***) Circa poenas ecclesiasticas has tenemus regulas: I. quoad quasvis pœnas *positivas* semper sententia saltem *declarante* est opus, nam ante illam in seipsum pœnam exequi ab humana imbecillitate alienum videtur. Ex eadem ratione II. quoad pœnas *privativas*, siquidem 1) jure jam *quæsito* privent, regulariter, nisi jus speciatim aliud constituat (b), reus ante sententiam saltem declaratoriam jus suum ipsemet abdicare debere non videtur; excipe tamen censuras, irregularitates, jus petendi debitum conjugale etc., ubi lex conceptis verbis aliud decernit. Quodsi 2) de jure primum quærendo agatur, pœnæ latæ sententiæ ante omnem judicis sententiam obligant, quum inhabilitatem ad acquirendum inducant. III. Ubi sententia *condemnans* ad pœnas incurrendas requiritur, a die *latæ sententiæ*, ubi *sententia* tantum *declarante* opus est, *a die commissi* criminis poena effectum sortitur.

§. 795.

Inter pœnas ecclesiasticas *medicinales* præci-
ue habentur *censuræ*. Est autem censura
œna *spiritualis*, qua homini baptizato delin-
uenti et contumaci, donec resipiscat, quorum-
am spiritualium, quorum dispensatio eccle-
æ concredita est, bonorum usus aufertur.
ensuras varie dividunt: alia enim est 1) a
ıre, quæ per legem statutumve perpetuum
ı omnes legis certæ prævaricatores fertur:
.ia ab *homine* per singularem sententiam vul-
ɔ in certam ac determinatam personam lata:
) utraque est *latæ* vel *ferendæ* sententiæ.

 (§.

(b) E. g. C. 14. de Elect. in 6. dimittenda parochia ab eo, qui intra annum ad sacerdotium non est promotus.

(§. præc.) 3) *Species* censurarum sunt *excommunicatio*, *interdictum*, *suspensio.* (c) Heic quædam I. de censuris *generatim*, tum II. de earum *speciebus* monenda.

§. 796.

De *censuris generatim* hæc notanda: I. *censuras ferendi potestas* nonnisi Superioribus ecclesiasticis competit, qui sacram jurisdictionem, quæ nec appellatione prævia, nec voluntate Superioris, nec excommunicatione majore impedita est, in foro externo habent. Tales sunt 1) Papa, 2) Episcopi, eorumque Vicarii, 3) Concilia 4) Capitula sede vacante, 5) Prælati, qui jura episcopalia tenent, etc. *) Potest item censuras ferendi potestas consuetudine, privilegio, aut præscriptione obtineri II. *Caussa* ferendæ censuræ est 1) culpa gravis, saltem intuitu censuræ gravioris, 2) verosimilius solum externa, et 3) cum contumacia conjuncta. (d) Unde III. *caussæ* a censura *excusantes* sunt 1) quidquid a peccato vel omni vel gravi excusat: nempe 2) impotentia moralis, qua stante lex ecclesiastica vulgo non obligat, 3) ignorantia invincibilis facti, et juris ecclesiastici præcipientis; immo quum requiratur contumacia, excusat verosimilius 4) sola censuræ ignorantia, saltem quæ crassa aut affectata non fuerit (e). IV. *Forma ferendi*

(c) C. 20. de V. sign. c. 1. 13. de sent. Excom. in 6.
(d) C. 23. de verb. sign. c. 48. de sent. excomm.
(e) C. 48. de sent. excomm. c. 5. 9. eod. tit. in 6.

di censuras est hujusmodi: 1) quodsi censura per modum sententiæ judicialis infligenda sit, trina, vel una peremtoria præcedat (f) necesse est admonitio, et sententia, si videbitur, publicanda; 2) si censura a *canone* constituta et simul sit *sententiæ latæ*, tum quidem ipsam legem *monitionis* vice fungi vulgo adserunt: at enim, num hoc asserto difficultas sit sublata viri multi gravesque merito dubitant (g). V. *Absolutio a censuris* his generatim regulis dirigitur: censura 1) lata ab *homine* nonnisi ab eodem, vel ejus delegato, successore, aut superiore relaxari potest: 2) lata *a lege*, nisi reservata sit speciatim summo Pontifici aut Legislatori, ab Episcopo; immo pro foro interno cujusvis confessarii absolutione tollitur. 3) In articulo et periculo mortis a quovis sacerdote quæcunque censura relaxari potest. Hoc tamen casu si censura sit reservata, absolvendus juramento præstito se obligare debet: quod cessante impedimento Superiori se sistere velit; id facere si neglexerit, in eandem recidet censuram (h).

*) Quum censuras ii solum, quibus jurisdictio in foro externo competit, et in sibi subjectos tantum

(f) Arg. ex c. 2. de constit. in 6.

(g) Cf. Pistoriens. Synod. act. sess. XXI. Maynzer Monatschrift von geistl. Sachen 1790. mense Jul. pag. 541. Vid. item Grundsätze zur Herstellung der Eintracht politisch und kirchl. Macht. §. 25. pag. 45. et pag. 88. Cf. van Espen J. eccl. un. P. III. tit. 11. c. 6.

(h) Trid. sess. XIV. c. 7. de pœnit. c. 29. de sent. excomm. et c. 22. eod. tit. in 6.

ferre queant, colligimus: 1) censuris Ordinarii vulgo nec ligari ab ejus jurisdictione exemtos; nec 2) subditos, qui extra Episcopi sui territorium delinquunt, censuris per ejus statuta latis subjacere. (i) At vero 3) subditos in propria sua Diœcesi delinquentes, etsi deinceps in alienum territorium fugerint, Episcopi sui censuris ligari: item 4) extraneos etiam in aliena diœcesi delinquentes, eoquod ratione delicti forum fortiantur, (k) in hac posse censuris castigari.

§. 797.

Inter censurarum species primo loco occurrit *excommunicatio*; *) seu pœna medicinalis ecclesiastica, quæ hominem baptizatum communione ecclesiæ vel omni prorsus, vel ex parte privat: scilicet alia est 1) excommunicatio *major*, quæ privat omnibus ecclesiæ bonis spiritualibus communibus; imo convictu, consortio, salutatione, colloquio fidelium; alia 2) *minor*, qua quis excluditur jure recipiendi sacramenta, et electionis passivæ ad dignitates, ac beneficia ecclesiastica. Hæc, uti et excommunicatio latæ sententiæ recentioris disciplinæ est. **) *Excommunicatio major* ceu summum coërcitionis ecclesiasticæ genus I. *infligenda* 1) solum propter grave et ecclesiæ noxium crimen cum contumacia junctum, non propter res mere temporales, pecuniarias, aut privatas injurias, 2) maturo consilio, et caute; 3) aliis remediis frustra adhibitis, 4) raro. (l) II. *Effectus* ejus 1) *ecclesiastici* quidem contra

(i) C. 2. de constitut. in 6.
(k) C. ult. de foro compet.
(l) *Trident.* sess. XXV. c. 3. de reform.

ontra quæcunque ecclesiæ membra, atque deo etiam contra Principes valent; 2) *temorales* nunquam contra Principes, neque ontra alios invito Principe obtinent. ***)

*) Receptum quoddam apud Germanos gentiles excommunicationis genus Julius Cæsar memorat his verbis; »Illi (Druides, sacrificuli) præmia pœnasque constituunt. Siquis aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum et sermonem defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant. Neque illis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, siquis ex reliquis excellit dignitate, succedit; aut, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur.« *Julius Cæsar de Bello Gallico L.* 6.

**) *Excommunicatio minor* seculo primum XIII. cognita fuisse videtur. (m) Excommunicationis item *latæ sententiæ* certum in Gratiano vestigium haud deprehenditur: illam enim in percussores clericorum (n) constitutam potius ex Doctorum interpretatione et consuetudine, quam ex Legislatoris mente latæ sententiæ censeri jam supra (§. 438. **) innuimus. Excommunicationis non unam in ecclesia speciem antiquitatis monumenta produnt; sic 1) Episcopus, qui adire concilium neglexit, aut alterius diœcesis clericum ordinavit, communione aliarum ecclesiarum privatus, et ad pro-

priæ

(m) C. ult. de cler. excomm. ministrante, et c. 59. de sentent. excomm.

(n) C. 29. causs. 17. p. 4. Cf. Van Espen J. eccl. un. P. III. tit. 11. c. 6.

priæ ecclesiæ communionem restrictus *excommunicari* dicebatur: 2) alia excommunicationis species erat, quod literas delinquentis Episcopi formatas aliæ ecclesiæ non acceptarent: 3) excommunicationis item naturam imitabantur publicæ pœnitentiæ gradus, in quibus constituti peccatores variis bonis spiritualibus erant exclusi.(o) Ceterum vox *excommunicatio* olim, contra ac hodie, non majorem, sed quamdam minoris seu particularis excommunicationis speciem denotabat illa enim, qua quis ab omni ecclesiæ communione removebatur, *mortalis*, aut *anathema*, ejus vero gravissima species *Maranatha* (p) appellabatur (q).

***) Censuræ ecclesiasticæ per se quidem sola sacrorum privatione continentur. Aliquos tamen excommunicationis effectus civiles vel ab apostolico ævo obtinuisse, vero non est absimile. Ita S. Joannes (r) vetat *ave dici* ei, qui perversam tradit doctrinam; S. Paulus (s) jubet, ut ab omni fratre *inordinate*, et non secundum doctrinam apostoli *ambulante* fideles se subtrahant. Alios civiles effectus serius cum excommunicatione fuisse connexos, in confesso est. Porro ex hodierna disciplina *effectus* excommunicationis majoris sunt, quod privet 1) suffragiis ecclesiæ, 2) facultate sacramenta tum suscipiendi, tum administrandi, 3) potestate divina celebrandi, frequentandi, adipiscendi beneficia ecclesiastica, jurisdictionem ecclesiasticam exercendi, 4) communione forensi, seu facultate judicem, actorem vel testem agendi in judicio, 5) sepultura ecclesiastica, 6) communione tum ecclesiastica, tum etiam civili aliorum, cujus va-

(o) Vid. Van Espen Jur. eccl. u. P. III. tit. 11. c. 3. n. 1 — 18.

(p) Vid. c. 12. causs. 33. q. 2.

(q) Cf. Van Espen loc. cit. c. 3. n. 27. seqq.

(r) II. Epistol. 10. 11.

(s) II. Thess. III. 6.

varii prohibentur actus hoc versu expressi: *os, orare, vale, communio, mensa negatur* Hoc commercium non solum interdicitur excommunicato, sed et aliis, et his quidem sub pœna *excommunicationis minoris.*

§. 798.

Excommunicatio minor I. hodie solum incur-
ur ab eo, qui caussa *excusante* legitima *) des-
utus, communionem habet vel 1) cum excom-
unicatis vitandis, in quos censura a judice
iblicata, et denuntiata specialiter et expresse
t; vel 2) cum notorio et injusto clerici per-
issore (§. 438.), cujus factum non possit ali-
ia tergiversatione celari, neque alio juris
ffragio excusari (t). Ceterum excommunica-
onis minoris *effectus* ex ejus descriptione (§.
æc.) patent.

*) Scilicet ne excommunicatio in odium fidelium innocentum detorqueatur: his commercium cum excommunicato cetera etiam vitando permittitur, ubi illud suadent 1) insignis propria, vel alterius spiritualis corporalisve *utilitas;* 2) vinculum *matrimonii,* aut 3) *subjectionis;* 4) *necessitas* excommunicati, vel alterius. Demum pœnam minoris excommunicationis non incurrit, qui alium esse vitandum ignorat: quæ rationes excusantes noto comprehenduntur versu: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

§. 799.

Excommunicatio *major*, ut quidem ex fu-
estis, et tristissimis effectibus ejus palam fit, *)
œna est gravissima: proin nonnisi in gravio-

ra

(t) Martinus V. extrav. ad evitanda. Vid. Harzheim Concil. german. Tom. V. f. 133.

ra delicta, adhibita summa providentia et cautione, raroque admodum vibrari eam, ipsa æquitas jubet: quod ipsum et Patrum, Consiliorumque inculcat auctoritas (u), et antiquitatis exempla confirmant. Nihilominus seculis posterioribus in bullis, et decretis Pontificum, tum quæ corpore J. C continentur, tum aliis magnus earum numerus et obviis in caussis occurrit: atque earum excommunicationum pleræque etiam latæ sententiæ, et ipsis Pontificibus sunt reservatæ, *) de quarum vi, et receptione si casuistas, decretalistasque pervolvas omnes, nil nisi opinationes reperies. **) Unde, ne conscientiis injiciantur laquei, nil quidem optandum magis, quam ut saltem in quavis diœcesi de earum, immo aliorum quoque decretorum receptione authentica, quod alicubi factum egregie, ederetur declaratio, imo vel receptorum, quorum usus ecclesiis incommodus, expressa fieret revocatio.

*) Tristissimos effectus et pericula animarum, quæ inde oriri pronum est, deplorat Rosemundus in suo confessionali (x). *Cf. Gerson de vita spirit. lect.* 4.

**) Excommunicationum integros catalogos multi texunt, quos inter Cl. Amort (y) ita habet: » Exactius illas enumerat Pisellus in summa Theolo-

(u) C. 41. 42. causs. 11. q. 3. Trid. sess. 25. c. 3. de refor. etc. Cf. Van Espen l. cit. c. 7.

(x) Apud Espen J. E. un. P. III. tit. 11. c. 5. n. 22.

(y) Theol. Elect. de pœnit. disp. 9. de Cas. reserv. q. 45.

»logiæ moralis, qui Papæ reservatas recenset »269; non reservatas autem 150. Cum igitur »omnes posteriores in nostra diœcesi Augustana »*directe* vi statutorum synodalium sint reservatæ »Episcopo; priores vero eidem sint reservatæ »saltem *indirecte* respectu eorum, qui Papam ac- »cedere nequeunt; omnes hoc loco enumerandas »censui, ne clerici semetipsos decipiant, existi- »mantes, se excusari per ignorantiam a reserva- »tione incurrenda, aut pœnitentibus denuntian- »da. etc.

***) Ita in Instructionali Bambergensi addita ratione, ne censuræ et reservationes ad destructionem, sed ædificationem serviant, statuitur; ut ad octo solum casus Pontifici reservatos, qui adcurate explicantur, Curati adtendere debeant. *Inst. Romano-Bambergense pag.* 262.

§. 800.

Interdictum est censura, qua usus rerum quarumdam sacrarum vel quibusdam ecclesiæ membris, vel per certum ecclesiæ tractum prohibetur. Unde aliud est 1) *personale*, *locale* aliud; utrumque 2) *generale* est vel *speciale*; a) *generale personale* dicitur, quod in personam moralem, seu corpus ex pluribus personis compositum, b) *generale locale*, quod in locum generalem, plura particularia in se complectentem fertur; c) *speciale* est, quod aut aliquas determinatas personas, aut unam duntaxat ecclesiam tangit. *) Porro interdictum I. *prohibet* 1) *administrationem sacramentorum*, non tamen omnium, nam sacramenta baptismi, confirmationis, pœnitentiæ, sacrum morientium viaticum administrari (z) possunt om-

(z) C. 43. de sent. excomm. et c. 19. eod. in 6. c. 11. de pœnit. et remiss.

omnibus, exceptis iis, qui interdicto caussam dederunt; nisi hi satisfaciant, aut de satisfaciendo caveant: prohibet ad publicam *divinorum celebrationem* et ingressum ecclesiæ, nisi in præcipuis festis nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumtionis B. V, Corporis Christi, et octavæ ejusdam, ubi exclusis excommunicatis admittuntur interdicti. His utrisque exclusis et clausis januis *secreto* divina celebrare licet (a): prohibet 3) *sepulturam* ecclesiasticam. II. Porro interdictum *locale*, nisi ob caussam *generalem* ex delicto publico, 2) *personale generale* duntaxat ob culpam a majore communitatis parte admissam; 3) *personale speciale* ob culpam personæ etiam unius gravem ferri potest. Denique III. nec populo interdicto clerus, nec hoc interdicto populus interdictus habetur; immo interdicto etiam clero Prælati majores, nisi speciatim exprimantur, censentur esse interdicti (b).

*) 1) Interdicti localis speciem quamdam jam apud S. Gregorium Touronensem (c) deprehendere quidam sibi visi sunt. Quidquid id sit, 2) usus interdicti generalis maxime circa seculum X. et deinceps invaluit. 3) Forma illius illustrior hodiernam interdicti rationem propius exprimens occurrit in synodo Lemovicensi Anno 1031. celebrata. Quam quidem formam tunc fuisse recens invectam, auctores coœvi testantur: et Ivo Car-

(a) C. 11. de pœnit. et remiss. c. 43. de sent. excomm. c. 24. eod. in 6.
(b) C. 4 et 16. de sent. excomm. in 6.
(c) *L. 8. Histor. Francorum* c. 51.

Carnotensis (d) interdictum illud *remedium insolitum* vocat. 4) Id igitur certum, interdicta localia posterioribus primum seculis *frequentiora* evasisse. Ne vero interdicti occasione populus innocens sacris privaretur, deinceps a Pontificibus illorum rigor variis modis fuit mitigatus. Ceterum 5) ab interdicto probe secernenda est *cessatio a divinis*, quæ proprie censura non est, sed mera officiorum divinorum denegatio a Superiore ecclesiastico ad significandum de gravi quodam publicoque scelere luctum decreta.

§. 801.

Suspensio (pœna clericis propria) est censura ecclesiastica, qua clericus usu, aut functionibus ordinis, officii, vel beneficii interdicitur. Unde *suspensio* est vel 1) ab *ordine*, quæ exercitio ordinis, vel 2) ab *officio*, quæ actibus jurisdictionis, vel 3) a *beneficio*, quæ fructibus beneficii privat; atque si 4) his omnibus simul excludit, *totalis simpliciter*; sin 5) omnibus actibus, vel solius ordinis, vel solius jurisdictionis privet, *totalis secundum quid* a quibusdam dicitur, atque vicissim eodem modo *partialis* appellatur. Quare I. suspensus a beneficio 1) non eo ipso etiam ab officio; aut suspensus ab uno actu ordinis, non item semper ab aliis erit suspensus: attamen 2) nomine *suspensionis ab officio* vulgo suspensio tam ab actibus jurisdictionis quam ordinis intelligitur. Cetera 3) *in dubio* heic ceu in re odiosa benignior pars amplectenda. II. *Suspensio*, ut

(d) Epist. 94. vid. Van Espen Jur. eccl. univ. P. III. tit. 11. c. 9. n. 19. seq.

ut quævis censura gravis alia, *ferri* nequit, nisi 1) ob delictum grave, 2) et in communitatem, nisi ob delictum commune. 3) Quodsi suspensus *palam* quoque sit denuntiatus, *in* actibus ipsi prohibitis habere cum eo communionem non licet.

*) Ad pœnas medicinales ecclesiasticas revocari itidem potest *pænitentia publica* ad delicta inprimis publica et graviora expianda post medium seculum III. invecta. Nempe 1) occasione schismatis Novatiani austerior disciplina, quatuorque pœnitentium gradus, seu *stationes* introducti a) *flentium*, qui in exteriori ecclesiæ atrio positi, ingredientium preces inter varias animi contriti significationes implorabant: b) *audientium*, qui in ecclesiæ vestibulo sacros sermones auscultabant, ceterum S. Liturgia exclusi: c) *substratorum*, qui prostrati crebrisque manuum impositionibus lustrati ante oblationem, seu inceptam fidelium missam abire debebant: d) *consistentium*, qui tempore sacrificii in ecclesia quidem persistebant, neque tamen ad oblationes, aut Eucharistiæ communionem fuere admissi. 2) Hos gradus inter ardua pœnitentiæ opera percurrere vulgo graviorum criminum rei tenebantur, dum ad plenam ecclesiæ communionem admitterentur. Passim tamen Episcoporum prudentiæ erat relictum, ob pœnitentis fervorem, ob ingruens mortis, aut persecutionis periculum; aut ad Martyrum libellos, seu deprecationes, sat longum pœnitentiæ tempus restringere. 3) Is pœnitentiæ rigor paullatim remisit a sec. VII, subin pœnitentiæ publicæ loco peregrinationes; professio religiosa, preces, eleemosynæ etc. imponi cœperunt. 4) Sec. XIII. antiquioris disciplinæ vix umbra supperreat. *Cf. Rupprecht Not. in J. Can. ad Decret. L. V. tit.* 38. *n.* 33. *seq. Van Espen J. E. un. P. II. tit.* 6. *c.* 2.

§. 802.

§. 802.

Praeter censuras ceu pœnas medicinales ecclesia utitur pœnis *vindicativis* sibi propriis. Tales sunt I. *Privatio beneficii* vel a jure, vel per sententiam judicis decreta; II. *Depositio* simplex, qua homo clericus salvo manente statu clericali ab exercitio ordinis in perpetuum removetur, et ad omnia beneficia incapax redditur (e): III. *Degradatio*, qua clericus propter atrociora scelera non tantum ordinis exercitio, et beneficio, sed et ipso statu, et dignitate clericali et fori canonisque privilegio exuitur: dicitur *verbalis*, quando per sententiam promulgatur, *realis*, quando reapse inter sat lugubres ceremonias (f) executioni datur. *) III. *Irregularitas* aliquando ex delicto orta pœnæ locum obtinet, de qua supra (§. 409.) diximus. **)

*) Huic pœnæ affine, immo quoad rem ab ea haud diversum quidam arbitrantur illud animadversionis genus, quo clerici ad *communionem laicam* quondam detrusi sunt. Ceterum caussæ depositionum olim in synodis tractabantur, hodie ab Episcopo, et eidem adsistentibus definiuntur. (g)

**) In foro ecclesiastico olim pœnas etiam carceris, fustigationis, immo indulgentibus Principibus, exilii in pertinaces aliquando adhibitas esse monumenta antiquitatis testantur. At earum usum dudum restrictum hodie a foro ecclesiastico, fere abiisse, nemo nescit. Pœnæ pecuniariæ hodieque

Kk 2 in

---

e) Depositionum Episcoporum Germanorum exempla plura recitat, von Sartori geistl. und weltl. Staatsrecht, 2. Th. 2. B. 1. Abt. §. 1298.

(f) C. 2. de pœnis in 6.

(g) C. 13. dist. 55. c. 7. dist. 50. Trid. sess. 13. c. 4.

in foro ecclesiastico retinentur, pecuniæ tamen non judici ecclesiastico, sed piis caussis cedunt. Atque si multa quidem pecuniaria Bavariæ clericis fuerit imperata, Concordata Bavariæ decernunt, » parte ejus aliqua Notariis caussæ, et » Pedellis cessura, residuum in ecclesiarum fabri» cas, vel similes pios usus, intra Bavariæ fines » collocetur etc. « *Concord. Bav. de A.* 1583, *c.* 3.

ARTICULUS III.

De Delictis ecclesiasticis aliisque.

§. 803.

Quænam *delicta* præcise sint *ecclesiastica*, quænam *civilia*, nec inter ipsos jureconsultos plane convenit: vulgo tamen hac in re sequentia adoptantur principia. *Delicta* habenda sunt 1) *ecclesiastica*, quæ inprimis et proxime religioni, bono, ac saluti ecclesiæ repugnant, quæque proin pœnis subjacent ecclesiasticis; * 2) *civilia* sunt, quæ bono reipublicæ profanæ per se adversantur, et pro foro saltem externo pœnis ecclesiasticis hodie castigari non solent: 3) *mixta*, quæ saluti reipublicæ tam sacræ, quam profanæ æque nocent; et idcirco utriusque castigationibus sunt obnoxia. **) De ecclesiasticis dicemus primo.

*) Inde delicta ecclesiastica habentur, quæ ipsam fidem, et religionem propius lædunt, 1) infidelitas, 2) apostasia, 3) hæresis, 4) schisma, 5) simonia, 6) blasphemia, 7) perjurium, 8) divinatio, sortilegia etc. 9) varii generis sacrilegia. Reliqua vel mixti fori sunt, vel prorsus secularia.

**) Hodie 1) crimina *mixta*, a laicis commissa fere in uno foro civili castigantur: 2) manet tamen judici ecclesiastico integrum; in ea, etsi pœnis civi-

civilibus affecta, canonicis quoque pœnis animadvertere. Nec repugnat etiam, ut delictum ecclesiasticum ab ecclesia punitum, pœnis quoque in foro seculari afficiatur. Id quod ex corpore Juris civilis, et pœnis in hæresin, aliaque ecclesiastica delicta ibidem statutis liquet. 3) Delicta clericorum fere uni judici ecclesiastico punienda relinquuntur. Quodsi tamen id genus delicta reipublicæ bono insigniter repugnent, injuncta pœna canonica civilibus insuper, et pro delicti gravitate criminalibus quoque pœnis, solent multari. Id quod legibus quoque constitutum est patriis. (§. 443) Cf. Concord. Bav. A. 1583. §. 3. Recess. August. 1684. §. 6.

§. 804.

Inter delicta ecclesiastica recensetur I. *infidelitas*, seu error eorum, qui plane alienam a christiana religionem profitentur; quales sunt 1) Judæi, 2) Saraceni, 3) Pagani; quos omnes, utpote ecclesiam per baptismum haud ingressos, neque ejusdem jurisdictioni, nec proinde legibus pœnisve ecclesiasticis obnoxios esse, nemo nescit. Unde 1) directe ad fidem christianam amplectendam cogi nequeunt; nec religionis caussa molestia quacunque sunt afficiendi (a): neque 2) eorum liberi, nisi fors in numero sint mancipiorum, invitis eripi, nec per baptismum, nisi ipsi liberi rationis compotes id velint, introduci in ecclesiam possunt; neque 3) caussæ eorum matrimoniales, aliæque in foro ecclesiastico disceptantur. Cetera 4) Judæis tolerantia

 etiam

(a) C. 3. et 5. Dist. 45. c. 9. de Judæis, Saracenis.

etiam jure canonico (b) conceditur; ea tamen lege, ut tolerantia isthæc aut commercium cum iisdem in Religionis christianæ præjudicium non cedat. Quod idem leges etiam germanicæ (c) cavent.

*) Per baptismum liberi, et mancipia infidelium a potestate patria, et respective dominica eximi dicuntur (d). Quid cetera in Bavaria circa Judæos obtineat, vide *Annot. in Cod. civ. P.* 5. c 20. §. 2.

II *Apostasia* generatim defectionem a priore vitæ instituto denotat: heic triplex ejusdem distinguitur species: nempe 1) *Apostasia a fide*, seu omnimoda fidei christianæ desertio, et ad religionem a christiana alienam, aut aliam falsam transitus, quam apostasiam *perfidiæ* dicunt; 2) apostasia ab *Ordine regulari* seu Ordinis religiosi post professionem absque animo redeundi facta relictio, quam apostasiam *obedientiæ* appellant; 3) apostasia *a statu clericali* seu post susceptos sacros ordines *) a statu clericali ad laicalem transitus, quam apostasiam *irregularitatis* vocant. Jam vero I. *apostatæ a fide* iisdem, quibus hæretici (de quibus mox) pœnis obnoxii sunt. II. *Apostatæ a regulari Ordine*, quem post professionem absque animo redeundi, et Superiorum facultate deserunt, excommunicationi subjacent: et siquidem religiosum habitum dimiserint, ipso facto

(b) C. 3. et 4. de Judæis.
(c) Ordinat. camer. A. 1535. P. II. tit. 2. Recess. Imp. A. 1544. §. 4.
(d) C. 1. 2. de Judæis etc. Cod. I. 1. tit. 10. c. *Christianum* mancipium etc.

facto eam incurrunt, atque ab ordinum in apostasia susceptorum executione suspensi sunt. (e) **) III. *Apostatæ a statu clericali* post susceptos S. ordines dimisso habitu et tonsura ad habitum clericalem resumendum censuris sunt adigendi, infames redduntur, atque ab Episcopo tertio admoniti, nec emendati privilegio canonicis et fori exuuntur (f).

*) Minoribus solum initiatus a clero recedens nec apostata censetur, nec pœnæ obnoxius est; fori tamen, et canonis privilegio, utpote quod in clericali statu positis proprium est, deinceps frui nequit.

**) Neque vero excusat obtentus vel titulus invalidæ professionis: etenim, 1) qui ante caussas suas Superiori aut Ordinario expositas habitum dimittit, nunquam deinceps auditur, et 2) qui ex capite metus professionem impugnat, post elapsum a professione religiosa quinquennium porro audiendus non est. *Trident. sess.* 25. *c.* 29. *de Regul.*

§. 806.

Hæresis est error voluntarius, quam homo baptizatus contra dogma in verbo Dei scripto traditove revelatum, et ab ecclesia definitum pertinaciter tenet; 1) *interna*, si mente retinetur, *externa*, si indiciis exterioribus proditur; 3) *formalis*, si error sit voluntarius, et pertinax; sin, *materialis*, neque proprio sensu hæresis. I. *Pœnæ a jure* canonico in hæreticos decretæ, quæ ad solam hæresin *formalem*, *externamque* pertinent, sunt 1) excommunicatio latæ sententiæ Pontifici reser-

(e) C. 3. ne Cleric. vel Monach. C. 3. de apostat.
(f) C. 3. et 5. de Apostat.

vata, 2) irregularitas, et inhabilitas ad dignitates, et beneficia ecclesiastica, (g) quæ se ex parte patris ad nepotes, ex parte matris ad filios extendit; 3) privatio beneficiorum, quam hæretici ipso facto, (h) eorum defensores post sententiam incurrunt; 4) privatio jurisdictionis ecclesiasticæ, et exercitii ordinum; (i) demum 5) privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ita, ut eorum cadavera sepeliens excommunicationem incurrat, ante, quam tumulo illa eruerit, non absolvendus. (k) His accedunt II. *pœnæ temporales* partim canonico, partim civili jure statutæ, uti 1) infamia, 2) intestabilitas activa et passiva, 3) confiscatio bonorum, 4) pœna capitalis. (l)

*) In Germania tamen 1) toleratæ religionis consortes, aut ad eam transeuntes, in sensu juridico et politico hæretici non censentur, neque 2) in eos pœnæ temporales, immo nec spirituales quoad omnes effectus locum habent. (§. 381. 388. seq.) Item 3) toleratarum in Germania Religionum consortes leges publicas violant, et hæretificii, seu hæresificationis prohibitæ reos se reddunt, qui invidiosis et turpibus nominibus gentiles suos compellant, aut idolatriæ etiam, Antichristianismi crimina iis affingunt. *Cetera Cf. Annot. in Cod. civ. Bav. p. 5. c. 2. §. 4. et in Cod. crim. p. 1. c. 7. §. 5.*

§. 807.

(g) C. 15. de Hæretic. in 6.
(h) C. 9. de Hæretic.
(i) C. 15. eod. tit.
(k) C. 8. 19. 13. 15. de hæret. et c. 2. 8. 18. eod. in 6.
(l) C. 9. 13. 15. de hæret. et l. 4. 5. 8. de hæret. *et Manich.*

§. 807.

Schisma, seu malitiosus a corpore ecclesiæ secessus, unitatisque ecclesiasticæ dissolutio, est vel *purum*, vel cum *hæresi conjunctum*: I. hoc iisdem atque hæresis pœnis perstringitur. II. illud 1) excommunicatione Papæ reservata, 2) privatione tum beneficiorum, tum 3) jurisdictionis ecclesiasticæ multatur: denique 4) a schismaticis ordinari se passi ab ordinum exercitio sunt perpetuo suspensi. (m)

§. 808.

Religioni quoque, et sacrarum rerum venerationi insigniter repugnat *Simonia*, seu permutatio spiritualium cum temporalibus. At generali sensu etiam vetita spiritualium cum spiritualibus permutatio Simonia dicitur: unde Simonia generali sensu accepta, est profana rerum sacrarum æstimatio, *) aut prohibita de iis pactio, seu actus, quo sive 1) pro spiritualibus temporale, aut vicissim datur, accipiturve; sive 2) quo spiritualia etiam cum spiritualibus contra grave ecclesiæ præceptum in commercium adducuntur: prior illa simonia est *juris divini*, hæc *juris ecclesiastici*. Porro simonia alia dicitur 1) *mentalis*, quæ voluntate tantum concipitur, nec animum extra progreditur: ut, siquis per officii simultationem collatori spe beneficii ab eo impetrandi quidpiam offerat: alia est 2) *conventionalis*, seu in conventionem, et pactum deducta, *pure*

(m) C. 1. 2. de schism. et c. unic. eod. in 6.

talis, si ex neutra parte, *mixta*, si ex alterutra parte, *realis*, si ex utraque parte est completa, seu traditio secuta est. 3) *Confidentialis*, quasi fideicommissum super beneficio constitutum, est pactio circa beneficia, qua quis alteri beneficium resignat, procurat, confert ea lege, ut vel citra intervenientem legitimam auctoritatem pensio ex eo sibi alterique detur, vel ut hoc beneficium deinceps sibi, aut alteri designato cedat. Pro eo autem atque quis hoc pacto resignat, aut procurat alteri beneficium vel 1) solum sibi *oblatum*, vel 2) sibi *collatum* nondum tamen possessum, vel denique 3) actu *jam possessum*, simonia vel per *accessum*, vel per *ingressum*, vel per *regressum* (Cf. §. 580.) committi dicitur. (n)

*) *Simoniæ malitia* in eo sita est, 1) quod spiritualia non sine Dei ignominia eodem cum profanis, et pecunia parabilibus loco habeat: 2) quod res sacras, quæ inopi æque ac potenti in promtu esse debent, quæstui, et quasi plus offerentibus exponat: 3) quod beneficia non pro meritis, sed pro pretio conferat; sicque 4) officia ecclesiæ non dignioribus, sed ditioribus, non sine ingenti ecclesiæ detrimento pateant; quod 5) sub ea crimen ambitus, sacrilegii, immo et hæresis latere pluribus sit visum: inde simonia *peculiare, execrabile flagitium, lepra spiritualis*, *capitale* crimen, *hæresis*, et *thesaurus criminum* in S. canonibus appellatur. *Vid. c.* 9 *Gauss. I. q.* 3. *c.* 6. 7. 11. 14. 16. *Caussa I. q.* 1.

§. 809.

(n) De Simoniæ initio, progressibus vid. Thomassin P. III. L. 1. c. 49. seqq.

§. 809.

In simonia *juris divini* occurrit 1) *res spiritualis*, vel ei adnexa, 2) *merx* temporalis, seu pretium simoniacum, 3) *pactum* dandi alteram pro altera. I. *Rei spiritualis* nomine heic intelliguntur 1) res sacræ, donaque supernaturalia, 2) sacramenta, 3) sacramentalia, 4) jurisdictio sacra, 5) sacræ functiones, 6) beneficia, 7) professio religiosa etc. II. *Merx*, seu pretium simoniacum dicitur quidvis pretio estimabile; estque triplex 1) *munus a manu*, pecunia, aut quidquam ei æquipollens, 2) *munus a lingua*, commendatio, patrocinium etc., 3) *munus ab obsequio*, quodvis obsequii genus æstimabile pretio ad consequendum spirituale præstitum. (o) III. *Pactum*, quo nomine heic venit 1) conventio quaevis sive expressa, sive tacita, obligationem inducere tentans, 2) aut actus ita comparatus, ut animus alterum obligandi, aut etiam duntaxat movendi, ad dandum pro temporali spirituale, aut vicissim (p) intelligi, aut merito praesumi possit. *)

*) Nec contraria praxis, utpote legi divinæ nunquam prævalitura, minus variæ cavillationes, obtentus, aut involucra e. g. separatio temporalis a spirituali, distinctio inter motivum et pretium, prætextus gratuitæ remunerationis, redemtio vexæ etc. vitium purgant. (q) Immo nec *tituli* in speciem justi,

(o) C. 6. Causs. 8. q. 1. et c. 8. causs. 1. q. 3.

(p) Ex damnat. propos. ab Innoc. XI. A. 1679. num. 45. et 46. c. 34. de Sim.

(q) C. 7. causs 1. q. 2. proposit. n. 22. ab *Alexand. VII.* damnata.

justi, nisi ecclesiæ consensus, aut timoratorum praxis eosdem justos probaverit firmaveritque, ab hoc vitio excusant. Porro *justus titulus* censetur e. g. titulus *sustentationis*, *legitimaque* ac probatæ *consuetudinis* circa honoraria occasione S. functionum fieri solita, jura stolæ, missarum stipendia etc. Titulus autem *redimendæ vexæ* injustæ sæpius non justus titulus, sed pallium veræ simoniæ est. (r) Certe qui vexam redimit ejus, qui prodesse etiam potest, maxime, si de jure quærendo agitur, a simoniæ suspicione, immo vitio excusari vix quiverit. Ita e. g. electus, aut præsentatus *jus ad rem* habens, qui dato temporali *jus plenum* acquirere, vexamque redimere conatus est, ecclesiam debuit (s) dimmittere.

§. 810.

Pœnæ in simoniacos decretæ I. fatentibus omnibus ad simoniam *realem*, et *confidentialem* sive *mixtam*, sive *completam* pertinent: juxta multos etiam ad *conventionalem* pure talem, et magis *ad mixtam* (t) sese exporrigunt: obtinent autem in tribus materiis. 1) in ingressu religionis, 2) collatione ordinum, 3) provisione beneficiorum. Porro simoniam committentes I. *circa ingressum*, aut *professionem religionis* personæ singulares excommunicatione latæ sententiæ Pontifici reservata, Capitulum consentiens suspensione ab officio quoad actus capitulares, et jurisdictionis castigatur. (u)

(r) Cf. Van Espen J. E. un. P. II. tit. 30. c. 3. seq. ubi aliis simoniæ palliationibus meminit.

(s) C. 20. et 23. de Simon.

(t) C. 5. causs. 1. q. 3. c. 1. 2. de sim. extr. comm.

(u) II. Propter simoniam in *collatione ordinum* commissam præter excommunicationem Papæ reservatam *ordinans* ab exercitio pontificalium, et collatione ordinum, *ordinatus* suspensione a receptis, et recipiendis ordinibus perstringuntur. (x) III. Ob simoniam in *provisione beneficiorum* per electionem, præsentationem, nominationem etc., præter excommunicationis pœnam in provisum, providentem, et omnes ad simoniam concurrentes decretam, item nullitatem provisionis insuper provisus ad hoc beneficium ipso jure, ad alia vero post sententiam fit inhabilis. (y) *) IV. *confidentialem* committentibus eædam, de quibus mox, pœnæ dictantur; Praelati autem ob hoc vitium ingressu in ecclesiam interdicuntur. (z) V. Simonia pure *mentalis* peccati quidem reatum inducit; at quum intus lateat, non judicem ecclesiasticum, sed solum Deum habet ultorem. C. 34, de Simon.

*) Simoniæ crimine, circa beneficia frequentiore, tenentur, 1) qui electionem vel collationem ad beneficia venalem faciunt; (a) 2) qui electoribus pecuniam aliudve promittunt, aut dant, ut hunc illumve eligant, 3) qui contradicentes, ut electioni a majori etiam parte factæ consentiant, pecunia de-

(u) C. 1. de Simon Extrav. comm.
(x) C. 2. eod. Extrav. et c. 37 45. de Simon.
(y) C. 2. de Simon. Extrav. comm. c. 27. eod. tit. et c. 59. de elect.
(z) Constit. Pii IV. *Romanum*. A. 1564. et Pii V. *Intolerabilis*. A. 1569.
(a) C. 2. et 3. Causs. I. q. 3. c. 8. Causs. I. q. 1.

demulcent: (b) 4) qui vel in templi fabricam vel in familiæ aut monasterii usus, ut eorum ope beneficiis potiantur, eleemosynas tribuunt: (c) 5) qui præbendæ cedunt, ut certam pecuniam adipiscantur: (d) 6) Patroni, qui a præsentatis novos vel majores census stipulantur, vel qui patronis eos offerunt. (e) 7) Quodsi tertius etiam ad id haud constitutus simoniacé alteri procurat beneficium, tum a) siquidem ille id faciat in fraudem, ut ita detecto vitio provisus fiat inhabilis provisio erit valida; b) si fraus quidem absit, et providendus malum conatum non ignorans: contra eum protestetur, provisio tamen nulla est, si beneficium sic procuratum Superioribus de hoc non præmonitis acceptet: c) si providendus molitionem simoniacam tertii ignoret, et expresse contra omne vitium fors latens protestetur, provisio erit valida; si non protestetur, verosimiliter est invalida. (f)

**) Quod ad *dispensationem* et *absolutionem* in hac re adtinet, simoniam inter et pœnas in eam constitutas distinguere necesse est. 1) Simonia *jure divino* prohibita dispensationem haud admittit, nec unquam licita esse potest. 2) In pœnis contra, ut que ex jure duntaxat ecclesiastico descendunt, item in simonia juris ecclesiastici dispensationis gratiam vix unquam antehac datam, urgente necessitate largiendam esse, Urbanus II. constituit. (g) Et 3) Episcopus quidem dispensare poterit cum eo, qui beneficium simplex per simoniam tertii adeptus est, criminis plane inscius. (h) Alias 4) dispen-

(b) C. 27 et 23. de simon.
(c) C. 9. Causs. I. q. 3. c. 27. Causs. I. q. 1.
(d) C. 5. de rer. permutat.
(e) C. 15. de Censib. c. 6. de pactis.
(f) C. 27 33 de simon. c. 2. eod. extrav. comm.
(g) Synod. Rom. A. 1099. apud Grat. c. 2. Caus. I. q. 5.
(h) C. ult. de Elect.

pensatio petenda Romæ est in *foro externo a Dataria*, ubi ad eam obtinendam fructuum perceptorum facienda est mentio: in *foro interno a Pœnitentiaria* dispensatio petenda, quam vulgo nonnisi fructibus restitutis concedi ferunt. In utraque dimitti beneficium a supplice debet; et in Dataria ordinario, in Pœnitentiaria contra Confessario nova institutio committitur. *Conradus Pyrrhus Prax. Dispensat. L.* 5. c. 10.

§. 811.

Inter crimina Religioni proxime et maxime adversantia, de quibus Jus nostrum agit, inprimis memoranda I. *Blasphemia verbalis* vel *realis*, dictum vel factum contumeliosum in Deum, seu injuria in Deum, quæ vel *immediate* in eum conjicitur, vel *mediate* indirecteve, aut per personam interpositam in Deum redundat. Hujus proin criminis rei censentur, 1) qui per Deum, per Christum, per Sacramenta execrantur, aliaque mysteria ad scurriles jocos applicant; præsertim 2) qui in Deum, in S. mysteria, in B. V. Mariam, in Sanctos injurias eructant, aut factis, picturis, aliisve modis contumelia eos afficiunt. *Pœna in blasphemos* a) *clericos* depositio ab officio, b) in *laicos* excommunicatio jure canonico, (i) et jure civili (k) ultima etiam supplicia decernuntur. Ad blasphemiam referri quodammodo potest II. *Perjurium*, seu iniqua violatio juramenti rite præstiti, et *Pejeratio*, sive juratum mendacium, quo Deus in falsitatis cogni-

---

(i) C. 10. Causs. 23. q. 1.
(k) Novell. 77. c. 1.

cognitæ testem vocatur. III. *Divinatio*, *Necromantia*, *Astrologia judiciaria*, seu divinatoria, *Sortilegia*, queis quis res incognitas vel expressa petitione opis a demone cupit explorare, vel ex astrorum situ, aut per actus et signa, nec a Deo, nec a natura ad hoc instituta aptave, eruere occulta, aut prædicere libere futura conatur: cujus criminis reus clericus a mysterio altaris suspendi, aut deponi jubetur; laicus communione fidelium privari. (l) *)

*) Huc revocari solent superstitiones aliæ, in quibus non nisi a dœmone exspectari auxilium potest; quo refertur inprimis *Magia diabolica*, seu facultas, aut studium efficiendi mirabilia ope dœmonis, et quidem vi *pacti expressi;* saltem si magia proprio, ac vulgari sensu accepta intelligatur. *Magia* rursus vel *benefica* dicitur, vel *malefica*, prout ad obsequia homini grata præstanda, vel ad nocendum homini pertinet. (m) Magiæ crimini jus civile (n) pœnam capitis; jus canonicum (o) excommunicationis pœnam dictat. At vero *magiæ possibilitatem* aliqui, plures *existentiam* (p) plerique omnes saltem jactatam olim negant *frequentiam*: id quod judices aliosque cautos esse jubet, ne in hac re ad credendum, nedum ad condemnan-

---

(l) C. 4. et 9. Causs. XXVI. q. 5. c. 1. Causs. ead. q. 3. et 4. et c. 15. Causs. ead. q. 7. c. 12. de Sortileg.

(m) Species ejus quasdam recenset Paul. de Riegger Inst. J. Eccl. Tom. IV. §. 401. seqq.

(n) L. 6. Cod de Maleficis et Mathematicis.

(o) C. 4. 11. Causs. 26. q. 5.

(p) Cf. Paul de Riegger Inst. Jur. Eccl. Tom. IV. §. 408. seqq.

nandum, vel puniendum sint faciles. Quodsi tamen reapse inveniantur homines, qui dæmonis opem ad patranda mira, aut nocendum hominibus implorant; saltem impius hic conatus, licet etiam vanus, pœna utique dignus foret. Sed enim hunc quoque conatum fatentibus non statim certa habenda fides, et videndum probe, ne phantasiæ corruptio, animique, aut corporis morbus crimini detur.

§. 812.

Cetera delicta, de quibus jus canonicum eminit, quæque ad secundam Decalogi talam *) pertinent, hoc ordine quam brevissie recensebimus; nempe I. delicta, queis roximus quoad *vitam*, et corporis incolumitem; II. ea, quibus quoad *famam* maxime honorem: III. illa, queis quoad *bona* et rtunas læditur: demum IV. crimina *carnis* feremus. **)

*) Quidam S Juris interpretes delicta in Jure canonico relata juxta decalogum distribuunt. Quum ergo hucusque de delictis, primæ decalogi tabulæ adversis, actum sit, nunc de iis, quæ contra secundam tabulam admittuntur, strictim dicendum.

**) Jus ecclesiasticum speciatim etiam meminit de delictis clericorum, e. g. titulis: de *Clerico venatore, percussore*, de Clerico *excommunicato, deposito*, aut *interdicto ministrante, de Clerico non ordinato ministrante*, de *Clerico per saltum promoto*, de eo, qui *furtive ordines suscepit, de excessibus Prælatorum*, et *subditorum*. At de his jam per decursum, quantum quidem necesse videbatur, actum a nobis est. Porro

§. 813.

Ad delicta, queis I. proximus quoad *vitam* orporisque *incolumitatem* læditur, pertinent I.

I. *Homicidium*, quod in a) *dolosum*, et b) *culposum* dividitur. 1) Illius rei sunt, qui *dolo* directo, seu indirecto (q), consilio, ope, mandato, dicto falso testimonio etc. alicui vitam eripiunt: 2) *culposum* homicidium admittunt, qui rem illicitam proximi vitæ periculosam mandant, agunt, aut in re licita periculosa absque debita cautione versantur (r). Pœna in justi imo Comes justi homicidii est irregularitas. (§. 409. et seq.) Homicidii qualificati species sunt: II. *Parricidium*, quod in ascendentes et descendentes committitur, *Infanticidium*, cædes liberorum, quod variis jure nostro pœnis afficitur (s). Eodem refertur III. *Procuratio abortus* et sterilitatis. Porro præter alias pœnas in hoc flagitium constitutas (t), qui fœtum *vivum* expulerit, fit irregularis, ac inhabilis ad officia, et beneficia; estque ipso facto excommunicatus: clericus ob id crimen dignitate clericali exui, et seculari curiæ tradi jubetur (u): IV. *Expositio infantum*, quæ, si fit cum periculo vitæ infantis conjuncta, pro homicidio habetur (x). V. *Torneamenta* seu pugnæ periculosæ hominum ad ostentatio-

nem

(q) C. 18. de homicid.
(r) C. ult. de homicid. in 6. C. 50. 51. Dist. 50. C. 7. 8. 15. de homicid.
(s) C. 19. dist. I. de pœnit. c. 15. Causs. 23. q. 2. c. 3. Dist. 56.
(t) C. 20. Causs. 2. q. 5. C. 5. 20. de homicid.
(u) Constit Sixti V. *Effrenatum.* et Greg. XIV. *Sedes apostolica.*
(x) C. un. de Infant. et lang. exposit.

nem virium susceptæ sub pœna privationis sepulturæ ecclesiasticæ vetantur (y): in his alterum casu occidens homicidii pœnas luit: VI. *Duellum*, seu pugna duorum periculosa ex condicto, certoque loco, et tempore designatis suscepta, *solenne*, publicumque, quod adhibitis certis ceremoniis, testibus seu secundantibus etc. fit; secus, *simplex* et privatum. Duellum 1) auctoritate privata susceptum omni jure prohibetur, et 2) ad id quovis modo concurrentes excommunicationis, ipsi duellantes infamiae insuper pœna plectuntur; 3) qui in duello alterum occidit, aut lethali vulnere sauciat, asyli privilegio non gaudet; 4) ex vulnere in eo accepto decedens, sepultura ecclesiastica privatur; 5) clericus in duello decertans fit infamis, et ab officio suspendendus, beneficio privandus, atque etiam deponendus est (z).

*) Huc revocatur item 1) *Autochiria*, seu actus omnis, quo quis mortis suæ caussam temere præbet, seu necem sibi infert. Autochiriæ pœna est sepulturæ ecclesiasticæ, et precum ecclesiæ post mortem privatio. (a). 2) *Mutilatio* sui, aut alterius, qua quis sibi vel alteri membrum truncat, aut amputat, quæ irregularitatem inducit. (b)

Ll 2 §. 814.

(y) C. 1. 2. de torneament. c. unic. Extrav. Joan. XXII. eod.

(z) Trid. sess. 25. c. 19. de reform. constit Pii VI. *Ea, que etc* Benedicti XIV. *Detestabilem* c. un de cler. pugn.

(a) C. 12. Caus. 23. q. 3.

(b) C. 5. ne Cleric. vel Monach. c. 4. de Raptor et Incend.

§. 814.

Delicta II. quæ fidem *publicam*, *famamque* honorem proximi inprimis lædunt; sunt I. *crimen falsi*, quod vel *dicto*, e. g. testimonio falso, vel *facto* circa mensuras, monetas etc.; vel *scripto*, fingendo, supponendo, corrumpendo scripturas, committitur; et tum infamiæ, tum excommunicationis pœna afficitur. Ad falsi crimen pertinet II. *perjurium*, *et pejeratio* (§. 811.); III. *calumnia*, qua falsa crimina cuiquam objiciuntur: his criminibus infamiæ nota inuritur; IV. *collusio*, seu fraudulenta inter actorem et reum conventio (c); V. *injuria* seu læsio dolosa existimationis bonæ alterius, quæ quum *facto* vel *verbis* fieri possit, vel *realis*, vel *verbalis* est, et vulgo pro rerum personarumque adjunctis ex arbitrio judicis punienda erit: huc pertinet VI. *famosus libellus* jure utroque (d) severissime vetitus.

§. 815.

Delicta III. queis quoad bona et fortunas proximus læditur, sunt I. *furtum*, seu dolosa rerum alienarum contrectatio aut oblatio, lucri faciendi caussa invito domino facta: quod delictum jure canonico infamiam, et irregularitatem inducit: clericus gravioris furti reus deponi, et non emendatus excommunicari jubetur; II. *rapina* seu rei alienæ per vim per-

(c) C. 7. de crim. falsi. c. 7. dist. 50 c. 2. de empt. c. 1. de calumn. c. 3. de collus. deteg.

(d) L. 7. Cod. Theod. de famos. libell. c. 1. 2. caus. 5. q. 1.

personæ illatam facta ablatio, III. *sacrilegium*, quo res sacra de loco sacro aufertur; IV. *incendii* crimen, quo dedita opera domibus aut agris subjicitur ignis. Atque haec crimina excommunicatione, et privatione sepulturae ecclesiasticae debent castigari (e). Item huc pertinent V. quaevis injusta proximi damnificatio; demum et VI. *usura* legibus canonicis civilibusque graviter prohibita. Porro usura sensu *vulgari* intelligitur 1) vel *lucrum* ultra sortem mutuo datam pecuniam) praecise vi mutui perceptum; vel 2) *contractus* mutui, quo lucrum ultra sortem praecise vi mutui tanquam debitum explicite, vel implicite exigitur, imo vel intenditur. Unde usura est vel *formalis*, vel *palliata*, vel *mentalis* prout pacto explicito, aut sub specie solum alterius contractus, *) aut sola animi intentione simile lucrum, id est, quidpiam pretio æstimabile, quaeritur. I. *Pœnæ* usurariis jure canonico constituuntur: 1) infamia; 2) clerico hujus criminis reo suspensio, et deinceps non emendato depositio; 3) laico, donec satisfaciat, excommunicatio; 4) privatio item sepulturae ecclesiasticae, et 5) intestabilitas activa, nisi ante mortem restituat (f) **) II. *Tituli* aliquid ultra sortem exigendi, qui proin ab usurae vitio excusant, assignantur: 1) lu-

---

(e) C. 9. causs. 3. q. 5. c. 13. et c. 17. causs. 6. q. 1. c. 12. dist. 81. c. 10. de jud. c. 1. 2. 3. 5. de raptor. c. ult. de furt. c. 22. de sent. excomm.

(f) C. 2. causs. 3. q. 2. c. 1. causs. 14. q. 4. c. 37. de usur. c. 2. eod. in 6.

crum cessans. 2) damnum emergens, 3) periculum sortis, addunt aliqui 4) statutum Principis. Atvero ut illi tituli vere ab usurae vitio excusent, a) damnum vere ex mutuo emergat, b) auctarium damno vel periculo majus non exigatur, nec c) mutuans statim post datum mutuum lucrum cessans sibi compensari petat.

*) Alio sensu *usura*, vel fœnus dicitur res illa, quam creditor a debitore pro fortis (seu pecuniæ alteri creditæ) concesso usu exigit. Quo sensu accepta usura *moderata* non videtur absolute damnanda. Nam licet proximo in gravi necessitate constituto cui alio modo subveniri nequit, lege charitatis per *mutuum gratuitum* subvenire teneamur; extra hunc tamen casum mutuum usurarium, seu *contractus fænebris*, quo pro concesso pecuniæ usu a debitore moderatum pretium exigitur, nec a) cum *naturali* æquitate, aut *charitate*, nec b) cum *S. scriptura*, nec c) cum *ecclesiæ legibus*, nec d) cum *rei publicæ* bono videtur pugnare. Et vero nec repugnat 1) ex *jure naturæ*, aut ex natura rei; quid enim mali sit, pro concesso rei frugiteræ usu moderatum sibi pretium pacisci? fertilem autem esse pecuniæ usum, quis negare ausit? Neque ex *re aliena* creditor commodum capit; sed pro concessu *rei suæ* usu pretium exigit; nam rei suæ fructiferæ et dominium et usum ea conditione alteri permittit, ut moderatum pretium eousque solvat, dum sortem reddit. 2) Nec repugnat *legi charitatis*; cur etenim rei meæ frugiferæ usum alteri, nulla necessitate presso, tenear gratis permittere? 3) Non repugnat *scripturæ*.. Nam in L. V. per *judiciale* quidem præceptum, quod cum synagoga cessavit, fœnerari fratri suo erat Hebræis vetitum; at licebat fœnerari alieno. (g) Novi testamenti (h) autem

(g) Deutr. XXIII. 19. 20.
(h) Luc. VI. 35.

tem textus; quos adversus hanc sententiam proferunt, ad officia charitatis, data occasione præstanda, pertinere, cuivis eos pensiculatius consideranti patebit. 4) Reipublicæ autem bono adeo contractus fœnebris non repugnat, ut commercia potius foveat, atque etiam, si solum legibus definitum auctarium, seu quinque pro centum floreni exigi pro moderata usura poterunt, multo efficacius utique erit populi rebus prospectum, quam si cujusvis judicio permittatur, ex titulo damni emergentis, lucri cessantis, periculi fortis, quæ cupidi homines semper exaggere solent, quidpiam ultra sortem exigere: idquod Auctores vulgo permissum asseruere. Dein 5) Contractus fœnebris eodem modo a mutuo gratuito differt, ut locatio a commodato: quemadmodum ergo non semper commodare gratis, sed usum rei pro pretio locare licet; ita et pro concesso usu pecuniæ, sane quam maxime fructiferæ, moderatum exigere pretium licebit. Unde 6) *Usurarum vetitarum* nomine intelliguntur a) *usuræ* exactio a pauperibus, quibus gratis mutuum dare gravis proximi necessitas, et charitatis lex jubet: aut b) usuræ exactæ, dum reapse gratuitum mutuum celebratum est. Item c) usuræ immoderatæ, mordentes, taxatam legibus summam excedentes, aut d) quoad *modum* exigendi justitiæ charitatique repugnantes. e) Usuræ illicitæ *palliatæ*, que variis committuntur modis, e. g. 1) *pacto legis commissorio*, quo convenit, ut non soluto intra certum diem debito pignus creditori cedat. 2) *pacto retrovenditionis*, 3) *fictione sortis majoris*, 4) *determinatione* ejus, quod interest in casu moræ *antecedenter* ultra legitimas usuras facta, 5) contractu *Mohatræ*, quo quis cuidam præsentem pecuniam quærenti rem credito sed carius vendit, ea lege, ut a venditore vel per interpositam personam vilius præsenti tamen pecunia ematur, 6) *datione in solutum* ab initio in stipulationem de-

ducta (i) etc. Vid. *Paul de Riegger Inst. J. Eccl. Part. IV.* §. 482 — 510.

**) Pœnæ isthæ nec omnes, nec ubique receptæ: in Germania potius hæ obtinent: 1) nullitas contractus usurarii, quoad partem excedentem tantum in Bavaria, 2) amissio quartæ partis summæ capitalis, 3) pœnæ aliæ arbitrariæ. Reform. polit. Germ. A. 1548. tit. 17. §. 7. Ordin. politic. Bav. L. 2. tit. 1. et Cod. civ. p. 2. c. 3. §. 21.

§. 816.

Postremo jus canonicum meminit etiam de *delictis carnis*, qualia sunt, 1) *adulteria*, 2) *incestus*, 3) *stuprum*, 4) *sodomia*, 5) *fornicatio*, 6) *concubinatus*: quorum castigatio foro seculari hodie pene uni reservata est. Aliqua tamen eorum, veluti adulteria, quandoque in ecclesia coram populo pœnam subire coguntur. Item jure can. (k) in adulterium, et incestum excommunicatio ferendae, in raptum excommunicatio latae sententiae decernitur. At de his vel meminisse plusquam satis.

U. I. O. G. D.

INDEX.

(i) C. 7 de pignorib. c. 5. de emtion. L. 15. Cod. de usur. Ordinat. polit. de Anno 1577.

(k) C. 9. causs. 35. q. 2. Trid. sess. 24. de matrim. c. 6.

INDEX
NOMINUM ET VERBORUM.

Numerus §vum n. subjectum notam indicat.

B.

Capel-

Con-

D.

De-

F.

Feudi

G.

clan-

Juri

circa

L.

M.

N.

O.

N.

O.

